




V
B
J
C

D. ANSELMI BANDURII

MONACHI BENEDICTINI, REGIÆ MAGNI ETRURIÆ DUCIS BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI, ET IN REGIA ACADEMIA PARISIENSI INSCRIPTIONUM AC BONARUM LITTERARUM ACADEMICI HONORARII,

BIBLIOTHECA NUMMARIA,

SIVE

AUCTORUM QUI DE RE NUMMARIA SCRIPSERUNT,

IN ΝΟΜΙΣΜΑΤΟΦΊΛΩΝ GERMANORUM GRATIAM CUM NOTULIS ET INDICIBUS RECUSA

ATQUE DISSERTATIONIBUS VIRORUM DOCTORUM DE HOC ARGUMENTO PRÆMISSA

CURANTE


JO. ALBERTO FABRICIO,

D. ET PROFESS. PUBL. IN GYMNASIO HAMBURGENSI.



HAMBURGI,
APUD C. LIEBEZEIT ET T. C. FELGINER, 1719.


UNIV
CRACOVIENSIS



DOMINÆ.

Rat hoc apud veteres in more poſitum, DOMINA, ut quo munere Deorum quisque maxime delectari cenſeretur, id illi Deo munus rite porrigerent. In quo ſane videbant plurimum. Nam qui probe intellige-

rent naturas illas qui Dii immortales haberentur, divitiis hominum non indigere, iis immolabant non quod esset hominibus pretiosissimum, sed quod Diis gratissimum judicabant.

Ad hoc exemplum, ut hodie pro tenuitate mea, summis Tuis in me beneficiis reponerem aliquid, particulam hanc scriptionum mearum seposui, quam velut acceptissimum Tibi donum Regiæ C. T. consecrarem. Enimvero cum præcellentis ingenii Tui lumen possit magna cum laude in qualibet doctrinæ parte versari, pulcherrimam certissimamque veteris Historiæ partem nummos veteres selegisti, quorum contemplatione & studio proficeres ac delectarere. Itaque, quod tempus a negotiis, a beneficentia, a Divini Numinis cultu vacuum habes, in cognoscendis Augustorum Augustarumque imaginibus & factis præclarissime impensum existimas.

Hinc mirifica ista Tua numismatum gaza (ut de gemmis cælatis cæteroque doctioris elegantiæ instrumento sileam) quam incredibili cura ex eruditis Europæ totius Asiæque divitiis congestam novis quotidie accessionibus amplificas. Hinc doctorum hominum ad Regiæ C. T. adyta, quotidiana & plena comitatis admissio, qui quidem, benignitate Tua ditati, minus suo commodo capiuntur, quam quod scientiam in

tam

tam excelſo loco poſitam vident. Nimirum ſingularis eſt ac prope divinæ cujusdam indolis id habere feminam principem remiſſionis ingenuæ ac delitiarum loco, quod ſagaciſſimi cujusque critici lucubrationi proprium ac reſervatum videbatur.

Erat ſane rationi conſentaneum, Principem tot prognatam Heroum ſanguine, tot Heroum ſtirpi Regiæ inſertam, Imperatoris Conjugem, Herois parentem, LUDOVICO MAGNO ut cariſſimam, ita devotiſſimam NUMINI MAJESTATIQUE EJUS, ſuorum ſimiles, non ſine ſumma animi delectatione, alterum alteri comparando recenſere. Eam vero cujus virtutes AURO, ARGENTO, ÆRE, FLANDO FERIUNDO conſignari merito ſuo debeant, par erat easdem in primariis ſæculorum omnium feminis recognoſcere. Habet hoc ſcilicet vera virtus, ut OPTIMORUM MERITORUM mercedem ampliſſimam, quæ gloria eſt, libenter in aliis intueatur.

Neque tamen nummis teſtibus indigent laudes Tuæ, DOMINA, ut poſteritatem omnem admiratione Tui compleant. Hærent illæ in animis hominum, nec delebit ulla temporum injuria bonitatis Tuæ, munificentiæ, pietatis, quibus præſentes fruimur, jucundiſſimam recordationem. Habebunt exemplar in Te ſibi propoſitum feminæ Principes, ex quo formam du-

cere ac totam vitæ ſuæ compoſitionem & actionem poſſint quodammodo delineare. Si enim doceri volent, qua ratione Regi, Marito, Liberis ac Nepotibus, Familiæ, potentioribus, tenuioribus, literatis, indoctis, & præcipue Deo Optimo Maximo ſatisfaciant, non aliâ officii norma indigebunt, quam una conſtantis vitæ Tuæ conſideratione.

Quæ cum ita ſint, neminem omnium eſſe nunc, neminem fore in poſterum jure confido, qui quod hanc rei nummariæ hiſtoriam in auguſto Nomine Tuo apparere voluerim, conſilii mei rationem reprehendat. Felicem me, ac diuturni laboris mei ſucceſſu fortunatum, ſi munuſculum hoc qualecunque non abnuas. Ex benevolentia enim Tua & ſcriptioni meæ auctoritas, & interiorum reconditarumque litterarum ſtudio dignitas accedet, & quod enixe cupio, conſtabit obſequii erga Te mei non obſcura ad omnem ætatem ſignificatio.

ANSELMUS BANDURI.

LECTORI
S. D.
JO. ALBERTUS FABRICIUS.

CUm ante quatuor menses e Gallia ad nos allatum est prædives opus Celeberrimi Viri D. ANSELMI BANDURII, quod de nummis Cæsarum inusitato studio ex amplissimis gazis collegit, & locuplete ingenii ac doctrinæ apparatu exornavit pulcherrime: fateor BIBLIOTHECA NUMMARIA, quam eidem ab accuratissimo Scriptore & acri judicio atque insigni cum in aliis tum in his maxime litteris usu & peritia conspicuo adjunctam vidi, ita me lecta cepit mirifice, ut Bibliopolæ nostro auctor fuerim eam in nostrorum hominum gratiam, quibus numismatum veterum curiosior lustratio in deliciis est, prælis separatim subjiciendi, atque adeo consulendi voto eorum, qui per tenuitatem argentariam pretiosum illud Numismatum Cæsareorum opus sibi comparare cum nequeant, tam utili tamen ad studium numismaticum recte tractandum subsidio ægre volent carere. Dum autem liber excuditur, adspersi in tuam gratiam notulas quasdam, in quibus aliqua saltim puto reperiri, quæ Bandurius ipse, si ejus oculis scribentis illa se obtulissent, vel si in mentem ei venissent, adjungere non fuisset dedignaturus. Alia probe novi talia esse quæ ab ipso de industria prætermissa fuere, sed quæ ego ratus sum a Tuis, Lector, usibus non plane aliena: unde veniam impetraturum me confido ab eruditissimo viro, quod ejus purpuræ pannum huncce nostrum assuere non dubitaverim. Longe certe absum ab illa stolida arrogantia vel præsumptione puerili, ac si cum illo certare de

palma

palma, aut me in hoc genere qui ſcirem aliquid, quod ipſum latuerit, jactare voluerim: ſed cum ob multitudinem rerum & librorum, locorumque diſtantiam, eruditisſimum quoque fugere quædam ſit neceſſe, quæ alibi locorum obvia, aliisque longe minus eruditis in promtu ſint, exiſtimavi dum liber egregius præla fatigat, non recte me facturum, ſi non, Ariſtarchorum ſecurus, in uſus tuos ea quæ ipſe inter legendum obſervasſem, adjungerem quantumque poſſem breviter & accurate annotarem. Præterea tres ſubnexui indices, per quos utilisſimum hunc librum ſpero me adhuc reddidiſſe utiliorem, atque ita ſimul effeciſſe, ut cum laudatisſimo inſtituto ordinem chronologicum ſecutus Auctor in hac ſua ſcriptorum rei nummariæ Hiſtoria fuerit, ſimul etiam habeas Bibliothecam nummariam ordine ſcriptorum diſpoſitam Alphabetico, tum ordine Nationum quibus ſinguli ortum debent, & poſtremo per claſſes rerum quas tractant atque illuſtrant, digeſtam. Cæterum, ut ipſe diſerte profitetur, eorum ſolummodo Numiſmatum ſcriptores Bandurius perſecutus eſt, quæ Græcæ & Romanæ Hiſtoriæ & Antiquitati illuminandæ inſerviunt: itaque ſcripta illa quæ de Hebraicis, Samaritanis, Punicis, Arabicis, aliarumque Gentium nummis in lucem emiſſa a Viris doctis ſunt, nec non de medii ævi (præter Græcos Cæſareos) & recentis ætatis numiſmatibus quibuſcunque prætervectus eſt omnia, quemadmodum & illorum lucubrationes qui de jure monetas cudendi officinisque monetariorum, & de monetarum pondere ac valore ſunt commentati. Quorum omnium notitiam ſimili judicio & accuratione conſignatam ſi quis uno vel duplici Volumine in publicum emiſerit, is jucundo & inſigni munere apud ſtudioſos harum litterarum non mediocrem inierit gratiam, atque utili commentatione nomen ſibi haud inficiandum comparaverit. Vale.

V. CL. ANSELMI



V. CL. ANSELMI BANDURII

BIBLIOTHECA NUMMARIA,

SIVE

AUCTORUM

QUI DE RE NUMMARIA SCRIPSERUNT.

CUM Nummos Imperatorum *) deſcribere, ac Notis illuſtrare inſtituerim, omnium etiam Auctorum, qui de illis agunt enumerationem ab initio ordiri, & ad hanc ætatem uſque perducere viſum eſt; quod tametſi à multis præſtitum ſit, quia tamen ex iis nemo artem criticam adhibuit, ſine qua hujusmodi Indices jejuni omnino ſunt & exiles, ac præterea non paucos libros ab iis prætermiſſos eſſe deprehendimus, non inutilem fore operam noſtram exiſtimavimus, ſimulque non ingratum fore lectori, ſi rem paulo altius repeteremus, hoc eſt horumce ſtudiorum hiſtoriam jam inde ab initio perſtringeremns. Non enim altero, aut ad ſummum tertio ab hinc ſæculo, ut imperiti opinantur, nummi veteres aliquo in loco apud eruditos haberi cœpere, ſed una cum artibus ac ſcientiis floruere; & ut quiſque ingenio & eruditione polluit,

A ita

*) A Decio ad Palæologos usque. Prodiit opus elaboratiſſimum Pariſ. 1718. fol. 2. Vol. numiſmata Latina, Græca, Ægyptiaca ex omni metallo ac modulo complexum.

ita nummos plurimi fecit. Primum enim, ſtatim atque Græcarum Antiquitatum amor Romæ viguit, Græca etiam numiſmata in honore fuiſſe ſatis conſtat; nam & ea Romani intelligebant vetuſtatis monumenta eſſe multo tutiora quam auctores, à quibus multa aut amore erga patriam, aut in alias urbes odio in falſum aucta erant; prætereaque cum Græciæ operibus mirum in modum delectarentur, hæc aſpernari non poterant, in quibus artificum induſtria eo mirabilior erat, quo magis in anguſto rerum naturæ majeſtatem coarctaverant. Nec vero ſi fuere olim in Urbe, qui Victoriatos ex Illyrico advectos, ante quam lege Clodia cuderentur, perinde atque cæteras merces diſtraherent, quod Plinius prodit lib. XXXIII. ſect. III. exiſtimandum eſt neglectos fuiſſe cæteros nummos qui nec arte inferiores iis erant, & utilitate longe præcellebant. Atque ea de cauſa Auguſtus, *a*) cum varia munera Saturnalibus divideret, nummos omnis notæ, etiam veteres regios & peregrinos amicis dediſſe videtur, quod eos ipſe magni faceret, & à vetuſtatis amatoribus magni fieri ſciret. Sane quod de Victoriatis ſcripſit Plinius, mercis loco habitos fuiſſe, idem de tetradrachmis & drachmis teſtatum reliquit Volus. Mæcianus: *b*) nec mirum cuiquam videri debet, fuiſſe olim qui ejuſmodi numiſmata, in quibus ſingularum urbium originis, jurium & decorum memoria conſignata erat, ſummo ſtudio conquirerent; cum illi ipſi qui præ cæteris elegantes videri volebant, quibuſque idcirco Romana vetuſtas rudis videbatur, in quibus Ovidius nomen ſuum profeſſus eſt, alienum à ſe non putarent quærere, cur in perantiquis Italiæ nummis *c*) Janus ex una parte expreſſus eſſet, ex altera navis. Quanto porro in honore fuerint nummi Conſulares, facile intelliget, qui Romanorum erga majores ſuos pietatem perſpexerit: quorum manes cum prope divinis honoribus proſequerentur, eorumque imagines ſummopere colerent, quod ad earum conſpectum animos ſuos ad virtutem inflammari conſcii ſibi eſſent, conſequens erat, ut eorum res geſtas, quæ hujuſcemodi monumentis mandatæ erant, æternitati etiam mandatas vellent. Poſtquam Republica everſa, Princeps unus munia Senatus, Magiſtra-

a) Sveton. Auguſto c. 75. *b*) Mæciani verba ſunt libro de aſſe p. 398. *Victoriatus nunc tantundem valet quantum Quinarius olim, ac peregrinus nummus loco mercis, ut nunc tetradrachmum & drachma habebatur.* *c*) Ovidius I. Faſtor. 229.

Magiſtratuum, Legum in ſe traxit, non una cauſa fuit cur nummi ſervarentur; præterquam quod enim juvabat eorum vultus conſpicere, quorum imperium ad deorum potentiam proxime acceſſiſſe viderant, atque idcirco Pomponii ætate, ut ipſe monet l. Numiſm. D. de Uſufr. leg. nummis aureis aut argenteis pro gemmis uti ſolebant; eam Triumviri Monetales rationem inſtituerant, qua nulla erat tutior ad hiſtoriam rerum geſtarum incorruptam ſervandam; cum Conſulatus Imperatorum & Cæſarum, & Tribunitiæ Poteſtatis annos, *d)* & honorum ac devictarum gentium titulos plerumque exprimi curarent. Ab Hiſtoriæ igitur ſtudioſis comparati olim, qui nunc Principum & eruditorum muſea ornant, nummorum theſauri, nam ſi quis eos à privatis idcirco ſervatos malit, quia mortuorum Principium numiſmata conſueti uſus moneta perinde atque vivorum erant: huic referemus, legem illam de veteris numiſmatis, ut loquuntur, potentia interdum fefelliſſe, ac perdidiſſe officium ſuum: omne enim æs, quod quidem reperiri potuit cum Caligulæ effigie, juſſu Senatus conflatum fuiſſe Dio Caſſius *e*) prodidit; & veroſimillimum eſt non benigniorem eum fuiſſe erga Domitianum, cujus, ſi teſtem Svetonium *f)* audis, eradendos ubique titulos, abolendamq; omnem memoriam decrevit. Quid porro cenſeamus factum de Maximino, quem adhuc vivum hoſtem publicum *g*) appellavit, quid de Commodo, Macrino, Elagabalo? Atqui horum omnium numiſmata ſuperſunt, quæ ab ementibus & diſtrahentibus ſuſcipi non magis poterant quam tyrannorum, quæ omnia aliis de cauſis ſervari, & ad noſtram ætatem pervenire potuiſſe non diffitemur, veluti quod interdum in ſepulcris, in fundamentis ædium ſacrarum, & ædificiorum publicorum condita ſunt; quodve in terram defoſſa ſunt ab iis qui rei familiari adverſus Barbarorum avaritiam conſultum volebant; ſed eorum partem tamen hominum his elegantiis deditorum diligentiam immortalitate donaviſſe negari non poteſt. Hos inter fuit olim Severus Archontius, qui

d) Spectat huc diagramma Conſulatuum & tribunitiæ poteſtatis per Imperatores geſtæ, ab Auguſto ad Alexandrum, quod ex nummis concinnavit V. Cl. Joannes Vignolius diſſ. 2. Apologetica de primo Anno Severi Alexandri Aug. cap. 8.

e) Dio Caſſius lib. LX. p. 679. *f)* Sveton. Domitian. c. 23.

g) Jul. Capitolinus in Maximin. c. 16.

qui disceptationem & quæstionem de Firmo Ægypti tyranno ortam num Imperatorem se appellasset, ea ratione qua Vopiscus *h*) narrat, hoc est prolatis Firmi nummis, decidit: ac ne de hoc uno mentionem à Scriptoribus factam censeas, audi Ulpianum l. 27. D. de aur. & arg. leg. *Si autem, inquit, aurum & argentum signatum legatum est, id paterfamilias videtur testamento legasse, quod ejus aliqua forma est expressum, veluti quæ Philippi sunt, itemque numismata, & similia.* Vides in supellectile patrisfamilias regale numisma *i*) Philippos; vides numismata, non ea quæ publica moneta adhuc erant, (qui enim de his monere attinuisset?) sed quæ in Museis servabantur, Regum, Urbium, Familiarum, Imperatorum quorum memoria abolita erat, ac denique Tyrannorum. Atque hoc Ulpiani effatum in Digesta retulit Trebonianus, idem scil. qui Celsi mentem secutus, scripserat l. 4. & 5. De legib. Senatusque Consf. ex his quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constitui: nam ad ea potius debere aptari jus, quæ & frequenter & facile, quam quæ perraro eveniunt. Haud omittendum videtur, Theodosii M. jussu conflatam fuisse pecuniam quæ Juliani παραβάτȣ effigiem referebat: utut enim id à recentiori Græculo, Scriptore Demonstrationum Chronographicarum *k*) quas libro V. Antiquitatum C P. edidimus, memoriæ proditum sit; quia tamen nemo adeo mendax est, ut non aliquando verum dicat, prætereaque Theodosii pietati consentaneum hoc est maxime, quin fides Scriptori huic adhibeatur, causa nulla esse videtur. Atqui nummorum Juliani haud multo minor, quam cæterorum Principum, copia ad nos pervenit: quos nummos si quis dicat ab interitu vindicatos fuisse ab iis, qui veteres religiones colebant, non refragabimur quidem omnino, monebimus tamen ne eos quidem desiderari, in quibus nulla ejus impietatis vestigia expressa erant. Quanquam, ut verum fateamur, hominum erga Antiquitates studia nimium quantum jam deferbuerant; nam & Symmachus *l*) se unum veteris monetæ spectatorem

h) Vopiscus in Firmo c. 2. *i*) Horat. II. Epist. 1. 234. Ez. Spanhemius diss. 1. de usu numism. p. 8. edit. Lond.

k) p. 96. *l*) Symmachus III. Epist. 11. ad Naucellium: *Itaque ut ipse nonnunquam prædicas, spectator veteris monetæ solus supersum, cæteros delinimenta aurium capiunt.* Videtur eo loco per veterem monetam, antiquum dicendi genus Symmachus intelligere.

ctatorem supereſſe alicubi teſtatus eſt; nec aliter ferme evenire potuisse, facillime quilibet conjectura conſequetur. Cum enim Romanum Imperium diſcerperent ac dilacerarent barbari; cum eorum qui adoleſcentes literis inſtituerant, plerique ob pertinaciam in avita ſuperſtitione, cui etiam fœdas cæremonias addebant, exularent; & qui in eorum locum ſuffecti erant, auditorum ſuorum animos ad pietatem informare, quam ingenia artibus imbuere mallent: cum eos potius in honore haberi viderent homines, qui Romanum orbem virtute in bello tuerentur, quam qui illum eruditione & doctrina ornarent: cum denique Chriſtianorum Antiſtites abolendæ idololatriæ intenti, aras, fana, Deos disjicerent, conſequens erat ut graviſſima hac rerum omnium ruina opprimerentur numiſmata, quæ & noſtris non minus inviſa & odioſa erant, quam ſtatuæ Deorum quos toties repræſentabant, maxime cum eorum uſum nonnulli Principes interdixiſſent; nec à barbaris cædi aut prædæ incumbentibus magni fieri poterant. Intermiſſum igitur longo intervallo, ac pœne deperditum eſt una cum Romani Imperii majeſtate veterum nummorum ſtudium; nam ſi quis eos apud Francos in honore fuiſſe exiſtimet, quia in tumulo Childerici I. aliquammulti reperti ſunt, *m*) quorum pars in Theſauro Regio, pars in gaza Cæſarea aſſervantur; vehementer errare nobis quidem videtur; quippe hoc idcirco eveniſſe vero propius eſt, quod Franci ac cæteri barbari Romanorum monetam cum novam, tum veterem probaverint: quæ res cum in confeſſum veniat, tyrannorum etiam nummos, modo probi eſſent, in uſu apud eos fuiſſe, atque inde, ut hi quoque ad nos pervenirent, factum eſſe colligi poteſt.

Primus quem deinde nummos veteres magni feciſſe comperimus, idem eſt qui ad bene ſperandum de literis facundiaque ſignum ſuſtulit, Franciscus Petrarcha, anno 1304. natus in Vico Florentini agri, cui Anciſæ nomen. Hic enim cum Mantuam accitus eſſet à Carolo IV. Imperatore, atque ille à docto viro petiiſſet, ut librum de Illuſtribus Viris, quem pœne ad umbilicum perductum audierat, ſecum communicaret, ſeque in illorum numerum referret; utrumque à ſe præſtitum iri ſpopondit Petrarcha, modo & Imperatori virtus, & ſibi vita ſuppeteret: tum enim demum hoc munere dignum fore illum, cum animum

m) Tornaci Nerviorum effoſſo A. 1653. Vide Jo. Jacobi Chifletii Anaſtaſin Childerici. Antwerp. 1655. 4to.

nimum natalibus, & dignitati quæ summa erat, æquasset, veteresque ita legisset, ut ipse à posteris legeretur: indeque arrepta occasione, nummos aliquot eorum Imperatorum qui virtute & clementia sese commendarant, aureos & argenteos, quos in deliciis habebat, huic obtulit, ut ipse narrat lib. x. Epist. 111. & *Ecce*, inquit, *Cæsar, quibus successisti; ecce quos imitari studeas & mirari; ad quorum formulam & imaginem te componas: quos præter te unum nulli hominum daturus eram; tua me movit authoritas. Licet enim horum mores & nomina, horum ego res gestas norim; tuum est non modo nosse, sed sequi; tibi itaque debebantur.*

Post Petrarchæ mortem, quæ anno 1375. accidit neminem reperimus qui numismata conquisierit, donec parens Regiæ Medicææ domus bono literarum natæ, Cosmus Magnus, Florentiæ in speciem civis, revera Princeps, cui nihil ad regnum, præter nomen ac pompam defuisse testantur auctores, quanti facienda essent hæc vetustatis monumenta exemplo suo docuit. Fuit ille vir summa liberalitate, prudentia singulari, jucunda gravitate, cæteris artibus quibus magni Principes fiunt, præclare instructus; itaq; apud cives suos ut auctoritate, ita etiam gratia pollebat, nec intra patriæ mœnia virtutum ejus fama constitit, sed Italiam pervagata est, ejusque consilia Principes ac liberæ Civitates non raro expetiisse dicuntur. Divitiis quibus abundabat, non ad fastum, nec ad libidinem usus, cives suos juvit, Monasterium Divi Marci singulari opere extruxit, ædes sacras alias instauravit, alias à fundamentis erexit, veteres Codices Græcos ac Latinos, statuas, marmora, gemmas cælatas, numismata ingentibus sumtibus comparavit, ipse literis Latinis probe excultus, nec rudis Græcarum, præterea eruditæ Antiquitatis studiosissimus. Cosmi exemplum secuti sunt Petrus filius, ac Laurentius nepos, cui literarum restitutionem acceptam referri debere nemo nescit: quamobrem Angelus Politianus in Præf. Miscellaneorum ad Laurentium, declarabat vetustatem Codicum, Numismatum fidem, & in æs aut marmor incisas Antiquitates, quæ sibi Laurentius suppeditaverat, plurimum suis Commentationibus suffragari: qua etiam de causa Laurentius Pignorius Epist. Symbol. XVI. si nummos antiquos in pretio primum habitos à Medicæis contenderit, neminem repugnaturum contestabatur. Eadem ætate fuere & alii Principes qui nummos veteres magni facerent, Alfonsus Neapolis, ac Siciliæ Rex, & Antonius S. Marci Cardinalis, Euge-

Eugenii IV. Pontificis Maximi nepos; ab illo enim Antonius Panormitanus, ab hoc Æneas Sylvius, *magnam numiſmatum vim collectam eſſe prodiderunt; nec in poſterum defuere æqui harumce elegantiarum æſtimatores; ſed eos omnes recenſere alienum eſt ab inſtituto noſtro; prætereaque id à doctiſſimis viris, ac præſertim *n*) à Patino, & Spanhemio præſtitum eſt; quamobrem ſeriem Auctorum protinus ordiemur, poſtquam tamen de conſilio noſtro breviter præfati fuerimus.

Primum enim lectorem monitum volumus, ſi quis ſolas Principum ac virorum illuſtrium, tametſi è nummis expreſſas imagines ediderit, huic locum à nobis datum in hacce Bibliotheca non fuiſſe, *o*) quod ejusmodi librorum enumeratio tam injucunda, quam inutilis viſa ſit; eaque de cauſa rationem non habitam fuiſſe ejus, qui primus *Illuſtrium Imagines* Romæ edidit anno 1517. ſive Andreas Fulvius *p*) fuerit, ut plerique exiſtimant, ſive Jacobus Sadoletus, à quo librum Leoni X. oblatum fuisſe conſtat.

Deinde è duabus Bibliothecæ Nummariæ *q*) partibus, eam à nobis ſuſceptam fuiſſe profitemur, quæ Numiſmata ſpectat, quatenus antiquitati illuſtrandæ conducunt; alteram vero, quæ numiſmatum pondus & valorem expendit & æſtimat, omnino eſſe prætermiſſam. Ad cæteros libros additi illi, in quibus horum ſtudiorum rudimenta traduntur, eorum etiam auctorum habita eſt ratio qui Indices Scriptorum in his ſtudiis verſatorum contexuerunt.

Tertio tametſi pleriſque Βιβλιογράφοις ſolenne ſit omnes librorum, quos recenſent editiones enumerare, quia tamen id emendate præſtari vix poſſe alieno periculo didicimus, hanc nobis ipſi legem impoſuimus, ut

*Antonius Pan. de dict. & fact. Alfonſi, lib. 2. Æn. Sylvius p. 480. Opp.

n) Carolus Patinus Hiſtoria numiſmatum cap. 25. Cimeliarchia nummaria recenſens. Ez. Spanhemius de uſu numiſm. præfat.

o) Quidam tamen interdum attinguntur, ut num. XVIII, 2. XXXV. &c.

p) Præneſtinus, cujus Antiquaria Urbis, Carmine expreſſa prodiere Rom. 1513. 4to. Et alius de Antiquitatibus Romanis liber ibid. 1527. fol. & 1545. 8vo. & Italice cum auctario Hieron. Ferrucci, Venet. 1588. 8.

q) Philippi Labbei S. I. de quo infra, num. LXXXIV.

ut ne quam editionem indicaremus, quæ diligentiam noſtram fugiſſet: quam legem eo ſanctius obſervavimus, quo pauciores editiones nos latuiſſe conſcii nobis eramus.

Quarto, in conciñando hoc indice, non literarum ordinem ſecuti ſumus, ut fecere olim Philipus Labbe, Rudolfus Capellus *r*) plerique alii; nec opera, de quibus agendum nobis erat, in genera digeſſimus, quod utcunque præſtitit Struvius; *s*) ſed temporis, quo quiſque ſcripſit, *t*) rationem habuimus, niſi ſicubi occurrit vir longævus, qui multa variis annis ſcriptitarit: hunc enim inter coætaneos verſari juſſimus, & ita quidem ut eum locum obtineret, quo maxime floruit familiaritatibus doctorum hominum, & operum gloria.

Poſtremo non ſolos librorum titulos, quod hactenus factum eſt, ordine repræſentamus; ſed quid in ſingulis, qua ratione præſtitum ſit; quodnam de auctorum diligentia, judicio, eruditione, quodnam de cælaturæ, ſi quæ occurrat, artificio judicium ferendum ſit; quæ denique ex ſingulis utilitas ad Hiſtoriam veterem Græcam, Romanamve illuſtrandam, ad reſtituendam aut firmandam temporum rationem, ad cæteras Antiquitates inveſtigandas, percipi poſſit, examinamus, & quidem ſine ira & ſtudio, quorum cauſas procul nos habere facile quivis intelliget.

I. ZACHARIAS ZACHIUS.

QUi literatis prodeſſe voluerit, numiſmata publicando, neminem reperimus antiquiorem ZACHARIA ZACHIO, magni nominis ſtatuario; qui cum non artis ſuæ intelligens ſolum, verum etiam hiſtoriæ, & rerum antiquarum peritus admodum foret; quæ in patria urbe, hoc eſt, Volaterris, memorabilia erant, ſtatuas, Numiſmata *u*) aquas

r) de hoc num. C. *s*) de hoc num. CXXXVII.

t) Hunc optimum ordinem ſecutus etiam Carolus Patinus cap. 24. Hiſtoriæ numiſmatum, quod eſt de iis qui numos antiquos ſcriptis illuſtraverunt, & Caſpar Sagittarius introductione ad Hiſt. Eccleſ. T. 1. p. 591. ſeq. Sed paucos illi & breviter attingunt.

u) Leander Albertus in deſcriptione Italiæ p. 49. b. edit. primæ, ubi de Volaterris Zachii patria: *Queſt' anni paſſati diede gran nome à queſta patria Zaccheria Zacchio excellente ſtatuario, come dall' opere da*

quas medicatas, & alia literis signavit; sed illud opus auctoris morte interceptum est, jaceretque in oblivione, nisi Albertus Leander in Descriptione Italiæ, pleraque ex illo se hausisse monuisset.

II. JOANNES HUTTICHIUS.

Primum igitur qui Numismata à se collecta publici juris fecerit, protulit Germania JOANNEM scil. HUTTICHIUM, Moguntinum, hoc nomine profecto commendandum, nisi eorum scalptura admodum impolita esset, ac plane rudis:

Imperatorum & Cæsarum Vitæ, cum imaginibus ad vivum expressis. Libellus auctus cum elencho & Iconiis Consulum ab Auctore. Anno 1534. 8o. x)

Quæ iconia vocat, hæc Cousularia, sive Familiarum Romanarum Numismata sunt duo supra quadraginta in buxo, anno demum 1537. ad libellum addita, nec ullius aut notis uut descriptionibus illustrata.

III. ANTONIUS ZANTANUS.

Huttichio proximus ANTONIUS ZANTANUS, Comes & Eques Italus, primorum XII. Cæsarum imagines, una cum perbrevi horum Vitæ descriptione duodecim æneis tabellis in 4. exprimi curavit, iisque subjunxit quadrigentorum circiter Numismatnm aversas partes accurate & perquam eleganter scalptas, indistinctis quidem modulis, sed metallorum ratione habita, hoc est, quæ singulorum Principum numismata ex

da lui fatte in Bologna & in Roma conoscere si può. Fu Zaccheria non solamente scoltore, ma etiandio curioso vestigatore dell' antichitati & delle cose rare, onde descrisse le cose della patria maraveglioso, si come le minere delli metalli, (nulla hoc loco de numismatibus mentio) *& de altre cose minerali, & dell' acque medicinevoli, come à parte à parte io dimostriro, havendo io veduto la descrittione che'l fa di simili cose.*

x) Labbeus testatur primum prodiisse Argentinæ A. 1525. in eadem recusum urbe A. 1534, & 1537. nec non Lugduni 1550. & 1554. In his posterioribus editionibus eosdem semper errores retentos fuisse Carolus Patinus observavit.

ta ex uno eodemque metallo conflata erant, hæc curavit incidi in eandem tabellam. Hiſce porro tabellis nec adjectæ notæ, nec titulus præfixus eſt præter unum, in quo privilegia, ut vocant, ſibi cum à variis Principibus, tum à ſummo Pontifice Paulo III. conceſſa denuntiavit Zantanus, ex quibus librum hunc editum ante annum 1550. *y)* fuiſſe didici.

V. JACOBUS DE STRADA.
VI. JOANNES LOUVEAU.

JACOBI DE STRADA, Mantuani, extat opus, quod olim magnopere commendatum, nunc piperi condendo, quam illuſtrandæ veteri Hiſtoriæ utilius, nec immerito quidem videtur: in hoc enim tametſi de averſis nummorum partibus interdum meminit, ſolas tamen Principum Romanorum effigies conſulto repræſentat, haſque in buxo, cum impolite expreſſas ſemper, tum aliquoties imperite confictas exhibet. Hunc librum anno 1551. in 4. cum ſuperbo *Theſauri Antiquitatum* titulo prodiiſſe ſcribit Philippus Labbe; ſed quam ejus editionem his oculis conſpexi, ea modeſtiorem titulum præfert:

> *Epitome Theſauri Antiquitatum z) hoc eſt imperatorum Romanorum &c. iconum, ex antiquis Numiſmatibus, quam fideliſſime delineatarum.* Lugduni 1553. 4to.

idem etiam titulus Gallicæ verſionis, quæ à JOANNE LOUVEAU, *a)* Aurelianenſi adornata, & Stradæ cura in lucem edita eſt:

> *Epitome du Threſor des Antiquitez, &c.* Lyon 1553. 4to

Haud paulo commendabiliores decem MSS. Codices *b)* Bibliothecæ Cæſa-

y) altera editio lucem vidit Venetiis 1554. 4. multis numis auctior, Ænea Vico ſcalptore. Vide Martinum Hankium τὸν μακαρίτην lib. 2. de Romanarum rerum ſcriptoribus c. 23. p. 137. Et infra num. VIII. ubi etiam de editione tertia Rom. 1614. 4to.

z) Hæc quam à theſauro ipſo Labbeus diſtinguit, recuſa etiam Tiguri, 1557. 4. *a)* Labbeo *Joannes Lupanus.*

b) Eosdem etiam extare Mſs. *Dresdæ* in Bibl. Regia & Electorali, teſtatur W. E. Tentzelius (monatl. Unterredungen A. 1695. p. 401.) Et *Monachii* in Bibl. Electoris Bavariæ, Carolus Patinus, auro contra non caros & editione digniſſimos teſtatus, qui eos prolixius deſcri-

Cæsareæ in fol. in quibus idem Strada Numismata antiqua, & quidem pleraque rarissima, pœne incredibili studio & elegantia depinxit: nimirum Consularia duobus voluminibus, tribus Latina Principum Romanorum à C. Julio Cæsare ad Claudium Gothicum, tribus etiam eorundem Græca, postremo duobus reliquorum Imperatorum cum aliquot barbaris, uti monet Lambecius tom. 1. Comment. de Biblioth. Cæsar. pag. 75. & seq. *c*) qui etiam speciminis loco nummos duos Petiliæ gentis & Papiriæ, qui in Familiis Romanis Ursini & Patini desiderantur, nec non aliquot Imperatorum tom. 2. ut à Strada expressi fuerant, exhibet in æs incisos. Ex iis autem libris probabile est *Octavium de Strada*, Jacobi filium excerpsisse pleraque Numismata maxima, quæ una cum Imperatorum Vitis publicam in lucem edidit semel anno 1615. & iterum anno 1629. Vide infra * Onuphrium Panvinium.

VII. GUILELMUS DU CHOUL.

Guillelmus Duchoul, *d*) Delphinas, & in patria Juri dicundo præfectus, sive ut vocant, Baillivus, Commentarios tres Gallice scripsit, de Religione, de disciplina militari, de balneis & exercitiis, si ita cum Gellio *e*) loqui fas est, Romanorum, in quibus nec judicium, *f*) nec diligentiam requiras: ex his eum solum qui Religionem tractat, nummis illustravit, iisque sane multis; sed adversas duntaxat partes, quæ scil.

scribit p. 184. seq. Historiæ numismatum. Modo autem octo memorat libros, modo ut p. 154. Codices quatuor. Sed Lambecius lib. 1. p. 77. diserte meminit Voluminum decem.

c) Adi eundem Lambecium lib. 2. p. 524. 685. 739. * num. 54. & 18.

d) Latine *Caulius* aliis, aliis *Brassicanus*. *e*) Gellius lib. 2. cap. 1.

f) Carolus Patinus c. 21. Historiæ numismatum, quo errores quorundam rei numariæ scriptorum persequitur, notat eum plurima obtrundere conatum quæ neutiquam ab Antiquis percussa sunt. Ut statim Agrippæ numisma cum pantheo in aversa parte, & Herculis cum quadriga & Zodiaco, adscriptoque lemmate ἀδύνατα ζηλῶν. Inscriptiones etiam non paucas adduxisse corruptas & parum emendatas. Laudandam tamen ejus industriam singularem in investigendis partim, partim delineandis numismatis.

ſolæ ad inſtitutum ipſius pertinebant, exhibuit ut in buxo non inelegantes, ſubinde monens cujuſnam Imperatoris caput prætulerint.

Diſcours de la Religion des anciens Romains, illuſtré de Medailles, & figures retirées des marbres antiques, &c. Lyon 1556. fol. *item* Lyon 1567. 4to. *g)*

Omnia ejus opera *h)* in Hiſpanicam linguam vertit Balthazar Perez del Caſtillo, Canonicus Burgenſis, ediditque Lugduni anno 1579. 4to.

VIII. ÆNEAS VICUS.

ÆNEAS VICUS, Parmenſis, cum præclarum nomen hiſce ſtudiis adeptus eſt, tum hæc non parum promovit brevi & erudito tractatu de Nummis antiquis:

1. *Diſcorſi di Enea Vico i) Parmigiano ſopra le Medaglie de gli Antichi, diviſi in due libri.* In Vinegia 1558. 4to *deinde à Joanne Bapt. Duval reſtituti,* Pariſiis 1619. 4to.

Duabus partibus conſtat hic liber: prima hæc tractat quæ in nummis fere obſervari ſolent, metalla è quibus conflati ſunt, Principum aut illuſtrium virorum vultus iis expreſſos, adverſarum partium typos, utriſque adjunctas inſcriptiones, literas ſingulares ac notas: ſimul de nummis

g) Titulus alterius operis ita ſe habet: *Diſcours ſur la Caſtrametation & diſcipline militaire des Romains: des bains & antiques exercitations, Grecques & Romaines.* Lugd. 1557. fol. Dolendum eſt non extare Guilelmi du Choul libros integros duodecim, quibus Syſtema Antiquitatum priſcis è monumentis illuſtratum, complecti inſtituerat, ut narrat ipſe libri de Religione p. 17. edit. Gallicæ Verſalienſis 1682. 4. qui prodiit etiam Latine Amſt. 1685. 4. ut Italicam 1569. & Belgicam verſionem omittam.

h) de Religione, & militia Romana, balneiſque & exercitiis.

i) recuſi ſunt hi duo libri Italica lingua in Tomo ſecundo Miſcellaneorum Gaudentii Roberti, Parmæ 1691. 4. Vicus eos Coſmo Medici diicavit Venetiis A. 1555. 4. Ab eodem ſunt: *le imagini con tutti i riverſi trovati, & le vite degli Imperadori, tratte delle Medaglie & delle Hiſtorie degli antichi, da Enea Vico.* Rom. 1548. 4. De Antonio Piſone qui in ſuo de numiſmatis libro Gallice edito Vicum eſt ſecutus, vide infra, num. XXI.

mis maximæ formæ, & iis quos *conturniatos* vocant, diſputat, indicataque recentiorum quorundam in ſupponendis Numiſmatibus vel adulteratis fraude, genuina gemmis ad veteris ævi memoriam antecellere demonſtrat. Parte altera Vicus exempla oſtentat ejus fructus qui ex nummis capi poteſt ad cognoſcenda deductarum Coloniarum rationem & tempus, ædificiorum formam, clarorum virorum prænomina, nomina, cognomina, varia denique honorum ac Magiſtratuum genera.

Ejuſdem opera duo circumferuntur haud ignobilia; ſed quæ huic paſſim attribuntur,

2. *Primorum XII. Cæſarum veriſſimæ Imagines ex antiquis Numismatibus deſumptæ, addita perbrevi cujusque Vitæ deſcriptione, ac diligenti eorum quæ reperiri potuerunt Numiſmatum averſæ partis delineatione.* 1554. 4to.

hæc Antonii Zantani ſunt, de quo ſupra *k*) loquebamur, ab Ænea Vico recuſæ ac leviter immutatæ, cum locupletiſſimo indice; eædem Romæ tertium prodierunt anno 1614. *l*) cum nullo diſcrimine, niſi quod titulo adjectum eſt: *Libri primi editio tertia;* quod brevi explicabimus, Æneæ Vici indubie ſunt

3. *Le Imagini delle Donne Auguſte intagliate in ſtampa di rame, con le Vite & Iſpoſitioni di Enea Vico ſopra i riverſi delle loro Medaglie antiche. Libro primo* In Venetia 1557. 4to.

opus eodem anno à *Natali Comite* Patritio Veneto latine verſum: *Auguſtarum Imagines m) æreis formis expreſſæ: Vitæ quoque earundem breviter enarratæ, ſignorum etiam quæ in poſteriori parte Numiſmatum efficta ſunt, ratio explicata,* Venetis 1557. 4. Pariſiis 1619. 4.

Item Cæſaris Vita & Cumiſmata:

4. *Ex libris XXIII. Commentariorũ in Vetera Imperatorum Numiſmata Æneæ Vici Parmenſis, liber primus.* Venetiis 1562. *n*) 4. Pariſiis 1619. 4.

Vetuſtiorem editionem Carolus Patinus viderat; ſed ut horum titulorum ratio percipi poſſit, monendus eſt lector, ſuſceptum ab Ænea Vico

k) num. IV. *l*) in 4to.

m) à Marcia Julii Cæſarius avia ad Domitiam Domitiani conjugem.

n) quædam exempla præferunt Annum 1560.

co fuiſſe ingens opus, quod omnium Imperatorum *o*) ſi fata ſiviſſent, Numiſmata ampliſſimis commentariis illuſtrata complexum fuiſſet, tribuſque ac viginti libris conſtitiſſet. Atqui hujus operis ſegmina ſunt quæ ſupra memoravimus, quorum illud Auguſtarum ac nobilium fœminarum imaginibus plerumque confictis, & earundem nummis ad Domitiam uſque diſtinctum eſt, hoc Caii Julii Cæſaris Numiſmata quæ reperiri potuerunt fuse explanantur.

Ad idem opus, qnod immatura, adeoque ſubita Vici morte interceptum fuiſſe produnt viri eruditi, referuntur

5. *Reliqua librorum Æneæ Vici ad Imperatorum Hiſtoriam ſpectantia, à Jacobo Franco Chalcographo Veneto in lucem edita.* Venetiis 1601. 4.

Sed illorum Commentariorum conſilium à Vico omiſſum, aut verius immutatum, hæcque alterius Operis reliqua fuiſſe, cujus primus liber XII. Zantani Cæſares complectebatur, duabus de cauſis conjicimus: prima, quod ita ratio conſtet ejus tituli qui tertiæ Zantani editioni præfixus eſt; altera quod Reliquorum eadem omnino ſcalptura ſit quæ XII. Cæſa-

o) à Julio Cæſare ad Gallienos. En Vici verba: *Numiſmata ſex Imperatorum tam aurea & argentea quam ærea ad veram magnitudinem expreſſa, dominante Cæſare percuſſa, a principio belli civilis usque ad Neronem Imp.* ſex *libris digeſſimus:* ſeptimus *inde liber ea quæ ſunt Galbæ, Vitellii & Othonis continet: inde Veſpaſianorum & Domitiani,* tres *qui ſeqvuntur. A Nerva ad Antoninum Pium* quatuor *reliqui. L. Veri & M. Aurelii* quintus decimus. *Deinceps Commodi quæ fuerunt in* ſextum decimum *conjecimus. Pertinacis usque ad Peſcennium Nigrum Juſtum, (ſic enim in ejus numo aureo lego) Clodium Albinum & Severum, in* ſeptimum decimum. *Getæ & Caracallæ in* decimum octavum. *Macrini & Elagabili in* decimum nonum: *poſtremo Alexandri numis explanandis* viceſimus *liber eſt dicatus: Maximini usque ad Hoſtilianum ſenem* viceſimus primus. *Duorum Philipporum* viceſimus ſecundus, *Decii usque ad Gallienos* viceſimus tertius. Hæc Vicus, cujus exſtat etiam tabula ſtematum, conſanguinitates & affinitates primorum duodecim Imperatorum complexa, & per numiſmatum imagines, additasque annotationes illuſtrata, Venet. 1554. fol.

Cæſarum, ab utriſque vero primi Operis ſegmina plurimum differant. Cæterum his in Reliquis Numiſmatum averſæ partes repræſentantur, Imperatorum à Nerva ad Lucium Verum, Auguſtarum à Plautina ad Saloninam; *p)* atque illæ cum Zantano, hæ cum priorum Auguſtarum Imaginibus compingi ſolent.

IX. WOLFGANGUS LAZIUS.

WOLFGANGI LAZII, Viennenſis Medici, opera aliquot habemus, è quibus hunc Numiſmatum utilitatem cognoviſſe intelligimus, quanquam in illis plurima ægri commenta reperiri moneat Gutherius, *q)* Reineſius *r)* vero ejus ὡς ἀνοργιάστου τινὸς καὶ ἐξεμοῦντος ὃ οὐκ ἔπεψεν, errores infinitos eſſe teſtetur: ſed hæc inter libros XII. de variarum gentium Migrationibus *s)* & Commentarios rerum Viennenſium *t)* cur Philippus Labbe recenſuerit non videmus, in quibus nummi aut nulli ſunt, aut ſane pauci: nos tria tantum memorabimus, atque ex his ipſis primum,

1. *Republicæ Romanæ in exteris Provinciis bello acquiſitis conſtitutæ, libri XII.* Baſileæ 1551. fol, Francofurti 1598. fol.

ne prætermittamus, temporum quibus conſcriptum eſt conditio facit; perpauca enim illic Numiſmata occurrunt in buxo, libri ornandi magis, quam orationis illuſtrandæ cauſa expreſſa: alterum

2. *Commentationum rerum Græcarum libri II. in quibus tam Helladis quam Peloponneſi, quæ in lucem antea non venerunt, explicantur.* Viennæ 1558. fol. *item* Hanoviæ 1605. fol.

ad inſtiturum noſtrum magis pertinet; ſed cum duæ hujus editiones prodierint, Viennenſis quæ ab ipſo Lazio adornata eſt, Helladis primum, ac deinde Peloponneſi Numiſmata quæ in univerſo opere explicantur, item utriusque tractus Chorographiam, nummorum averſis partibus inter-

p) Hæc ſecunda pars Auguſtarum à Plotina ad Saloninam è ſchedis Vici lucem vidit primum Romæ 1584. 4. Exſtant & à Vico ſcalpta aliquot antiqua monumenta ex gemmis & cameis. ibid. 4to.

q) Gutherius lib. 2. de officiis domus Auguſtæ cap. 7.

r) Reineſius III. Variar. Lect. p. 612. cui geminum quod Velſerus de Lazio, *ingeſſiſſe eum multa, digeſſiſſe pauca.* Ep. 3. ad Lipſ. p. 817. Opp.

s) Baſil. 1572. Francof. 1600. fol, *t)* Baſil. 1540. fol.

tertextam, authoriſque non conſilio ſolum, ſed manu etiam deſcriptam, quatuor buxeis tabulis comprehenſa exhibet; contra in Hanovienſi nummi omnes in ſua quique loca diſtributi ſunt.

Enimvero cum ſuperioribus operibus ſi minus docti, at ſaltem diligentis & ſtudioſi ſcriptoris famam Lazius retulit; tum egregiam laudem retuliſſet ex numismatum ſerie prope immenſa quam publicare parabat, cujusque conſpectum dedit in una tabula longiuſculis Commentariis illuſtrata.

3. *Commentariorum veterum Numiſmatum, maximi ſcil. Operis, & quatuor ſectionibus multarum Rerumpublicarum per Aſiam. Aphricam & Europam antiquitatis hiſtoriam &c, comprehendentis, ſpecimen exile, ceu ex tecto tegula quædam, C. Julii Cæſaris, Auguſti & Tiberii Cæſarum monetam, ſi quæ ex argento in forulis S. R. R. M. extat, explicans, tabulam videl. Sectionis tertiæ partis ſecundæ primam.* Viennæ 1558. fol.

ſed cum ingentem Numismatum vim collegiſſet, (ſeptingenta millia fuiſſe ſcribit, quod nemini ſano unquam perſuaſerit, quanquam de hoc numero deinde nimium à quibusdam *u*) detractum fuiſſe infra monebimus) Chalcographum qui hæc in æs incideret nullum Viennæ reperit; quamobrem hæc ipſe in æneis tabulis deſcribere aggreſſus eſt, quales præter eam quæ in ſpecimine viſitur, aliquot à ſe conſpectas Andreas Morellius teſtatur: quod quidem ab uno homine perfici non potuiſſe conſtat; præſertim intra ſeptem annorum Spatium; immatura enim morte raptus fertur anno 1665. *x*) cum annum ætatis quinquageſimum primum vix eſſet auſpicatus. Cujusmodi porro eſſent quatuor illæ ſectiones quæ in ſpeciminis elogio memorantur, cum id ſilentio prætermiſerit Lazius, fruſtra quæras; quanquam tertiam Numiſmata Imperatorum tot partibus, quot è metallorum generibus fere conflata ſunt, complexuram fuiſſe ſatis conſtat. Atque inde intelligitur ſuſceptæ hujus ſeriei laudi nimium detraxiſſe laudatum Morellium, dum hanc ſeptuaginta omni-

u) ab Andrea Morello in ſpecimine rei nummariæ antiquæ p. 9. ſeq. ubi ipſe V. Cl. pollicetur collectionem 25000 nummorum, longe majorem quam ſperare potuit aliquis qui Carolo Patino crederet vix 7000 in cimeliarchiis reperiri.

x) 19. Junii. Vide Lambecium lib. 1. p. 37. ſeq.

omnino tabulis comprehendi, nec ultra quatuor nummorum millia excrescere debuisse conjecit; quod enim ille de universo opere opinatus est intelligi debere, septuaginta scil. tabulis absolutum iri, hoc Lazium de altera tantum sectionis tertiæ Parte scripsisse nemo negaverit, opinor, qui trium duntaxat Cæsarum Numismata argentea in una tabula expressa esse didicerit.

X. SEBASTIANUS ERIZZO.

SEBASTIANUS ERIZZO, y) Patritius Venetus, qua genere, qua scriptis clarus, tractatus tres ad rem Nummariam pertinentes patria lingua composuit; primum in quo perdifficilem & perobscuram de antiquo Numismatum usu quæstionem agitat, num a veteri moneta distinguenda sint, & distinguenda esse censet: z) alii duo observationibus constant in nummos Familiarum Romanarum, & Cæsarum ad Constantinum usque. Horum porro tractatuum editiones aliquot ab illustrissimo auctore recognitæ & auctæ circunferuntur; sed omnium amplissima titulum hunc præfert:

Discorso di M. Sebastiano Erizzo sopra le Medaglie de gli Antichi, con la Dichiaratione delle Monete Consulari, e delle Medaglie degli Imperatori Romani: di nuovo in questa quarta editione dall' istesso Authore revisto & ampliato. In Vinegia 1559. 4. a)

in qua, si cælaturæ elegantia scriptionis diligentiam æquaret, nihil propemodum ut in illius ætatis opere desiderari potuisse videtur, nunc illa omnino destituitur; quamobrem sola Imperatorum Numismata buxo incisa, omissamque Consularium scalpturam minus dolendum est.

XI. GABRIEL SIMEON.

XII. ANTONIUS CHAPPUYS.

GABRIEL SIMEON, Florentinus, cum vetera monumenta studiose conquireret, nummos non neglexit, sed opera ejus indicasse sufficiet:

C 1. *Illu-*

y) *Ericius* Lambecio lib. 7. p. 37. Thuano *Echinus* ad A. 1585. qui emortualis illi fuit. Erizzo Italis, quod Græcis & Latinis Echinus.

z) Hanc Erizii sententiam oppugnat Ludovicus Savotus de numis antiquis parte 1. licet nonnulla numismata ab usu monetæ exempta fuisse nec ipse diffitetur. T. XI. thesauri Antiquitat. Rom. Græviani p. 1149. seq.

a) Exstat & editio Venet. 1568. 4. in quibusdã exemplis 1571.

1. *Illustrationi de gli Epitafi e Medaglie Antiche.* In Lione 1558. 4.

quæ eodem anno Gallice versæ, cum hocce titulo prodieruut:

Les illustres Observations Antiques b) du S. Gabriel Simeon Florentin en son dernier voyage d'Italie; l'an 1557. Lyon 1558. 4.

2. *Dialogo pio e speculativo.* In Lyone 1560. 4.

postremo Italicam Limanes Arverniæ Provinciæ descriptionem, quæ diligentiam nostram adhuc effugit; sed eam in Gallicum setmonem ab ANTONIO CHAPUYS, Delphinate, vorsam vidimus:

3. *Description de la Limagne d'Auvergne en forme de Dialogue, avec plusieurs Medailles, c) &c.* Lyon 1561. 4.

varia quidem eruditione referta; in quibus tamen præcipuam Numismatum rationem à Simeone habitam fuisse constat; plurimis enim in buxum incisis distincta sunt, quæ doctus Florentinus solerter & accurate exposuit.

XIII. CONSTANTIUS LANDUS.

Duobus Italis temporum ordo exigit ut tertium adjungamus, CONSTANTIUM LANDUM, Complani Comitem Placentinum: ab hoc primum edita

In D. Antonini Pii Consecrationem, & Claudii Neronis Cæsaris decursionem, Castorisque & Pollucis Numisma explicatio. Mediolani 1556. 4.

cum eruditorum plausu excepta esset, eandem post quadriennium una cum enarratione aliorum octoginta circiter Numismatum Romanorum (duo tamen sunt Lysimachi *d*) Græca) in publicam lucem protulit,

Constantii Landi &c. in veterum Numismatum Romanorum Miscellanea e) Explicationes. Lugduni 1560. 4.

lauda-

b) in hoc opere quod Carolo Cardinali Lotharingo Simeon inscripsit, subinde allegat Observationes suas militares.

c) Statues, Oracles, Epitaphes & autres choses memorables de l'Antiquité. *d*) & Antiochi Soteris, Syriæ Reg. Numi Romanor. Imperatorum sunt à Cæsare ad Justinianum, sed nullo certo ordine. *e*) Subjicitur etiam explicatio inscriptionis veteris sepulchralis M. Crassi civis Rom. Caspar Sagittarius p. 594. introduct.

laudabili sane consilio, quanquam Numismata illic non pauca, & minus accurate descripta, & perverse exposita occurrant; sed præterquam quod habenda est ratio ætatis qua scribebat, plurima etiam habet, quæ non Romanæ solum, sed veteris quoque superstitions historiæ, necnon Virtutum emblematis & symbolis non modicam lucem affundunt. Hunc librum annis ab hinc viginti, & quod excurrit, procudit Balduinus Vander Aa, eique cælaturam nummorum addidit, quæ in veteri editione desiderabatur: titulum etiam hunc in modum recudit:

Constantii Landi, &c. selectiorum Numismatum, præcipue Romanorum expositiones, elegantibus nummorum ectypis, & indicibus necessariis instructæ. Lugduni Batav. 1695. 4.

XIV. HUBERTUS GOLTZIUS.

Hubertus Goltzius, Herbipolita Venlonianus, natus A. 1526. *f)* diligentia in conquirendis, & sagacitate in interpretandis Numismatibus qua Latinis qua Græcis immortalem gloriam sibi peperit; quanquam quæ edidit, pleraque à *Marco Laurino* Brugensi, *g)* doctissimo, & Antiquitatis studiosissimo viro conscripta nonnulli produnt: sed sive Laurini, sive Goltzii opera quinque locum sibi hoc in Indice vindicant; primum,

1. *Thesaurus rei Antiquariæ huberrimus, ex Antiquis tam Numismatum quam Marmorum Inscriptionibus pari diligentia qua fide conquisitus ac descriptus, & in locos communes destributus.* Antverpiæ, 1575. fol. ibid. 1618. & 1644. fol. *Jacobi Biæi cura.*

troduct. in Hist. Eccles. ait Venetiis antea opus Landi prodiisse, Hankiumque auctorem laudat. Sed Venetam illam editionem neque Hankium neque alium qvenqvam video memorare.

f) Goltzius pictor scalptorque peritissimus natus Venlonæ in Geldria, patre Rutgero Goltzio Herbipolitano sive Würtzburgensi, ut post alios recte notat idem Hankius 1. de Rom. scriptor. c. 67. p. 238.

g) Vide Goltzii præf. ad Cæsaris numismata, Valerium Andream Bibl. Belg. p 639. Francisci Sweertii Athenas Belgicas p. 523. seq. Jac. Rævardum præfat. ad Laurinum, commentario in Leges XII. tabular. præmissa.

quo in libro recludit Goltzius, quidquid ex universis veterum monumentis, hoc est prope infinitis marmorum, tabularum æ nearum, & numismatum inscriptionibus collegerat; quæ ad Deos & res sacras, necnon ad Urbem Romam spectant; Imperatorum, Augustarum & Cæsarum seriem, nomina, titulos & honores; quæ ad rem militarem pertinent, cum Legionum & Cohortium nominibus; Magistratus, Dignitates, & munera publica; necessitudines varias; Officia Domus Augustæ, privataque, Collegia, corpora, artes; Fastos Kalendares; Tribuum Romanarum, Regionum, Oppidorum & Fluminum, Coloniarum & Municipiorum, Regum ac Reginarum, denique eorum qui vel Romæ, vel in Coloniis ac Municipiis, vel in urbibus Græcis Magistratum aliquem gessere nomina; cum elenchis duobus, Historico qui res maxime memorabiles, & Grammatico qui varias scribendi formas minus usitatas, dictionesque obsoletas & raras complectuntur; necnon explicatione perutili notarum & literarum singularium, dictionumque per compendium scriptarum. Thesauro recte subjungetur

2. *Sicilia & Magna Græcia, sive Historiæ Urbium & populorum Græciæ ex antiquis Numismatibus restitutæ liber primus.* Brugis Flandrorum 1576. * fol.

in quo Siciliæ urbium duodecim, Regum duæ, Græcorum etiam in Italia oppidorum, necnon Massiliæ, & ejus coloniæ Antipolis tres ac viginti æneæ Numismatum tabellæ affabre scalptæ visuntur, cum accurata Siciliæ & Italiæ descriptione, amplissimaque eorum quæ ad singularum urbium origines, situm & varios casus spectant, enarratione. Additi indices duo nummis intelligendis apprime utiles; in quorum primo notæ singulares, & ea quæ per nexus comprehensionesque literarum sibi implexarum, vel alioqui per compendium in nummis scripta sunt, explicantur; alter quæ in iisdem aut leguntur aut spectantur memoratu digna, recenset: cæteras velut appendices, dissertationem de Coloniis Græcorum, Inscriptiones quæ ad Italiæ urbes pertinent, Siciliæ historiam ab Augusto, ut titulus præfert, verius à Saracenorum Imperio ad Carolum Quintum, ejusdem & Italiæ Regum, necnon clarorum Siculorum Elenchos indicasse sufficiet. Porro cum perpauca hujus libri exemplaria, velut in specimem deprompta prodiissent, *Jacobus Biæus*, vir

* Quibusdam exemplis præfixus Annus 1581.

vir in ſcalpendi arte celeberrimus, Goltzianas tabulas aliquot Numismatibus auctas iterum publicari curavit Antuerpiæ anno 1618. hisque *Andreas Schottus* Hiſtoriam & cætera quorum meminimus à ſe interpolata & recenſita, ſubinde expreſſis in margine Auctorum locis, adjecit. Cæteræ quæ ſecutæ ſunt editiones, *b*) hanc omni ex parte repræſentant.

Similem operam populis omnibus, apud quos Græca lingua olim viguit, impendere conſtituerat Goltzius, cum univerſum Græciæ Nummis antiquis illuſtratæ opus quatuor inlibros diſtribuiſſet, quorum primum deſcripſimus; ſecundus univerſum illum tractum qui à Pontico litore ubi Iſter amnis immergitur, ad Mediterraneum mare porrigitur; tertius Aſiam, quam vocamus, Minorem, Syriam, Phœnicen, Ægyptum & Africam, quartus denique plerasque Inſulas complexuri erant; ſed affecto opere, cum præſtantiſſimus vir annos octo ferme ſupra quinquaginta natus, ex hominum numero exemptus eſſet anno 1583. *i*) disjecta quæ ſingulari diligentia ære expreſſerat, Numismata aliquandiu delituerunt, donec eorum partem comparavit laudatus Biæus, cujus cura factum eſt, ut *Ludovici Nonnii* Comentario illuſtratæ prodirent reliquiæ auro quovis, ut ipſe dicebat, contra caræ,

3. *Ludovici Nonnii Commentarius in Huberti Goltzii Græciam, Inſulas & Aſiam Minorem.* Antuerpiæ 1620. fol.

Cæterum quid à Nonnio hoc in opere præſtitum ſit, alio loco *k*) dicturi ſumus; ſed de æneis Numismatum tabellis pauca hic adnotanda videntur, ut appareat quantam jacturam Antiquitatis ſtudioſi fecerint. Quæ igitur ſecundo libro deſtinatæ erant, viginti octo Urbium, Macedoniæ Regum decem, omnes publicatæ ſunt: perpaucæ etiam in tertio quem Nonnius quartum eſſe voluit, cujusque tabulas XXI. exhibuit, dnſiderari videntur, ſed tertii interciderunt pæne omnes, ex clariſſimis enim XIX. Aſiæ & Africæ Provinciis, quinque ignobiliorum duntaxat, Colchidis, Cappadociæ, Galatiæ, Ponti, Bithyniæ Numismata quatuor tabulis expreſſa ad nos pervenerunt.

Ut in Græcis, ita in Romanis Antiquitatibus cum ingenti ſucceſſu ſeſe exercuit Huberti Goltzii induſtria; tametſi enim fuere olim *l*) qui laudi

b) Antverp. 1644. fol. *i*) Brugis Flandriæ. *k*) num. XLVII.

l) Finxiſſe nummos quosdam Conſulares, gravis eſt ſuſpicio, inquit

laudi ejus detraherent, ſuſpicione injecta, quaſi plurimis genuinis numismatibus, nonnulla quæ in mundo non erant ſciens ac volens admiſcuiſſet; eorum tamen quæ in dubium revocaverant, non pauca è tenebris deinde eruta fuiſſe certum eſt; in iis vero de quorum falſitate conſtat, deceptum hunc fuiſſe eo libentius credimus, quod idem Vico, Lazio, & cæteris qui rem Nummariam illa ætate tractaverunt, uſuvenit, ut recentes confictos Nummos ab antiquis haud ſatis certo judicio discernerent: quæ cum ab aliis jam animadverſa ſint, Eruditi Antiquarii famæ & exiſtimationi abunde conſultum exiſtimamus; quanquam nonnulla quoque in eandem ſententiam monere neceſſarium erit. Nunc incœptam ejus operum deſcriptionem exequamur. Primum Romanarum opus, hoc eſt

4. *Faſtos Magiſtratuum & Triumphorum Romanorum ab Urbe condita ad Auguſti obitum, ex antiquis tam Numismatum quam marmorum monumentis reſtitutos S. P. Q. R. Hubertus Goltzius &c.* DEDICAVIT. Brugis Flandrorum 1566. fol. *m)*

ſeptingentis propemodum Numismatibus diſtinctos: ſed ut Authoris diligentia, indefeſſumque ſtudium cognoscantur, quid hic præſtiterit, breviter ediſſeremus. Igitur Faſtos Magiſtratuum Romanorum, cum ex antiquis monumentis, tum ex aliorum ſcriptis in ordinem digeſſit, nominaque Magiſtratuum & Triumphos in æneas tabulas ſcitiſſime

Carolus Patinus p. 62. Hiſtoriæ numiſm. & 192. Idem præf. ad numiſmata Imp. ait ſe ex nummorum typis nullum admiſiſſe niſi quorum ipſe prototypos oculis uſurpaſſet. *Ne*, inquit, *in ullum errorem vel inciderem ipſe, vel alios inducerem quo Hubertus Goltzius tantâ cæterum ex his artibus fama celebris, tertiam partem faſtorum ſuorum conſularium iis numiſmatum exemplis implevit, quorum genuinas origines nemo unquam hominum vidit, nemo fortaſſe videbit unquam.*

m) Gabriel Dartis, Gallus qui A. 1694. Diarium eruditorum Hamburgi Gallice dedit in 8vo. *Journal d' Hambourg* T. 1. p. 77. memorat & p. 81. ſeq. prolixius deſcribit Gallicam horum faſtorum verſionem MS. paginis 710. in folio conſtantem, pluribusque in Goltzii Opus & ejus tabulas æneas obſervationibus copioſis magnaque induſtria compoſitis neſcio quo auctore refertam.

ſime tranſcripſit; iisdem vero tabulis nummos adjunxit, primum eos in quibus veterum Regum vel expreſſi vultus, vel præclare geſta in hominum memoriam revocata ſunt; deinde quoscunque reperire potuit, in quibus Conſulum, Dictatorum, Magiſtrorum Equitum, Cenſorum, & eorum qui triumphum aliquem egerunt ab anno V. C. CCCCLXXXIV. nomina impreſſa ſunt, quanquam horum nummorum plerosque, non in iis quidem Conſulatibus, quibus adſcripti & adſignati ſunt, ſed vel ab iisdem illuſtribus viris in alio Magiſtratu, vel ab eorum poſteris indulgentia Senatus percuſſos fuiſſe conſtet. Subtexta ſunt à Goltzio velut corollaria quædam, Catalogus, ſive enumeratio Conſulum qui poſt Auguſti obitum ad Juſtinianum ſub uno quoque Imperatore fuere, una cum triumphis (& Tyrannis;) Diſſertatio de origine & ſtatu Populi Romani, Magiſtratuumque apud Romanos initiis & mutationibus; & animadverſiones in aliquot Faſtorum locos: verum ſi genuina ſunt Numismata quorum illic meminit, quæque in Theſaurum etiam ſuum congeſſit, Marci Marcii, & M. Aurel. Severi Hoſtiliani Auguſtorum, necnon plerorumque Tyrannorum qui Romanum Imperium Gallieni ætate dilacerarunt, miſeros profecto nos & infelices, quibus hæc tantum oſtenſa ſunt, ut ſciremus quibus divitiis res literaria careret; ſed fucum hic factum fuiſſe Goltzio, cujus nimirum eximio veterum monumentorum amori illuſerint impoſtores quidam, quales illa ætas plurimos tulit, eruditis viris jam olim ſoboluit; quanquam haud improbabilis eſt Jo. Vaillantii ſententia, quem ferunt ſæpe dixiſſe, vix adulterinos & recentes videri ſibi eos nummos, quos harum rerum adeo peritus vir tam accurate, tamque eleganter expreſſiſſet: viderat enim in Theſauro Regio M. S. Codicem, *n*) qui antea Joan. Jac. Chiffletii fuerat, in quo ſervantur *Numismata Imperatorum, Imperatricum, & Cæſarum Romm. aurea, argentea & ærea (pleraque Latina, nonnulla Græca) à Julio Cæſare ad Juſtinianum* à Goltzio deliniata; & in ejus Appendice, quæ Tyrannorum Gallieni ætate numismata complectitur, forte adverterat numismata Juniæ Donatæ & Lolliani, quæ laudatus Chiffletius inde expreſſa edidit in Luminibus Prærogativis. * Faſtos Goltzii Andreas Schottus recudi curavit, iisque notas perpaucas & Faſtos Siculos adjecit, titulum etiam mutavit:

5. *Faſti*

n) De hoc codice Claudius Nicaſius in præf. ad diſſ. de numo pantheo.
* infra, num. LXXI.

5. *Fasti Magistratuum & Triumphorum Romanorum ab Urbe condita ad Augusti obitum ex antiquis tam Numismatum quam marmorum monumentis.* Antuerpiæ 1620. fol.

Romanorum etiam Imperatorum Historiam *o*) è Numismatibus restituere aggressus erat Goltzius; sed ejus concertationis duos tantum libros habemus, quos, quia eodem consilio compositi sunt, simul describemus:

6. *C. Julius Cæsar; sive Historiæ Imperatorum Romanorum ex antiquis Numismatibus restitutæ, liber primus.* Brugis Flandrorum 1563. *p*) fol.

7. *Cæsar Augustus, sive Historiæ Imperatorum, Cæsarumque Romanorum ex antiquis Numismatibus restitutæ, liber II.* Brugis Flandrorum 1574. fol.

His in libris C. Julii Cæsaris Numismatum sedecim, Bruti, Cassii, aliorumque Cæsaris percussorum tres, Lepidi novem; Marci Antonii, decem & octo; Augusti una supra octoginta tabulæ æneæ visuntur; cum pleniori de eorum vita ac rebus gestis Commentario. Quæcunque autem singulorum Numismata in hisce tabulis continentur, in plura capita distributa sunt; quorum primum eorum vultus exhibet, sequentia partes aversas, sive diversa rerum simulacra & symbola, quæ in posteriore Numismatum parte spectantur, proponunt, in eum ordinem digesta, quem temporum & rerum gestarum ordo, & ipsa argumentorum similitudo exigere videbantur. Additæ notæ, præter eas quibus nummorum magnitudo & metallum significantur, (quales in omnibus libris suis accurate expressit Goltzius) aliæ in aversis partibus, quæ, cui capiti sive faciei singulæ respondeant & attribuendæ sint, indicant. Hos deinde libros simul compactos edidit Ludovicus Nonnius, idem cujus mentionem supra * fecimus; ad eosque addidit tabulas quatuor in qui-

o) Exstat & aliud Goltzii opus compendiarium, quo Imperatores Romanos & Orientis atque Occidentis à Julio Cæsare ad Ferdinandum primum persequitur, singulorumque imaginem ex numis, & vitam breviter descriptam exhibet. Antwerp. 1557. fol. non Latine modo sed etiam eodem anno Italice, *li medaglioni e le vive imagini di quasi tutti gl' Imperatori.* Et Gallice, Antwerp. 1561. fol. Latine iterum ibid. 1645. fol.

p) & 1573. * supra pag. 21.

quibus pleraſque Tiberii numorum adverſas partes cælaverat Goltzius, cum aliis quinque averſarum partium, Nicolai Roccoxi Equitis, & Conſulis Antuerpiani cura & ſumptibus, è XII. Cæſaribus Zantani ab Ænea Vico reſtitutis excerptarum; ſed Hiſtoriam à Goltzio ſcriptam ſuppreſſit, & in ejus locum ſingulorum Vitas ex Svetonio, breveſque in Numiſmata Commentarios ſubſtituit: libri titulus hic eſt:

Ludovici Nonnii, Commentarius in Numiſmata Imp. Julii, Auguſti & Tiberii, Huberto Goltzio ſcalptore. Antuerpiæ 1620. fol. o)

XV. JOANNES SAMBUCUS.

Joannes Sambucus, Tyrnavienſis Pannonius, Goltzio ſuppar, anno ſcil. 1531. natus, eodem quo ille anno 1583. p) obiit: hujus mentionem facere plerique ſolent, quanquam in his ſtudiis parum utiliter verſatus ſit: quid enim attinebat Numiſmatum admodum quinquaginta, Romanorum à Græcis indiſcretorum, rudem in buxo picturam cum nullis Commentariis proponere? ſæpius repetitæ hujus libelli editiones; ſed primam omnium, quam cæteræ q) repræſentant, indicaſſe ſuffecerit:

Emblemata, r) & aliquot nummi, antiqui operis. Antverpiæ 1566. 4.

XVI. ABRAHAM ORTELIUS.

Abrahamum Ortelium, Antuerpianum, quia Numismatibus ad urbium nomina è tenebris eruenda s) ſubinde utitur, tametſi ea indicat tantum, ac plerumque ne deſcribit quidem, inter rei Nummariæ ſcriptores referre quibuſdam placuit, ſed ut horum meminiſſe juvat, qui Num-

o) recuſus ibid. 1644. fol.

p) Viennæ Auſtriæ A. 1584. Idibus Junii. Vide Lambecium T. 1. p. 41. & Dav. Czvittingeri Hungariam literatam p. 324.

q) ut Antwerp. 1576. 8vo. & minore forma. r) CCL.

s) in theſauro Geographico, Antwerp. 1596. fol. Hanov. 1611. 4. & parergo, quod theatro orbis terrarum ſubjectum exſtat ibid. 1573. 1603. fol. atque veterem Geographiam illuſtrat. Nec non in Synonymis Geographicis, Antwerp. 1578. 4.

morum ope vel Chronologiam, vel Geographiam restituere, cæteras antiquitates illustrare conati sunt, ita singula eorum opera recensere tædet. Ac mihi quidem videtur, si hic referri debeant scriptores omnes, qui integerrimis illis veteris ævi monumentis usi Ortelii ætate fuerunt, non magis hujus quam JOANNIS PIERII VALERIANI rationem habendam fuisse, quippe qui in eo libro quem inscripsit, *Hieroglyphica*, & Basileæ anno 1566. in fol. prodire jussit, *t*) præter Ægyptiorum mysteria, exposuit etiam numismata aliquot antiqua: nec omittendum etiam esse JOANNEM ROSINUM, Jsennacensem Thuringum, qui ex *Romanarum Antiquitatum libris decem è* variis scriptoribus summa fide & singulari diligentia collectis, [Basileæ 1583. fol.] alterum de Romanorum Diis, & tertium de collegiis sacerdotum, nummis nonnullis in buxo incisis distinxit: postremo JUSTUM LIPSIUM, Jscanum Belgam, ob Commentarios in Corn. Taciti opera, librum de Cruce; de Vesta & Vestalibus syntagma: unum tamen Ortelii opus memorari hic potest;

Deorum Dearumque capita ex antiquis Numismatibus collecta. Antuerpiæ 1573. 4.

quanquam in ipso non Numismata, sed singulorum quos vana superstitio fecit, Deorum effigies cum signis suis, qualia his in variis Numismatibus attribuntur, exhibeat; nec omnium quidem, sed eorum duntaxat quos juxta Græci Romanique coluerunt. Alteram hujus libelli editionem quæ Antuerpiæ anno 1602. prodiit, *x*) eruditis notis auxit Franciscus Swertius Antuerpianus.

XVII. ONUPHRIUS PANVINIUS.

Ut Geographiæ Ortelius, ita Fastorum parens merito dicitur ONUPHRIUS PANVINIUS, Veronensis *y*) qui tametsi in variis operibus, quibus

t) recusa Basil. 1567. 1575. fol. Lugd. 1602. 1626. fol. Venet. 1604. fol. & Francof. 1678. in forma quarta majore.

u) sæpissime deinde recusis cum paralipomenis Thomæ Dempsteri quæ lucem viderunt primum Paris. 1613. fol.

x) Hæc editio cum Swertii notis recusa in Tomo VII. thesauri Antiquitatum Græcarum curante V. Cl. Jacobo Gronovio. Lugd. Bat. 1699. fol. Obiit Ortelius A. 1598. Antwerpiæ major septuagenario.

bus præclaram eruditionis famam consecutus est, quanti veteres nummos faceret, quantumque per eos profecisset sæpe ostenderit, uno tamen in quo ludos Circenses tam accurate quam eleganter descripsit, Io, cum sibi in Bibliotheca nostra vindicat. Hoc Venetiis anno 1570. prodiisse ferunt, nos editionem multo recentiorem vidimus cum hoc titulo:

> *De Ludis Circensibus libri duo, de Triumphis liber unus cum notis Joan. Argoli, & additamento Nic. Pinelli. Adjectis &c. Joachimi Joh. Maderi notis, & figuris in libro de Triumphis.* Patavii 1681. fol. *z.*)

in qua quidem Numismata ferme quinquaginta, eximia veterum Theatrorum & Ludorum monumenta, apparent à Jac. de Strada Panvinio impertita, & cum eo communicata, eadem omnino forma qua depicta sunt in Bibliotheca Cæsarea *a*) nisi quod Onuphrius noster, ut sumtui parceret, omissis capitibus, intra aversarum ambitum, cujusnam Principis quæque foret, monuit.

XVIII. FULVIUS URSINUS.

Fulvium Ursinum, Romanum, sempiternæ gloriæ commendant

 Fami-

y) Obiit Onufrius (quem Patrem Historiæ appellant Scaliger & Casaubonus) Panormi A. C. 1568. ætat. 39. Scripta ejus accurate ac diligenter enarrat præter Dan. Guil. Mollerum diss. de Onufrio, Altdorfii 1697. editam, Martinus Hankius ὁ μακαρίτης libris de Rom. rerum scriptoribus. Ex illis hic locum etiam poterat invenire Onufrii Fastorum editio Veneta 1557. fol. quæ imagines Imperatorum ex numis Jac. Stradæ adpictas habet, commentarios Onufrii non habet, qui additi sunt in editione Heidelbergensi, 1588. fol. sed imagines illæ prætermissæ.

z) Libri de ludis Circensibus & triumpho ex hac Patavina editione recusi sunt Tom. IX. thesauri Antiquitat. Romanar. Græviani Ultraj. 1699. fol. Liber de triumpho cum Maderi notis viderat lucem Helmst. 1675. 4. Libri de ludis Circensibus cum notis Argoli & additamento Pinelli, Patav. 1600. fol. Omitto editiones sine notis Venetam 1600. & Parisiensem 1601. 8.

a) In opere Stradæ MS. de quo supra, num. V.

Familiæ Romanæ quæ reperiuntur in antiquis Numiſmatibus ab Urbe condita ad tempora D. Auguſti. b) Rom. 1577. fol.
quod opus divinum appellare ſolebat Joſeph Cæſar Scaliger, *c*) Spanhemius vero in illo non tam priſca Romanorum ſtemmata agnoſcere, quam ipſam veteris Reipublicæ imaginem cernere *d*) ſibi videbatur. Accuratiſſimam Familiarum Romanarum hiſtoriam hic exhibet Urſinus, ſeptingentis propemodum Numiſmatibus diſtinctam, è quibus ſeptem aut admodum octo in Regio Galliarum Theſauro deſiderari Vaillantius *e*) monuit: hæc ad unum exemplum æneis tabellis expreſſa ſunt, cum notis quæ cujusque metallum & formam indicant; cur vero eorum enarrationem neglexerit doctiſſimus vir non video, quam apprime utilem fore ignorare non debuit, & ipſe optime omnium præſtare poterat; quanquam hæc ipſa non omnino deeſſe videtur; utut enim non omnia quæ in nummis conſignata ſunt Antiquitatis monumenta explicaverit; quæ tamen in iis ſingularum Familiarum originem demonſtrarent, clarorumque ex iis virorum geſta illuſtrarent, diligentiſſime indicavit. Cæterum alia Fulvii Urſini opera videre contigit, in quibus Numiſmatum ope ad renovandam veteris ævi memoriam ſubinde utitur; qualia ſunt, Notæ ad varia Hiſtoricorum fragmenta, *f*) ac
Imagines & Elogia Illuſtrium virorum. Romæ 1570. fol. *g*)
ſed

b) *Cum adjunctis XXX. familiis ex Antonio Auguſtino.* Archiep. Tarraconenſi, à quo ſummopere dilectum Urſinum narrat Joſephus Caſtalio in ejus vita. Hoc illius opus auxit poſtea *Carolus Patinus*, & multis partibus anteivit *Joannes Foy Vaillant.* Vide infra, num. CVII. 1. & CLIX. 4. & de *Abrahamo Gorlæo*, XXXIV.
c) Joſephus Juſtus Scaliger, Cæſaris F. in Scaligeranis p. 364.
d) Ez. Spanhem. diſſ. X. de uſu numiſm. T. 2. edit. novæ p. 3.
e) Opere de familiis Rom. in præfat.
f) Fragmenta Hiſtoricorum Vet. Latinorum collecta ab Antonio Auguſtino, & à ſe emendata edidit Fulvius Urſinus, Antwerp. 1595. 8. quibus notæ ejusdem non in illa fragmenta ſed in Cæſarem, Salluſtium, Livium, Vellejum, Tacitum, Sveton. & Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores leguntur, inquibus advocantur quandoque nummi etſi rariſſime ut p. 120. ſeq. 186. 489. ſeq.
g) Hoc opus auctius excuſum Antwerp. 1598. 4. à Theodoro Gallæo, & cum Joannis Fabri Medici commentario 1606. 4. cujus

ſed ad Bibliothecam Hiſtoricam ableganda videntur; cum in hoc viginti ſolum nummi qua Conſulares qua Græci; in illo haud multo plures, atque ex iis quidam falſi ſuſpecti exhibeantur.

XIX. ANNIBAL CARO.

Urſini amicus fuit ANNIBAL CARUS, Eques Melitenſis, vir apprime doctus, qui Numiſmata quidem bene multa collegerat, ſed nihil quo illuſtrarentur edidit, præter Epiſtolam ad Urſinum, in qua typos Hilaritatis, Lætitiæ, Pacis, Munificentiæ, Securitatis, Annonæ, Æquitatis, quot viderat, exhibuit: hæc cum cæteris ejus Epiſtolis *h*) a nobis conſpecta eſt.

XX. LÆVINUS TORRENTIUS.

LÆVINUS TORRENTIUS, *i*) Gandenſis, Antuerpianæ Eccleſiæ Præſul, mirum quam impenſam operam Suetonio dedit; eximium enim Scriptorem non à Librariorum ſive incuria, ſive imperitia vindicavit ſolum, ſed comparatis etiam undique ad reſtituendam XII. Cæſarum Hiſtoriam ſubſidiis illuſtravit: inter quæ præcipuam Numiſmatum rationem haberi debere cum doctiſſimus vir non ignoraret, in buxum incidi curavit haud pauca, quibus Commentarios ſuos appoſite intertexuit:

C. Suetonii Tranquilli XII. *Cæſares, & in eos Lævini Torrentii Commentarius auctior & emendatior.* Antuerpiæ 4.

anno ſcilicet 1578. *k*) quam editionem ſecutus eſt Hadrianus Beys in Collectione Variorum in Suetonium, Pariſiis excuſa anno 1610. fol.

 XXI. AN-

Gallica etiam verſio memoratur infra num. XXXV. Denique pleraque omnia ex Imaginibus Urſini iterum luculenter deſcripta ære exſtant in tribus primis voluminibus Theſauri Antiquitatum Græcar. Gronoviani Lugd. Bat. 1697. fol.

h) Epiſtolæ Annib. Cari lucem viderunt lingua Italica, Ven. 1592. 4.

i) obiit Bruxellis A. 1595. 6. Kal. Maj. ætatis 70. Ejus commentarius poſtumus luculentus in Horatium, cujus quoque Labbeus in numaria Bibl. facit mentionem, prodiit Antwerp. 1608. 4. Sed in eo nummorum rarius meminit.

k) Prodiit etiam Antwerp. 1591. 4. & in Svetonio Grævii, Variorum notis illuſtrato, Trajecti ad Rhen. 1672. 1691. & 1703. 4to. cui poſtremæ editioni etiam Caroli Patini commentarius adjunctus,

XXI. ANTONIUS LE POIS.

Antonius le Pois, *l*) Lotharingiæ Ducis Medicus, libro singulari de Nummis ac Gemmis antiquis ita disseruit, ut inter scribendum oculos in Æneæ Vici Opus, cujus conspectum superius *m*) dedimus, subinde reflexisse videatur; nam adeo simili argnmento sunt Tractatus hi duo, ut qui utrumvis recte norit, ambos norit; quanquam specimen utilitatis quæ ex nummis percipi potest, duplo amplius est in Lotharingi opere, quam quod à Vico exhibitum fuerat in altero concertationis libro: hic enim Numismata ex omni genere supra septuaginta in æs incisa cum gemmis aliquot antiqui operis, proponuntur & exponuntur:

Discours sur les Medailles & Graveures antiques, principalement Romaines, avec une exposition particuliere de quelques planches ou tables étant sur la fin du livre, &c. Paris. 1579. 4.

XXII. CLAUDIUS GUICHARD.

Claudius Guichard, *n*) Allobrox, cum usurpatos olim à variis gentibus funeris & consecrationis ritus exponeret, Numismata quæcunque reperire potuit, in quibus symbola hujus expressa erant, in æneis laminis scalpta ad disputationem suam ita accommodavit, ut mutuam lucem sibi præstarent. Libri titulus hic est:

Funerailles & diverses manieres d' ensevelir des Romains, Grecs, & autres Nations, tant anciennes que modernes. Lyon 1581. 4.

XXIII. REINERUS REINECCIUS.

Reinerum Reineccium, Germanum, inter eos qui rem Nummariam illustrarunt, referebat Rudolphus Capellus, ac nos quoque libenter referremus, quippe qui seriem hanc auctorum non parum ornaret; fuit enim, quantum illa ætas tulit, in historia veteri & nova pereruditus: sed unum superest opus, quod nummis distinxit, *Historia* scil. *Julia, sive syntagma Heroicum*, quod aliquoties editum est, *o*) in eoque opere,

qui ex numismatibus antiquis Svetonium illustravit. De eo infra num. CVII.

l) Labbeo, *Piso.* *m*) num. VIII.

n) amplissimis dignitatibus functus obiit A. 1607.

o) mihi tantum constat de una editione Helmst. 1594. 95. 97. fol.

opere, quod tribus voluminibus conſtat, quatuor duntaxat ac viginti nummi apparent, inter quos nonnulli demonſtrant, Reineccium in hoc ſtudiorum genere non multum profeciſſe.

XXIV. ANTONIUS AUGUSTINUS.
XXV. DIONYSIUS OCTAVIANUS SADA.
XXVI. LÆLIUS PASQUALINUS.

Sequitur Hiſpanorum longe doctiſſimus ANTONIUS AUGUSTINUS, Archiepiſcopus Tarraconenſis, cujus opere nullum ad ſuam ætatem prodiiſſe vel elegantius, vel ad rei Nummariæ ſtudium utilius monebat optimus harum rerum æſtimator Ezechiel Spanhemius. p) Hiſpanica lingua ſcriptus, & Tarracone in lucem editus eſt præſtantiſſimus liber:

Dialogo de Medallas, Inſcriciones y otras Antiguedades. En Taragona 1587. 4. q)

deinde in Italicam linguam ſemel atque iterum verſus eſt. Prima editio hunc titulum præfert:

I Diſcorſi del S. Don Antonio Agoſtini ſopra le Medaglie & altre Anticaglie. In Vinegia 4. r)

In altera quam adornavit DIONYSIUS OCTAVIANUS SADA, immutatum ejus elogium in hunc modum:

Dialoghi di Don Antonio Agoſtini, &c. intorno alle Medaglie, Inſcrittioni & altre Antichita, &c. In Roma 1592. fol. s)

Undecim in Dialogos univerſum Opus tribuit Antonius Auguſtinus; & in primo quidem poſtquam de veteri Romanorum moneta diſſeruit, utilitatis

p) præf. ad edit. A. 1671. libri ſui de uſu & præſtantia numiſmatum.

q) Nicolaus Antonius in Bibl. Hiſpana T. 1. p. 79. etiam antiquiorem editionem commemorat A. 1575. 4. Sed dubius, ut videtur.

r) Cum nec interpres, nec bibliopola nec annus expreſſus ſit, Labbeus notat locum editionis perhiberi Romam.

s) Mihi ad manus eſt editio Rom. 1650. fol. ubi duodecimus etiam dialogus additus extat, verſus Italice ex Latino Andreæ Schotti. Adjungitur etiam ad calcem Catalogus brevis ſcriptorum de re nummaria, in quo Italica dialogorum Ant. Auguſtini editio memoratur Veneta A. 1592. non buxeis ut Romana, ſed æneis ornata iconibus.

litatis quæ ex Numiſmatibus ad illuſtrandam Hiſtoriam percipi poteſt, ſpecimen præbet. Quatuor ſequentes in averſis nummorum partibus explicandis verſantur, quæ Virtutum emblemata, Provinciarum, Urbium, ac fluminum ſymbola, Romana ædificia; denique animalia Diis ſacra, horundem arbores, atque ipſa Deorum Dearumve ludibria repræſentant. Sextus Africæ & aliquot Galliarum Hiſpaniarumque nummos complectitur: ſeptimo denique & octavo veterum Hiſpaniæ urbium Numiſmata illuſtrantur; cæteri ad inſcriptiones magis pertinent, quanquam in undecimo nonnulla haud nauci habentur de adulterinis Numismatibus, ac de auctoribus qui operam ſuam vel ad colligendos, vel ad enarrandos veteres nummos contulerunt. Operi præfixa ſunt tribus & ſeptuaginta æneis tabulis affabre inſculpta Numiſmata omnis generis propemodum quingenta, quorum perpauca ad tertium Dialogum, cætera ad duos primos pertinent; nam quæ in aliis Dialogis memorantur, hæc ære exprimere per nimiam Roderici Capata *t*) cui ſcribebat Auguſtinus, properantiam non licuit, eademque effecit ut in poſtremis viginti tabellis eorum nummorum, qui Imperatoribus cuſi ſunt averſa pars duntaxat exhiberetur una cum appendicula, in qua adverſæ partis epigraphe & typus deſcripta ſunt.

Hiſpanicam editionem prima Italica propemodum repræſentat; altera multis partibus auctior: præterquam quod enim huic acceſſere Numiſmata quæ antea deſiderabantur ſupra trecenta, aliquot etiam Sadæ obſervationibus intertexta eſt ſane non aſpernandis: inſerta quoque in primum Dialogum, LÆLII PASQUALINI *u*) de Conſtantini nummis Diſſertatio eruditiſſima, ac ne operis ſeriem turbaret, in Dialogi formam converſa eſt. Illud etiam meliori conſilio factum videtur, quod nummi per univerſum opus in ſua quique loca diſtributi ſunt; ſed plane in horum

t) Labbeus in mantiſſa antiquariæ ſupellectilis, ubi de Anton. Auguſtino: *Franciſcus Ximenius de Urrea Capellanus Regiæ Maj. & Regni Arragonici Chroniſta, ut vocant, qui non pænitendas aliquot annotationes Mſs. ad marginem* (Hiſpanicæ edit. A. 1587. in Bibl. Raphaëlis Trichet du Freſne) *Hiſpanico pariter idiomate adſcripſit, Dialogos illos obſervavit ſcriptos fuiſſe ab Auguſtino* à inſtancia de Don Rodrigo Capata, ſuyo ſobrino.

u) obiit Romæ A. 1614.

horum ſcalptura majorem elegantiam requireres; hic enim in buxo inciſi ſunt, atque ut ſumptibus parceretur, horum qui Imperatoribus cuſi ſunt, ſingulorum unus ſculptus eſt integer, cæterorum averſam duntaxat partem tabellæ repræſentant intra circulum, in quo deſcripta eſt capitis epigraphe. Cæterum cujus quæque metalli & moduli fuerint, quæ publici juris faciebant numiſmata, Auguſtinus & Sada accurate monuerunt.

Hic monendus es, eoſdem Antonii Auguſtini Dialogos in Latinum ſermonem verſos *x)* ab Andrea Schotto fuiſſe; de cujus lucubratione ſuo loco, ad annum nempe 1617. ediſſeremus.

XXVII. PROSPER PARISIUS.

Laudabilis eadem tempeſtate PROSPERI PARISII, Conſentini, *y)* induſtria: ejus enim cura Tabulam Geographicam Regni Neapolitani anno 1591. item alteram Calabriæ anno 1592. ſuis numiſmatibus ornatas & illuſtratas, à Natali Bonifacio in ære expreſſas vidiſſe ſe teſtatur Philippus Labbe in Bibliotheca Nummaria, quæ quidem tabulæ diligentiam noſtrom hactenus effugerunt; ſed eam qua Regnum Neapolitanum deſcribebatur, reſtituit ante annos triginta Joannes Georgius Volkamerus, Norimbergenſis Medicus; quo etiam accurante Numiſmata Magnæ Græciæ ſuperioribus tabulis circunjecta, publico redonata ſunt tredecim buxeis tabellis inſculpta, ad centena & quinquagena numero:

Proſperi Pariſii, &c. Rariora Magnæ Græcia Numiſmata, cum &c. Magnæ Græciæ Tabulis inter ſe diviſis, altera editione renovata anno 1683. *fol. z)*

Quam Neapoli vidit idem Volkamerus Siciliæ Geographicam Tabulam ſimili Numiſmatum limbo circundatam, de ea nihil compertum habemus.

x) & duodecimo dialogo auctos qui ſacra Rom. & Deos ex nummorum penu explicat. Vide infra, num. XLVI.

y) Patricii Romani, qui numos quosdam accuratius quam Golzius exhibet.

z) Noribergæ in 4. una cum Chriſtophori Arnoldi præfat. in qua de præſtantiſſimis Medicæ ſimul ac nummariæ rei ſcriptoribus diſſerit. Vide Acta Erud. A. 1684. p. 14.

XXVIII. HELISÆUS ROSLEIN.

Helisæi Roslein, Medici, ferunt extare opus Germanica lingua ſcriptum cum hoc titulo:

Des Elſas und gegen Lotharingen Vvaſgavviſchen gebirgs gelegenheit, a) &c. Strasburg 1593. 8.

hoc eſt deſcriptionem Alſatiæ, cum plurimis Numiſmatibus quæ ejus ætate in ruderibus ejus Provinciæ reperta ſunt: nos opus illud hactenus non vidimus; ſed quod infortunium noſtrum lenius ferimus, acceptum referimus Càrolo Patino Introd. cap. 24. monenti plerasque illius Medici interpretationes adeo ludicras eſſe, ut ipſi Heraclito riſum movere poſſint.

XXIX. MARCUS VELSERUS.

Marcum Velserum, Auguſtanum, præcipuam inter Germanos ſuæ ætatis Antiquarios, eruditionis, diligentiæ, judicii laudem merito jure conſecutum eſſe conſtat: hujus ſunt

Rerum Auguſtanar. Vindelicarum libri VIII. b) Venetiis 1594, fol.

cujus in operis libro ſexto numiſmata quædam in Rhætia, & Auguſtæ Vindelicorum, ut quidem opinatur, cuſa, necnon alia in ſeptimo, & affabre ſculpta exhibuit, & accurate interpretatus eſt,

XXX. MARQUARDUS FREHERUS.

Varia ſunt, nec inelegantia Marquardi Freheri opuſcula; ſed è duobus c) quæ in hanc Bibliothecam compingenda ſunt, unum acceptum

a) Von alten Monumenten und Gedächtniß-Zeichen in alten Moneten und Müntzen/ Schrifften und Characteren der alten Gebäuen und Häusern. Hic eſt Roslinus, cujus liber de opere Dei creationis ſive Mundo Hypotheſes, artium variarum principia continentes viderunt lucem Francof. 1597. 4.

b) Hi libri nitide recuſi leguntur etiam inter Velſeri opera, V. C. Chriſtophoro Arnoldo curante junctim excuſa Norimberg. 1682. fol. Velſerus ſumma dignitate cum laude maxima apud Auguſtanos functus obiit A.C. 1614.

c) His addendi libri duo ejusdem Freheri de re monetaria & legibus

ceptum debemus pestilentiæ quæ in urbem Heidelbergam anno 1593. incidit: perterritus enim Freherus votum concepit, si abs se Deus exitiabile malum averteret, tum se orationem habiturum de verbis Domini: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, &c. quod votum anno sequenti persolvit:

1. *De Verbis Domini*,* Date Cæsari, *&c. Sermo Votivus Theologistoricam loci explicationem continens*, Heidelbergæ 1598. 4. *d*)

Ibi vero cum Christi Domini mentem explicat, tum pleraque nova de nummis in universum, & de conditione Judæorum, postquam Romano Imperio accesserant, veterum nummorum in buxo insculptorum ope demonstrat: sed orationem deformat appendix in qua summos Pontifices acerbissime criminatur in Cæsarum jura involasse, & in eos tam vesane invehitur, ut appareat, si morbi contagia in ejus corpusculum non penetrarunt, at mentem ejus veneni & pestilentiæ plenam fuisse.

2. Altera Freheri lucubratiuncula est *de Constantini* Imperatoris Byzantini *Numismate argenteo*, plane inepta, anno 1600. seorsim, deinde anno 1604. 4. post Josephi Justi Scaligeri de eodem nummo Dissertationem elegantissimam *e*) edita.

XXXI. ADOLPHUS OCCO.

Integram] Numismatum Imperatorum Romanorum seriem à tribus summis Antiquariis Vico, Lazio, & Goltzio frustra susceptam primus absolvit Adolphus Occo Medicus Augustanus, *f*) sed eam ad-

numariis veterum Romanorum, Gothorum, Francorum, Byzantini item & hodierni apud Germanos Imperii, qui post editionem Lubodunensem 1605. 4. recusi in tomo XI. thesauri Antiquitatum Rom. Græviani. Ultraj. 1699. fol. * Matth. XXII. 21.

d) Editio auctior ibid. 1599. 4. unde iterum excusa fuit cum Abrahami Sculteti Evangelicis Observationibus, atque etiam inserta Criticis sacris Anglis, post Londinensem editionem in Belgio & Germania recusis, Tomo nono sive ultimo.

e) Hæc ad Freherum scripta, inter Epistolas Scaligeri est CXXXIII. ubi etiam icon nummi exhibetur.

f) defunctus A. 1605. de quo Melchior Adamus in Vitis Medicor. & Martinus Hankius de Rom. rerum scriptoribus, lib. 1. c. 78.

umbratam magis quam expressam, quæque horum industriæ desiderium, nedum leniret inflammavit, pro eleganti enim cælatura, nudam nummorum descriptionem, atque ipsam non admodum accuratam proposuit:

Imperatorum Romanorum Numismata à Pompeio Magno ad Heraclium. Antuerpiæ 1579. 4.

eadem multis miliibus aucta Augustæ Vindelicorum 1600. 4. *g*) Nummos Imperatorum ex auro, & ære Adolphus Occo hocce libro complexus est, non hos solum qui Romæ, sed qui etiam in Coloniis ac Municipiis Latio jure donatis, item qui in urbibus Græciæ, Syriæ & Ægypti cusi sunt, quorum maximam partem cum aliena tantum fide nosset, factum est ut ex iis perpauci integri describerentur, plerorumque aversa pars duntaxat exhiberetur una cum capitis epigraphe; nonnullorum etiam Latinorum, & Græcorum, Ægyptiorumque ad unum omnium solæ inscriptiones comparerent. In iis collocandis ordinem Chronologicum servasse videri voluit Augustanus Medicus; sed pessimo ut verum fatear, consilio; primum enim tametsi aliquot nummi certas annorum quibus cusi sunt notas præferunt, plures tamen iis notis destitui constat, quos aut seorsim à cæteris describi oportebat, aut si confunderentur, institutum ordinem ab iis interverti necesse erat. Deinde quos Fastos quosve auctores in adornanda Chronologia secutus fuerit Occo, frustra quæras; in qua omnia ita perturbata sunt, ut in nullo opere sese magis prodat scriptoris inscitia & imperitia: quis enim unquam fando audivit Treb. Gallum cæsum anno 257. Æmilianum tamen, Valerianum, & Gallienum anno 254. imperare cœpisse? Quis unquam Carini cædem in annum 287. & tertium Diocletiani annum distulit? Haud magis ferri potest quod illic legitur; Licinium Jun. Cæsarem anno 325. creatum fuisse; sed cætera Occonis in temporum descriptione σφάλματα si recenseam, vereor ne ea tædium lectori creent; quamobrem hoc unum monebo, obtrudi illic recentia quædam numismata pro Ægyptia-

g) Hæc auctior editio recusa ibid. 1625. 4. Sed & eam multis partibus vincit quam Augustorum iconibus, perpetuis Historico Chronologicis notis, pluribusque additamentis illustratam dedit illustriss. comes Franciscus Mediobarbus Biragus, Mediolan. 1683. fol. de quo infra, num. CXIII.

gyptiacis, in quibus Imperii anni descripti sunt, quæque eruditos viros complures fefellere.

XXXII. LÆVINUS HULSIUS.

Quæ ab Occone descripta fuerant Numismata Lævinus Hulsius, Gandensis, æneis tabulis consignare aggressus est, egregia quidem animi alacritate, quando paucissima ex iis sibi deesse anno 1603. affirmabat, sed cum hæc ipsa curiosius conquireret, morte præventus, pulcherrimam amisit de re literaria bene merendi, & æternam gloriam consequendi occasionem; nihil enim *b)* posteris reliquit ad sui memoriam insigne, præter immensi operis specimen exile;

Imperatorum Romanorum Numismatum series à C. Julio Cæsare ad Rudolphum II. Francofurti 1603, 8. *item.* 1605. 8. *i)*

in quo singulorum Imperatorum, qui summæ rerum in utraque Roma præfuerunt ad Constantinum Irenes filium, nummum unum affabre scalptum proposuit, raritate aut elegantia præcipuum, cum perbrevi expositione, ac vitæ cujusque descriptione.

XXXIII. PHILIPPUS II.

Inventus est etiam inter Principes viros Philippus II. *k)* Pomerano-

b) Exstant & ejusdem Hulsii XII. primorum Cæsarum & LXIV. ipsorum uxorum ac parentum ex numismatibus effigies in ære incisæ ac vitæ, Francof. 1596. 4. & Spiræ Nemetum 1599. 4.

i) Præfixit illi libro Hulsius syllabum Auctorum qui de numismatibus ante eum scripserunt, *quem*, inquit Labbeus, *si semel inspexisset Antiquarius nescio quis Bruxellopolitanus, auctiorem sane elenchum Serenissimo Archiduci Leopoldo, cæterisque rei Antiquariæ studiosis indagatoribus obtulisset.* Inter primos hic fuit Hulsius qui de raritate numorum monuit licet, longe rectius de illa audiuntur recentiores, qui ditissima cimeliarchia curioso oculo lustrarunt.

k) defunctus Dux desideratissimus A. 1618. 3. Febr. cujus elogium exstat in B. D. Danielis Crameri libro IV. Chronici Pomeraniæ, Germanica lingua editi p. 216. ubi inter alia de illo refertur quod maximopere delectatus fuerit antiquis monumentis ac numismatibus. Hatte grosse Lust zu Antiquitæten/ Numismaten und Me-

ranorum Dux, qui famam ex his ſtudiis quæreret; ejus enim brevis Commentrrius extat in Nummum Zenonis Auguſti anno 1603. Germanico idiomate ſcriptus, quem è ſua Bibliotheca Rudolphus Capellus procudi curavit annis abhinc ferme quinquaginta:

Magni Principis Philippi II. Pomeranorum Ducis Commentariolus in Nummum aureum Dn. Zenonis Iſaurici, Græci Imperatoris. 1667. 4.

ſed in hoc opere nihil commendatione admodum dignum præter egregiam Authoris de re Nummaria bene merendi voluntatem; cum enim in male lecta epigraphe ſeſe exercuit, tum etiam in interpretatione harum, CONOB. *l*) quæ maximam Commentarii partem complectitur, eruditis minus ſatisfecit.

XXXIV. ABRAHAM GORLÆUS,

ABRAHAM GORLÆUS, *m*) Antuerpianus, novam poſt Fulvium Urſi-

daglien / Kunſt-Stücke und allerhand ſeltſamen ſichtwürdigen Sachen / Emblematen und dergleichen.

l) Totus Principis commentariolus ſive Epiſtola novem paginis abſolvitur, quarum octava tribus verbis affert conjecturam ſuam quod CONOB videatur poſitum pro CONOP & intelligatur inſula Conopum ad oſtium Danubii pſeudoſtomum, Lucano *barbara Cone.* Cæterum editor B. Capellus, qui Latine notas addidit, plurimas conjecturas affert de litteris illis à p. 11. ad 18. Cedreni locus exſtat p. 264. (edit. novæ 322.) qui interpretatur κιβιτατες ομνες νοστρε οβεδιαντ βενερατιονι. *Civitates omnes noſtræ obediant Venerationi.* Sed nugari putatur viris doctis. Neque rem acu videntur tangere qui cum Antonio Auguſtino, Fulvo Urſino ad Svetonii Neron. c. 44. & Sertorio Urſato de notis Rom. T. XI. theſauri Græv. exponunt *Conſtantinopoli obryzatum.* Vel cum Jo. Hemelario, Jo. Triſtano & aliis *Conſtantinopoli moneta obſignata:* (in pluribus enim numis COMOB occurrit, non CONOB) Vel cum Tho. Reineſio *Comes obryzi* p. 273. & 435. Epiſt. ad Rupertum. Vel denique cum Jo. Harduino *Civitates* (Corporati) *omnes Narbonenſes obtulerunt.* p. 112. & 435. Opp. ſelect. Sane litteræ illæ exſtat in pluribus nummis quæ nec ex auro nedum obryzo ſunt nec cuſi Cpoli nec in Narbonenſi provincia.

Ursinum Consularium Nummorum, quibus Museum suum locupletaverat, seriem adornavit; nec aspernandum sane ejus consilium, quem plurima vel edidisse Fulvio ignota, vel ab eo minus accurate expressa restituisse constat; sed hanc operis rationem instituit, quæ suspicionem moveat, hunc non tam publico prodesse, quanquam illud quoque, sed tamen non tam prodesse, quam divitias suas ostentare voluisse:

Thesaurus Numismatum aureorum, argenteorem, æreorum ad Familias ejus Urbis spectantium, usque ad obitum Augusti. &c. Antuerpiæ 1605. *n*) fol.

cum enim duabus partibus constet hic liber, prima nummos supra quadringentos continet in quinque & quadraginta æneis tabulis cælatos, ad unum exemplum omnes, cum adjunctis notis quæ singulornmmetallum indicant: altera *o*) vero nudas eorundem Nummorum, ac præterea prope septingentorum qui à sculptis non fere multum differebant, descriptiones continet, nullis vel ad Historiam, vel ad Nummorum typos observationibus intertextas.

XXXV. THEODORUS GALLÆUS ET JOANNES FABER.

An hic memorandi sint Theodorus Gallæus, *p*) Antuerpianus, & Joannes Faber, Bambergensis, Medicinæ Professor Romæ, haud satis scio; quorum ille Illustrium Imagines ex antiquis Marmoribus, Numismatibus & Gemmis expressit, hic Commentarium in easdem edidit Antuerpiæ anno 1606. 4. nulla tamen ille, hic perpauca Nu-

m) Cum Latinæ linguæ non studuisset, tamen libros omnes circa rem nummariam Latine scriptos intellexisse, refert Gassendus in vita Peirescii lib. 2. ad A. 1609. qui Gorlæo emortualis.

n) quædam exempla libri præferunt Lugd. Bat. A. 1608. vel. 1609.

o) Inscribitur: *Paralipomena, seu typi nummorum Romanorum, quos ab Ursino partim non editos, partim non ita editos idem possidet.*

p) Pictor & scalptor, qui imagines illas Romæ (apud Fulv. Ursinum maximam partem) delineavit, & deinde Antwerpiæ incidit æri. Prima editio prodiit Antwerp. 1598. 4. in qua ex imaginibus CLXVIII. postremæ XVII. & Jo. Fabri commentarius desiderantur. Confer quæ supra num. XVIII. in Fulv. Ursino.

Numismata exhibuere; ſed horum in transcurſu meminiſſe vitio nobis haud dabitur, opinor; cum eosdem Philippus Labbæus in Bibliothecam Nummariam olim retulerit: prætereaque opus illud ad uſum Sereniſſimæ Ducis Regentis Matris in Gallicum ſermonem verterit noſtri amantiſſimus Carolus Cæſar Baudelot *q*) cum hoc titulo:

Portraits d' Hommes & Femmes illuſtres. Paris 1710. 4.

XXXVI. JULIUS CÆSAR CAPACIUS.

Ad hanc ſeriem indubitate pertinent à Julio Cæsare Capacio, cive Neapolitano, & huic Urbi à Secretis

Neapolitanæ Hiſtoriæ libri II. r) Neapoli 1607. 4.

in his enim Narratio plurimorum Numismatum ectypis ita diſtincta eſt, ut iis non ornetur ſolum, ſed etiam mirifice illuſtretur.

XXXVII. CÆSAR BARONIUS.

Nec omittendus qui ſine honorifica præfatione nominari nunquam debet, Cæsar Baronius, Soranus, Congregationis Oratorii Presbyter Romæ, ac deinde S. R. E. Cardinalis, & Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, qui anno 1607. die 5. Septembris obiit Romæ: nam in XII. Annalium Eccleſiaſticornm tomis *s*) Numismatibus antiquis ad reſtituendam Chronologiam & Hiſtoriam uſus eſt, cum acri & limato judicio ſemper, ſæpe etiam cum ingenti ſucceſſu.

XXXVIII.

q) notis etiam quibusdam adſperſis, quibus à Fabri ſententia Clariſſ. Interpres quandoque diſcedit.

r) Hunc hiſtoriæ Neapolitanæ tomum primum, nec non Puteolanam hiſtoriam, quam cum libello de balneis, Neap. 1604. 4. Capacius edidit, non Capacium ſed *Fabium Jordanum*, JCtum Neapol. habere auctorem contendit Nicolaus Toppi in Bibl. Neapolitana p. 79. & 166.

s) Annales Baronii in A. C. 1198. deſinentes noviſſime prodierunt Venetiis A. 1705-1713. poſt editiones Romanam primam 1588. ſq. iteratasque Venetiis, Coloniæ, Antwerpiæ & Moguntiæ. Nummos Baronio ex cimeliarchiis tum aliorum Antiquariorum tum Lælii Paſqualini, (cujus ſupra num. XXVI. mentio) inſpectos Labbeus annotavit.

XXXVIII. JACOBUS GRETSERUS.

Jacobus Gretserus, Marckdorfenſis Acronianus, qui Societatem Jeſu ingreſſus anno ætatis 17. Theologiam Ingolſtadii docuit annos duos & viginti, famaque magnus, & pietate major, vita hac deceſſit anno 1625. die 29. Januarii, anno ætatis 63. eximii operis *t*) quo Sanctæ Chriſti Crucis honorem aſſeruit, eamq; ab adverſariorum calumniis, criminationibus, ludibriis vindicavit, volumina duo prima veteribus nummis ſubinde diſtinxit; ſed tertii librum primum totum fere eſſe voluit de iis numismatibus in quibus ſalutare ſignum vel ſeorſim, vel cum Chriſti monogrammate conjunctum depictum eſt: cujus generis numismata plurima in buxeis lamellis inſculpta à Conſtantino M. ad Leonem Philoſophum, aut in lucem protulit, aut antea prolata collegit; ut veterum Principum exemplo Crucis uſum, cultum, amorem doceret:

Jacobi Gretſeri &c. De Cruce Chriſti Tomus tertius quinque libris comprehenſus; quorum primus eſt de Nummis Crucigeris, &c. Ingolſtadii 1605. 4.

Quanquam vero pietatis fœtus ille magis quam eruditionis prima fronte videatur, hanc tamen ibi, ſat ſcio, non deſiderabis, imo fortaſſe majorem quam in plerisque illius ætatis operibus elucere fateberis: primum enim de nummis in univerſum, deinde de nummis crucigeris & de labari forma accuratiſſime diſſerit; mox ſingulos nummos ordine ita explicat, ut nihil in illis paulo obſcurius ſit, quod non indaget, inveniat, ac velut ex tenebris eruat: quamobrem omnibus numeris abſoluta videri poterat hæcce concertatio, ſi de monumentis quibusdam quæ Antiquarii tum in diverſum trahebant, diligentius anquiſiviſſet, nec crucem in iis continuo perſpexiſſet: qua in re tamen pietate magis quam negligentia peccavit, ut Baronio etiam interdum accidiſſe alii jam monuerunt. Seriei Numismatum interſeruit Gretſerus Diſſertationem prolixiorem *u*) de nummo Conſtantini Byzantini Imp. qua in diſſertatione, Freheri & Scaligeri *x*) conjectationes acerrime confutat.

t) Gretſeri, docti viri & laborioſi, ſed cui volupe fuit in omnes ab Romani Pontif. partibus diſſidentes crebris certare & acerrimis maledictis, opus de Cruce, luculentius excuſum auctiusque Ingolſtad. 1616. fol.

u) Gretſerus cap. 25. ſeq. *x*) de quibus ſupra num. XXX.

XXXIX. LAURENTIUS PIGNORIUS.

LAURENTIUS PIGNORIUS, Patavinus, quem anno 1571. natum, anno vero 1631. obiisse ferunt, in brevi & erudito opere quod inscripsit,

Characteres Ægyptii, hoc est Sacrorum quibus Ægyptii utuntur, simulacrorum accurata delineatio & explicatio. Francofurti 1608. 8. *y*)

nummos nonnullos in buxo incisos edidit, seu verius eorum aversas partes tantum, è quibus fidem confirmat veteribus scriptoribus, dum ipsas ex iisdem scriptoribus illustrat.

XL. PAULUS PETAVIUS.

PAULUS PETAVIUS, Aurelianensis, in suprema regni Francorum Curia Senator, cum antiquaria supellectile Museum suum ditasset, hujus portiunculam, ut ipse vocat, simulque

Veterum Numismatum γνώρισμα. Parisiis 1610. 4. *z*)

publicavit: hoc viginti quinque tabellis constat, in quibus Numismata ex omni metallo Romana, Græca, Barbara ad unum exemplum scalpta sunt, sed ita ineleganter & impolite ut nihil supra: notæ desiderantur; quibus destitutæ ejusmodi tabellæ vix ulli usui esse possunt.

XLI.

y) ante prodierat Venetiis 1600. 4. Idem Pignorius etiam nummos quosdam plumbeos affert in libro de servis, Augustæ Vindel. 1613. 4. p. 123. & pulchram nummorum variorum supellectilem servasse in Museo suo memoratur à Jo. Philippo Tomasino in vita Pignorii p. 86. Ejusdem notæ & accessiones ad Vincentii Chartarii imagines Deorum Italica lingua editæ Patavii 1615. 4. nummis quibusdam veteribus lucem afferunt.

z) Hunc antea raro obvium, & plenum insigni rerum pulcherrimarum copia libellum tabulis ære nitide descriptis lustrandum exhibet Nobilissimus Vir, Albertus Henricus de Sallengre in tomo secundo novi thesauri Antiquitatum Romanarum, Hagæ 1718. fol. Cætera hujus Petavii scripta sunt, Syntagma de Nithardo Caroli M. nepote ac tota ejus prosapia, Paris. 1613. & in tomo II. scriptorum Gall. Andreæ du Chesne: nec non diss. de epocha annorum Incarnationis Christi, de indictionibus & variis ab annis Christi supputandi modis. Paris. 1604. 4.

XLI. PHILIPPUS PARUTA.

PHILIPPUS PARUTA, Siculus, & Panormo urbi à Secretis, eandem operam patriis Nummis impendit, quam Consularibus ante paucos annos Gorlæus; *a*) cum enim universam de Sicilia concertationem duas in partes dividi oportere judicaret, primam, quæ Numismata complectebatur, cum alacriter suscepit, tum absolvit feliciter; alteram quæ circa Nobilis Insulæ Historiam, & Antiquitatum in ejus Nummis consignatarum explicationem versabatur, ingenio suo diffisus, ut quidem ipse monet, plane omisit: quanquam hanc ipsam à Paruta deinde cœptam, eumque in opere immortuum esse nonnulli aiunt. *b*)

Della Sicilia di Filippo Paruta descritta con Medaglie, Parte prima. In Palermo 1612. fol.

Quatuor Nummorum genera continet hic liber; primum eorum qui à singulis civitatibus cusi sunt, vel sub Regibus, vel postquam Romanis parere cœpit hæc Insula; atque hi mediam ferme voluminis partem complectuntur: alterum Romanorum, qui Sicularum rerum memoriam referunt: tertium eorum in quibus Gothicorum Italiæ & Siciliæ Regum expressi vultus: postremum recentiorum Nummorum, qui ad institutum nostrum non pertinent; sed ex superioribus tribus generibus octingenti ferme hic repræsentantur totidem æneis laminis insculpti, cum literis singularibus, quibus cujusque metallum & forma indicantur. Eadem Numismata cum aliis propemodum quadringentis Romæ anno 1649. *à Leonardo Augustino*, iterum Lugduni anno 1697. à *Marco Maiero* recusa sunt: hic etiam brevem Siciliæ ac Numismatum descriptionem aliquot observationibus intertextam adjunxit; sed de utroque alias. *c*) Parutæ vero liber inscriptus,

Tesoro de las Medallas Espannolas:

cujus in Bibliotheca Nummaria meminit Philippus Labbe, *d*) quid

 sit,

a) de quo supra num. XXXIV. & de Goltzii Sicilia ex nummis, XIV. 2. *b*) Vide Antonium Mongitorem Bibl. Siculæ Tom. II. *c*) infra num. LXIX. & CXLVI.

d) Quod Labbeo tum hoc loco, tum infra num. LXXXIV. atque iterum num. ult. vitio vertitur, ac si Parutæ numismata Hispanica li-

ſit, imo an in mundo ſit, aut unquam fuerit, neminem reperimus qui pro certo affirmaret.

XLII. VINCENTIUS MIRABELLA.

Vincentius Mirabella, Nobilis Syracuſanus, anno poſt Parutam, Syracuſarum hiſtoriam conſcripſit, & duas in partes diſtribuit, quarum prima conſtat deſcriptione ejus urbis, altera notis uberioribus in Numismata ſex ſupra triginta, quæ Syracuſis vel à Republica, vel Principum juſſu cuſa olim fuere:

> *Dicciarazioni della pianta dell' Antiche Siracuſa, e d' alcune ſcelte Medaglie d' eſſe e de' Principi che quelle poſſedettero.* In Napoli 1613. fol.

Numismata porro in tribus æneis tabellis inſculpta, & quidem ea forma, quæ nummorum *Medaglioni* vulgo dictorum magnitudinem æquet, vel etiam excedat.

XLIII. JACOBUS GUTHERUS.

De Jacobo Gutherio, Calvimontano Lingone, J. C. veriſſime teſtatus Thomas Reineſius lib. III. Variar. Lect. *e*) hunc multa variæ & reconditæ eruditionis feliciter eruiſſe è tenebris; ideoque digniſſimum eſſe cui juxta clariſſima Europæ lumina, togata ſtatua in memoriæ

moriæ

brum, qui nusquam terrarum exſtat, exſtititve, lectoribus ſuis falſo venditaverit, haud dubie totum nititur typographi vitio, qui Philippi Parutæ nomen illo loco plane alienum, atque inferius debito ſuo loco ac ordine iterum recurrens, ante verba: *Liber inſcriptus, Teſoro de las Medalas Eſpannolas,* temere poſuit, cum illa pertineant ac neceſſario referenda ſint ad *Paulum Albinianum de Rajas,* cujus nomen ſtatim ibi ſequitur, & cujus partes fuere in opere numiſmatum Hiſpanicorum Vincentii de la Stanoſa, de quo infra num. LXI. Non omittendum porro quod monet idem Labbeus, exhibita à Paruta numiſmata Panormitanorum antiqua Annalibus ſuis Panormitanis Italice ſcriptis inſeruiſſe explicaviſſeque *Auguſtinum Juveges,* editis Panormi 1649. tribus Volum. in fol. Idem fecit in nummis Catanenſibus *Petrus Carrera,* infra num. LVII. & LXVIII.

e) p. 611.

moriæ fano ponatur. Opera ejus elegantiarum ſtudioſis commendat quod ea veteribus nummis in æs inciſis, & marmoribus, tanquam lemniſcis quibusdam & clavis in purpura aureis exornat; quæ quidem, ut laudatus Reineſius monet, & fidelius repræſentat, & applicat eruditius, & exponit dexterius quam à plerisque antea factum fuerat, quanquam ne ipſum quidem ſatis concoxiſſe ea quæ legerat, haud pauci eruditi demonſtrarint. E tribus doctiſſimi viri operibus, duo tantum *f*) ad hanc Bibliothecam Nummariam pertinent;

De Veteri Jure Pontificio Urbis Romæ libri IV. Pariſiis 1612. 4. *g*)

De Jure Manium, ſeu de more, ritu, & legibus priſci funeris libri III. Pariſiis 1615. 4. *h*)

illud enim, quo de Pontificum, Regis Sacrorum & Flaminum dignitate, muneribus, Jurisdictione: de locis ſacris; de feſtis diebus, ac denique de ſacris diſſeruit, variis nummis diſtinctum eſt: in hujus lib. II. de conſecrationis ritu diſputat, numismataque omnia quæ reperire potuit ad materiam hanc jam olim, ut monuimus, *i*) à Claudio Guichard tractatam pertinentia exhibet.

XLIV. JOSEPHUS CASTALIO.

JOSEPHI CASTALIONIS, Anconitani, J. C. extat

Numismatum Oſtienſis & Trajani portus explicatio. Romæ 1614. 4.

F 3 opus

f) Præclara etiam ſunt quæ de procuratoribus monetæ & monetariorum corpore apud Romanos diſſerit Gutherius libro 3. de officiis domus Auguſtæ cap. 19. Pariſ. 1628. 4. & Lipſiæ 1672. 8. ſed illa à Bandurio de induſtria, ut ab ejus inſtituto aliena prætermittuntur.

g) Recuſi Tomo quinto theſauri Antiquitatum Rom. Græviani, Ultraject. 1696. fol.

h) Recuſi in eodem theſauro, Tomo duodecimo. A. 1699. & ſeparatim Lipſiæ 1671. 8. In libro II. cap. 35. refert Gutherius inſtrumentum quo jus Civitatis Romanæ ipſi honoris cauſa tributum fuit ob editum opus de jure Pontificio veteris urbis Romæ.

i) Num. XXII.

opus duodecim paginarum, in quo Numismata duo Claudii & Trajani, ut à Sada *k*) expressa fuerant, in buxo repræsentat, & primum quidem negat, recte scripsisse Ant. Augustinum in Ostiensi portu columnam cochlearem fuisse, & è Claudii, cujus statua columnæ imposita erat, manu pependisse laternam: deinde adversus cæteros Antiquarios probare conatur, Trajani portum, nec Ostiensem, quippe qui á Claudio perfectus fuerat, nec Anconitanum, verum Centumcellensem fuisse.

XLV. JOANNES DU VAL.

JOANNES DU VAL, Linguarum Orientalium interpres, de Gallis optime meruit, cum Æneæ Vici tabellas æneas comparavit, ejusque opera Parisiis prodire curavit anno 1619. sed quia in hac editione nihil novi inest, quæ de Vico suo loco *l*) diximus, lectorem quærere haud pigebit.

XLVI. XLVII. ANDREAS SCHOTTUS. DUCIS ARESCHOTANI NUMMI. ALBERTUS RUBENIUS. JACOBUS BIÆUS. LUDOVICUS NONNIUS. &c.

De ANDREA SCHOTTO, Antuerpiano, Societatis Jesu Sacerdote, scribendi occasio jam sese aliquoties obtulit, sed & nova nunc de eo succurrunt, & quæ antea breviter ac strictim diximus, ea diligenter retractare libet, maxime cum ejus viri gloria agatur, qui publicæ utilitati quam famæ suæ consulere, & æternitatem aliorum scriptis conciliare, quam sibi ipsi eximii ingenii monumenta edendo, comparare plerumque maluit. Igitur erud. vir cum Toleti, Cæsar-Augustæ, ac deinde Romæ Eloquentiam, Græcas literas, & Historiam publice docuisset, in patriam denique reversus, *m*) cum Stephanus Vinandus Pighius Anna-

k) ad dialogum 3. Antonii Augustini de numismat. Italica versione donatum.

*) Nomen integrum, Joannes Baptista du Val, sive ut Colomesio in Gallia Orientali appellatur, J. B. Vallius, Autissiodorensis, defunctus A. 1634. *l*) supra, num. VIII.

m) diem obiit in patria A. 1629. 23. Januar.

Annales Romanorum Numismatibus ſubinde illuſtratos condidiſſet, qui Commentarii vicem ſupplerent in omnes veteres Romanæ Hiſtoriæ Scriptores, & è tribus tomis in fol. quibus conſtabant, unum duntaxat edidiſſet, *n*) Andreæ Schotti cura integrum opus prodiit Antuerpiæ anno 1615. *o*) Idem Huberti Goltzii *p*) Siciliam & Magnam Græciam anno 1618. necnon Faſtos Magiſtratuum & Triumphorum Romanorum anno 1620. reſtituit; & Siciliæ quidem & Magnæ Græciæ urbium hiſtoriam interpolavit, ſingulaque auctorum quibus Goltzius uſus ad eam adornandam fuerat, loco adnotavit; Faſtis vero notas perbreves & Faſtos Siculos ſubjunxit. Idem laborem ſuſcepit utiliſſimum ſtudioſis, quibus Hiſpanica lingua & Italica minus familiares erant, dum undecim Antonii Auguſtini Dialogos, opus, ut quidem videtur, immortale, quod pro ingenii noſtri viribus deliniavimus ſupra, *q*) latine vertit, iisque præter ſcholia aliquot, duodecimum adjecit de Priſca religione Diisque Gentium:

1. *Antonii Auguſtini, &c Antiquitatum Romanarum Hiſpanarumque in nummis veterum Dialogi XI. Latine redditi &c.* Antuerpiæ 1617. fol.

quanquam, ne quid diſſimulem, Dialogis adjungi debuerant tabellæ numismatum, quibus eos doctiſſimus Hiſpanus & Sada *r*) diſtixerant; & minus recte Andreas Schottus ſcripſit earum vicem ſupplere poſſe ſeptem & ſexaginta æneas tabulas nummorum Arſchotanorum, tametſi earum una ad præclarum opus tota pertineat. Atque hæc quidem pro more noſtro candido: nunc de ipſis Arſchotanis nummis dicendum.

Ita appellantur ab Ill. Carolo, Duce Croyaco & Arſchotano, cujus impenſis collecti ſunt ex auro, argento & ære, Latini omnes, & quidem plerique Principum Romanorum, nullus omnino Græcus præterquam Antinoi, & Antonini Pii, perpauci Familiarum. Aurei ſeorſim prodiere annis 1615. & 1627. in 4. cum notis *Joannis Hemelarii*, de quo

n) Antwerp. 1599. fol. poſt quem editum, vita Pighius exceſſit A. 1604. 19. Octobr. ætatis anno 84. *o*) fol. 3. Volum.
p) ſupra, num. XIV. *q*) num. XXVI.
r) Sada, qui dialogos illos Italica lingua eſt interpretatus.

quo ſermonem brevi *t*) inſtituemus: aurei, argentei & æreí, conſuſi inter ſe & indiſtincti anno 1617. in ſeptem & ſexaginta, ut ſupra *t*) dicebamus, tabulis integra folii magnitudine, à Julio Cæſare ad Valentinianum; deinde anno 1654. *u*) cum acceſſione centum & octoginta Numismatum, à Romulo ad Juſtinianum, & quidem tum demum cum *Alberti Rubenii* Commentario perpetuo. Omnes in ære incidit Jacobus de Bye celeberrimus illa ætate chalcographus, qui ſingulorum Principium, præter Cæſarem & Antonium & Auguſtum, effigiem plerumque duntaxat unam exhibere contentus, omnes averſas partes deinde exequitur, nullis notis adjectis, quibus nummorum metallum ac modulus dignosci queant.

Reſtituit idem Jacobus de Bye anno 1618. Huberti Goltzii Theſaurum *x*) & quarum jacturam eruditi graviſſime ferebant, Goltzianas tabulas Numismatum Græciæ & Inſularum & Aſiæ, non tamen omnes publicavit, quinetiam ad Goltzii Tiberium addidit in tabulis quatuor, averſas partes nummornm è XII. Zantani Cæſaribus *y*) ut quidem videtur, excerptas: ſed in eas tabulas Commentarium conſcripſit Ludovicus Nonnius, Antuerpianus Medicus, cujus nomen iis præfixum eſt:

1. *Ludovici Nonnii Commentarius in Hub. Goltzii Græciam, Inſulas & Aſiam Minorem.* Antuerpiæ 1620. fol.
2. *Ludovici Nonnii Commentarius in Numismata Imp. Julii, Auguſti & Tiberii, Hub. Goltzio ſcalptore.* Antuerpiæ 1620. fol.

Et quoniam, quid in his Commentariis præſtitum ſit dicere ſpopondi *z*)

Ill. Span-

s) infra, num. L. *t*) pag. 47.

u) Poſt hanc editionem Ferdinando IV. Romanorum Regi inſcriptam à Caſpare Gevartio, nec Rubenii nomen præ ſe ferentem, extat & nova, Rubenii nomine præfixo, & editoris *Laurentii Begeri* brevibus notis ad calcem voluminis ſubjectis auctior. Coloniæ Brandenb. 1700. fol. In hac numismatum icones in tabulis LXVIII. ſatis nitide quidem, at itidem ſine ullo metalli vel magnitudinis diſcrimine exhibentur.

x) ſupra, num. XIV. 1. 3. & 7. *y*) de quibus num. III.

z) ſupra, XIV. 3.

Ill. Spanhemio *a*) & Triſtano me accedere profiteor; egregiam nimirum interpretis de re literaria bene merendi voluntatem, nec vulgarem diligentiam videri, dubitari tamen poſſe, an ſatis inſtructus fuerit his artibus quæ in perfecto Antiquario requiri ſolent: nam facillimos quoſque nummos pluribus verbis enarrare, eos qui difficilem explicatum habent ne ſtrictim quidem attingere; in Græcis vero numismatibus cum ſæpe turpiter hallucinari, tum ignorationem interdum in temeritatem vertere, obſcura quævis & incomperta ad lubitum mutando & reformando: quod vitium laudatus Spanhemius non immerito dolet commune illi fuiſſe cum viris magnis, qui putaverunt licere ſibi eadem arte graſſari in primæva illa & incorrupta priſcæ ætatis monumenta, qua uti ſolet Criticorum gens in libros editos, aut deſcriptos olim à librariis codices.

XLVIII. JOANNES DE QUINONES.

Joannes De Quinones *b*) Hiſpanus. Diſſertationes ſeptem de Numiſmatum origine, & de nummis ſex aureis *c*) Galbæ, Trajani, Hadriani, M. Aurelii, Lucii Veri, & Fauſtinæ ſimul compactas edidit cum hoc titulo:

Explicacion de unas Monedas de oro de Emperadores Romanos, donde ſe refieren las vidas dellos, y el origen dellas, &c. Anno 1620. 4.

Iſtas vero diſſertationes ita confecit, ut inter politicos viros, quam inter Antiquarios referri maluiſſe videatur; in iis enim nihil ferme, niſi brevem vitæ ſingulorum Principum quos nominavimus hiſtoriam conſcripſit, aliquot ſententiarum ornamentis diſtinctam.

XLIX. JOANNES SPEED.

Joannes Speed, *d*) civis Londinenſis, Magnæ Britanniæ Hiſtoriam

a) Ez. Spanhem. diſſ. 2. de uſu numism. f. 109. T. 1. edit. Lond. Triſtanus T. 1. Commentar. p. 26. 77. &c.

b) defunctus A. 1650. vide Nic. Antonium T. 1. Bibl. Hiſpan. pag. 585. ubi alia ejus ſcripta commemorat, ſed in quibus nihil quod ad numismata facit.

c) inventis ad portum Gvadaramenſem novæ Capellæ.

d) obiit Londini 1629. ſartoriæ primum addictus, ſed Hiſtoriarum

am à ſe conditam, & ſemel anno 1614. iterumque anno 1623. editam cum hoc titulo,

The Hiſtory of Great Britaine, under the conqueſt of the Romans, &c. London 1623. fol. *e*)

illuſtravit nummis in buxo inciſis, primum viginti veterum Cambrorum aut Britonum, ut quidem arbitratur, libro V. deinde libro VI. omnium Principum Romanorum ad Joannem uſque, ſingulorum plerumque duntaxat uno, ut eorum ſcilicet effigiem exhiberet qui Britanniæ olim imperitarunt, niſi quorum reperit ad eam Inſulam propius pertinentes: atque iis etiam aliquot patrios nummos interſeruit.

L. JOANNES HEMELARIUS.

JOANNIS HEMELARII, *f*) Hagienſis Batavi, & Canonici Antuerpienſis, cum antea totum ſexennium in familia Cardinalis Cæſii vixiſſet, extat nobile opus cum hoc titulo:

Impera-

& antiquitatis ſtudio ad quod à natura ferebatur, feliciter vindicatus à Fulcone Grevillo. Vide Tho. Fulleri Hiſtoriam clarorum Angliæ virorum (the Hiſtory of the worthies in England) p. 181. Summi & eruditi antiquarii nomine venit Rob. Sheringamo p. 42. de Anglorum origine. In Hiſtoria ſua componenda adjutus à Rob. Cottono, Wilh. Burtono, Cambdeno, Barchamo, ut poſt Fullerum notat Wilhelmus Nicholſon in Bibliotheca Hiſtorica Angliæ p. 73. Idem p. 248. docet Speedium in nummis quos affert exponendis ſecutum Cottoni & Seldeni conjecturas.

e) Exſtat & *Latine* hoc titulo: Johannis Speedæi Theatrum magnæ Britanniæ, Scotiæ, Hiberniæ & adjacentium inſularum, ex Anglico Latine redditum & editum à *Philemone Hollando*, apud Conventrianos Medicinæ Doctore. Amſt. 1616. fol. Prolixius hoc opus deſcribit ac magnis evehit laudibus Dejoreus Whear in methodo legendi Hiſtorias Civiles Sect. 31.

f) Hic Juſti Lipſii diſcipulus, & avunculus Iacobi Golii, obiit admodum ſenex circa A. 1640.

Imperatorum Romanorum à Julio Cæsare ad Heraclium usque Numismata aurea, Coroli ducis Croyi & Arschotani studio collecta, g) &c. Antuerpiæ 1615. 4. & 1627. 4.

sed inter duas ejus editiones nonnihil interest: in posteriorem h) enim addita sunt numismata aliquot è Museo *Nicolai Roccoxi*, quæ quidem vir diligens una cum Arschotanis complexus est quatuor & sexaginta æneis tabellis, si omnium simul numerum subducas, ferme sexenta: notæ etiam, cum novæ adjectæ ad nummos novos, cum veteres correctæ & reformatæ: quas profecto eruditas esse & utiles plerique fatentur; in iis tamen desiderantur descriptiones capitum, & quidem eo magis, quod hæc in tabellis quoque omnia, præter unum cujusque Principis desunt.

LI. LUDOVICUS SAVOT.

Ludovicus Savot, Regius Medicus, & Medicæ artis in Academia Parisiensi Professor Gallica lingua scripsit librum eruditissimnm de Re Nummaria i) quem quatuor in partes tribuit:

Discours sur les Medalles antiques, divisé en quatre parties. Paris 1627. 4.

In prima Sebastiani Erizzi k) opinionem, pleraque Numismata à veteri moneta distinguenda esse, confutat, nec ea argumenta solum quibus ille usus fuerat, sed nova etiam quæ acumen ejus fugerant, expendit: in altera de materia numismatum, hoc est metallis auro, argento, ære regulari sive Cyprio, ære Mariano quod & Cordubense dicebatur, ære caldario, cæteris æris speciebus, plumbo albo & nigro, stanno disputat accuratius quidem quam quivis alius; ad absolutam tamen eorum cognitionem quartæ partis caput octavum huic adjungas censeo; perinde profecto

g) a Jacobo de Bie ex archetypis in æs incisa.
h) hæc repetita Antwerpiæ 1654. fol.
i) Savoti præclarum opus è Gallico Latine redditum à *Ludolpho Neocoro*, Grævius inseruit Tomo XI. thesauri Antiquitatum Romanarum, Ultraj. 1699. fol. Præterea Judicium Savoti de raris & vulgaribus Imperatorum Rom. nummis ex ejusdem operis parte quarta excerptum, interprete & abbreviatore *Patricio Junio* nuper edidit Thomas Hearne in appendice ad collectanea Historica Jo. Lelandi, Tom. V, p. 269--282. Oxon. 1715. 8.
k) de quo supra, num. X.

fecto atque nonum tertiæ parti, quæ circa pondera & menſuras tota verſatur, & varias quæſtiones complectitur quæ ad nos minus pertinent. Quarta pars de raritate & pretio nummorum veterum, eadem ratione confecta eſt qua cæteræ, ut nec ordinem in ea nec diligentiam requiras; ſed tot poſt Savotum numismata è terræ viſceribus eruta ſunt, quot ne cogitatione quidem complecti potuit; quamobrem quæ illic ſubinde occurrunt errata, navo & induſtrio viro imputare durum admodum foret & iniquum; maxime cum in hoc ipſo argumento principia ſolerter ac diligenter explorata poſuerit: ideoque non immerito proditum ſit olim, melius hunc in Gallica lingua, quam alium quemvis in ſua, de Nummis in univerſum diſſeruiſſe.

LII. CLAUDIUS CHIFFLETIUS.

Savoti opus excipit ejuſdem pene argumenti liber poſtumus * *de Numiſmate antiquo*, conſcriptus à Claudio Chiffletio, Sequano, J. C. primum quidem Lovanii editus *l*) anno 1628. in 8. deinde vero Henrici Thomæ Chiffletii cura Antuerpiæ *m*) & Hamburgi *n*) ſtudio Rudolfi Capelli iterum cuſus. Hoc in libro nummus unus alterve illuſtratur; cæterum auctor in eo potiſſimum argumento verſatur, quod doctiſſimus Harduinus ad ** Sect. XIII. Plinii, cæteris omnibus acutius pertractavit, hoc eſt in pondere & valore nummorum, quibus Romani adhuc liberi uſi ſunt.

LIII. JOANNES LE MENESTRIER.

Joannes *o*) le Menestrier, Divionenſis, Numismata aliquot in duo-

* Obiit Claudius Chifletius, Dolanæ Academiæ JCtus A. 1580. æt. 40.

l) una cum Erycii Puteani tabulis rei nummariæ, ſive pecuniæ Romanæ ratione ad noſtræ ætatis calculos revocatæ.

m) 1656. 4. ad calcem diſſertationis H. Th. Chifletii de Othonibus æreis, de qua infra, num. LXXII.

n) 1678. fol. una cum Capelli τοῦ μακαρίτου nummophylacio Luderiano de quo infra num. C. Ab eo tempore idem Claudii Chifletii liber quartum recuſus in tomo primo theſauri Antiquitatum Rom. V. C. Alberti Henrici Sallengre, Hagæ Com. 1716. fol.

**) lib. XXXIII. & ad calcem libri de nummis Urbium p. 539. ſeq.

o) Joannes Baptiſta.

in duobus libris à ſe editis collegit, dehisque ita egit, ut potuit, hoc eſt tenuiter admodum & jejune: & primum quidem Auguſtarum ab Livia ad Helenam quinque & viginti exhibuit, mediocri, aut potius ferme nulla arte in buxum inciſa; deinde in æneis lamellis Principum Romanorum à Julio Cæſare ad Æliũm Verum viginti ſupra centum, atque iis titulos hosce præfixit,

Medailles, Monnoyes & Monuments antiques d'Imperatrices Romaines. Dijon 1627. fol.

Livre de Medailles du Sieur le Meneſtrier. Premiere partie. Dijon 1627. 4.

altera tamen editio amborum operum ſimul compactorum prodiit in eadem urbe anno 1642. 4. cum titulo, *Medailles illuſtrées des Anciens Empereurs & Imperatrices de Rome.* Haud dubium vero quin plura numismata continuerit MS. codex olim in bibliotheca Heinſiana *p*) asſervatus, cui titulum hunc præfigere libuit: *Le Cabinet des Medailles, Monnoyes, & Monumens antiques du Sieur le Meneſtrier.*

LIV. OCTAVIUS DE STRADA.

Octavius de Strada a Rosberg, *q*) Civis Romanus, Jacobi *r*) filius, & Rudolfi II. Antiquarius, Imperatorum omnium qui vel univerſum orbem Romanum, vel Occidentem, aut Orientem tantum rexere à Julio Cæſare ad ſuam ætatem, item Auguſtarum, Cæſarum & Tyrannorum vitas, & numismata maxima ex auro, argento & ære tribus libris complexus eſt; & in primo quidem eorum, quorum maxima, ut ipſe dicit, imperia in Italia fuerunt, hoc eſt Imperatorum omnium

p) Memoratur in Catalogo Bibliothecæ Nicolai Heinſii parte 2. p. 133

q) Germanus patria.

r) de quo ſupra, num. V. Nec dubium eſt, ex Parentis opere filium profeciſſe, quod ejusdem argumenti in pluribus Bibliothecis exſtat Mſtum ac præter ante memoratas in Gothana quoque, Vide Rev. Erneſti Salom. Cypriani Catalogum Mſs. Bibl. Gothanæ p. 83. ſeq. In eadem Bibl. ſervatur etiam Octaviani Stradæ Hiſtoria Mſ. Romanorum Pontificum à Petro Apoſtolo usque ad Gregorium XIII. cum imaginibus ex veteribus marmorum monumentis, picturis & numiſmatibus antiquis.

omnium ad Theodosium Jun. & Plac. Valentinianum, * deinde eorum qui Italiæ præfuerunt ad Romulum usque, ac postremo Regum Gothorum: in altero vero Constantinopolitanorum Principum, quorum agmen ducit Marcianus; nam tertius de Imperatoribus Francis & Germanis ad nos minus pertinet. Duæ hujus operis editiones prodierunt, prima s) anno 1615. altera post quatuordecim annos cum hoc elogio:

Vitæ Imperatorum Cæsarumque Romanorum Orientalium & Occidentalium, uxorum liberorumque eorumdem, item tyrannorum, &c. una cum eorum effigiebus &c. ex aureis, argenteis & æneis Numismatibus delineatis. Francofurti 1629. fol. t)

in utraque singulorum Principum nummus plerumque duntaxat unus, sed rarissimus aut singularis, & quidem accurate, quanquam sine magno artificio in æs incisus: sed illud gravissime feras, in tanta paucitate numismatum, recens conflata cum antiquis admista esse; quæ quidem eorum à quibus obtrusi sunt fraudem vel ipso conspectu produnt.

LV. SAMUEL VEYREL.

Haud paulo vilius est opus SAMUELIS VEYREL, Vivisci sive Santonensis Pharmacopolæ, in quo numismata à se comparata edidit:

Indice du Cabinet de Samuel Veyrel. u) Bourdeaux 1635. 4.

in hoc scilicet Numismata Familiarum quidem nec pauca nec indiligenter descripsit, Imperatorum vero à Julio Cæsare ad Gratianum pleraque perfunctorie, aversarum partium typis duntaxat indicatis, adeo ut nulli usui esse possint. Eo accedit, quod nonnullos quoque Augustarum nummos adulterinos illic deprehendimus: quas vero notas seriei numismatum subjunxit auctor, eæ perpaucæ numero sunt, nec adeo magni momenti.

LVI. IGNA-

* Valentinianum III. Placidiæ F.

s) Francofurti in fol.

t) Huic editioni accessit Historia & series belli Bohemico Germanici & Genealogia Ducum, Archiducum, Regum & Imperatorum Sereniss. familiæ Austriacæ.

u) avec un recueil de quelques antiquitez de Saints, & observations sur quelques Medailles.

LVI. IGNATIUS BRACCIUS.

Paulo minoris etiam momenti eſt IGNATII BRACCII Presbyteri Recinetenſis, S. Theol. M. Diſſertatio inſcripta, x)

Phœnicis effigies in Numismatis & gemma, &c. & ejusdem avis Vindiciæ. Romæ 1637. 4.

in qua agitur de nummo Conſtantii, y) in quo Phœnix cum epigraphe FEL TEMP REPARATIO, nihilque profertur aut novi, aut ſingularis.

LVII. PETRUS CARRERA.

PETRUS CARRERA, Agetheus Siculus ex Urbe Militello, Presbyter, Catanæ Hiſtoriam tres in partes tributam condidit; ſed prima duntaxat locum ſibi in hac Bibliotheca vindicat, in qua doctiſſimus Siculus quatuor libris nobilis urbis originem & primam progreſſionem perſequitur, ſitum & vetera ædificia deſcribit, Inſcriptiones antiquas & Numismata explicat. Huic primæ parti elogium iſtud præfixum eſt:

Delle Memorie Hiſtoriche della Citta di Catania, ſpiegate in tre volumi da D. Pietro Carrera Volume primo, nel quale in quattro libri ſi diſcorre dell' antica origine e ſito di eſſa, de gli edificii, &c. Medaglie, &c. In Catania 1639. fol.

Numismata porro octoginta fere è *Paruta*, & *Mirabella*, z) & *Archangelo* deſcripta ſunt, quem ultimum ſcriptorem qui noſſet, hactenus reperi neminem: nec deſcripta ſolum, ſed in buxeis laminis inſculpta, & quidem ut in Mirabella, ea forma quæ ad nummorum, quos *Medaglioni* appellare ſolemus, magnitudinem proxime accedit: ſingula vero prolixioribus Commentariis illuſtrata ſunt, qui libri tertii maximam partem implent.

LVIII. ALEXANDER DONATUS.

ALEXANDER DONATUS, Senenſis, è Societate Jeſu, inter eos qui in hiſce ſtudiis verſati ſunt, à quibusdam refertur, quia in opere inſcripto

Roma

x) Prima editio lucem vidit Maceratæ. 1622. 8.

y) De ſimilibus nummis erudite ut ſolent Triſtanus T. 3. p. 610. & Ez. Spanhemius T. 1. edit. Lond. p. 287.

z) de Paruta & Mirabella dictum num. XLI. & XLII.

Roma vetus ac recens, utriusque ædificiis ad eruditam cognitionem expositis. Romæ 1639. 4.

triginta circiter numismata, ac ne ea quidem integra exhibuit; sed ut libenter fatemur eximium esse opus illud, & quo nullum foret ad omnes ædificatæ Urbis ætates perdiscendas, ædificiorumque situm intelligendum utilius, nisi in eodem argumento versata deinde esset *Famiani Nardini a)* industria, ita locum inter rei Nummariæ interpretes dandum esse negamus erudito viro; quod perpaucos nummos, eosque vulgares, obiter ac veluti aliud agens, libro suo ornamenti vice accedere voluerit. Sed hæc de prima editione; nam ut ne hoc quidem opus prætermitti posset, effecit Cl. vir Joannes Georgius Grævius, à quo interpolatum hoc est, & rursus editum anno 1696. in tertio Antiquitatum Romanarum volumine, cum æneis tabulis haud paucis, in quibus plurimorum nummorum aversæ partes ad illustrandam lucubrationem maxime appositæ cælatæ sunt. Nimirum in his tabulis, non solum veterum ædificiorum vestigia, qualia adhuc extant, aut superiori sæculo extabant, repræsentari, sed hæc etiam integra delineari curavit, sæpe quidem ex conjectura, non raro etiam fide nummorum, quibus tabulas tanto studio distinxit, ut iis quoque locum esse voluerit, in quibus Deorum, Dearumque, & Virtutum, quarum vestigia supersunt, necnon Consecrationis Augustarum rarissima quæque symbola expressa sunt.

LIX. JOANNES HAULTIN.

De JOANNE HAULTIN, Consiliario, ut vocant, Regio in præfectura Parisiensi, nonnulla eo æquius monebimus, quo majori & rei literariæ &

a) Ut Alex. Donati de urbe Roma veteri ac recente libros IV. tomo *tertio*, ita Nardini libros VIII. Romæ veteris, à Jacobo Tollio Latine ex Italico versos & nitidissimis tabulis æneis ornatos tomo *quarto* thesauri Antiqv. Romanarum recudi curavit doctissimus Grævius. Nardini opus postumum primus Italice in lucem edidit & Alexandro VII. Pontifici dicavit Octavius Falconerius Rom. A. 1666. Idem Nardinus Antiquos Vejos simili studio descripserat Rom. 1647. itidem Italice. Alex. Donati libri de urbe Roma ad Urbanum VIII. nitidis illustrati iconibus ære descriptis prodierunt ante Grævii editionem separatim, Amst. 1695. 4.

riæ & gloriæ ſuæ damno mortalitate interceptus eſt anno 1640. dum opus pararet, quod ſatis conſtat futurum fuiſſe in hoc genere omnium quæ ad illam ætatem prodierant, multo utiliſſimum & elegantiſſimum: numismata enim non unius aut alterius ætatis, ſed urbium Græcarum, Regum, Illuſtrium virorum, Familiarum Romanarum, Imperatorum, Auguſtarum, Cæſarum, Tyrannorum omnium temporum rariſſima magnis ſumptibus à ſe collecta, cum ſtudioſis communicare meditabatur, eaque jam in tabellis æneis incidi curaverat, nec minus affabre quam Triſtanus, de quo mox, *b)* ſua, & multo accuratius, integra ſcilicet, & ſingulorum ſua forma ſive magnitudine, cum notis quæ metallum indicant. Atque utinam una cum eruditiſſimo viro non interiiſſet Commentarius, quem probabile eſt affectum jam tum fuiſſe! majore cum animi voluptate conſpexiſſem pulcherrimam illam numismatum ſeriem, *c)* quam ex æneis tabellis expreſſam ſervat Bibliotheca vere Regia cum hoc titulo:

Joan. Bapt. Altini Numismata non antehac Antiquariis edita, anno 1640. fol.

ubi profecto hanc videant cenſeo, quicunque elegantias noſtras ſectantur, donec amicus noſter Carolus Cæſar Baudelot, qui tabellas ipſas cum aliis eximiis veteris ævi monumentis comparavit, aut omnia illa numismata, aut ſaltem ſi quæ nondum prodiere, cum eruditis, quales ab ipſo expectari fas eſt, Commentariis edat.

Librum cujus titulum huncce profert Philippus Labbe *d)* in Bibliotheca Nummaria:

Hiſtoire des Empereurs Romains depuis Jules-Ceſar jusques à Poſtumus, avec toutes les Medailles d'argent qu'ils ont fait frapper de leur temps. A Paris 1641. fol.

in inſtructiſſimis Bibliothecis hujus urbis fruſtra quæſivi; imo qui de eo quid-

b) num. LXVI.

c) De hoc opere Haultini ſive Altini, quod Claudius Clemens pro libris Gallicanis centum & ſexaginta quinque redemtum Regis Chriſtianiſſimi Bibliothecæ, cui tunc præfectus erat, intulit, plura leguntur in libro Gallico, Eſſais de literature T. 1. p. 14. ſeq. 124.

d) ad calcem primæ partis, velut Anonymo auctore.

quidquam audierit, hactenus reperi neminem: an hunc quoque jam-jam proditurum immatura auctoris mors communi luce privavit?

LX. CASPERIUS GEVARTIUS.

Casperius Gevartius, Antuerpianus, J. C. Historiographus Regius, & Antuerpiæ Urbis Archigrammateus, non vulgarem ostentat in

Pompa Introitus honori Seren. Princ. Ferdinandi Austriaci &c. à S. P. Q. Antuerpiano decreta & adornata, &c. Antuerpiæ 1642. fol. maj.

Magnificentissimæ scil. Pompæ Rubenius artifex fuit primarius; Commentarii vero à Gevartio idcirco scripti sunt, ut intelligeretur quam erudite & ad veterum monetariorum mentem emblemata pleraque excogitarit celeberrimus pictor: quod profecto nisi ab eo viro qui studiosissime in ea arte in qua versamur sese exercuisset, præstari non poterat. Ac mihi quidem vere dici posse videtur, numismata in his commentariis cum plurima omnis generis sculpta esse elegantissime, tum etiam eruditissime exposita & demonstrata esse: quanquam quod de serpentibus in nummis expressis commentus est, bellorum eos semper symbolum esse, Tristano e) & Alb. Rubenio non probavit: & ab illo quidem, quem aperte læserat, acerrime confutatus est: hic vero lenem, & quæ familiaritatem non dissolveret, adversus eum disputationem instituit, cujus arbitrum esse voluit Lud. Nonnium, qui litem quidem secundum tabulas, ut ita dicam, Gevartii dedit; sed Nonnii judicium eruditorum consessus rescidit. Gevartii dissertatio f) edita est Antuerpiæ anno 1665. in 4. post Dissertationem Rubenii de nummo Augusti inscripto

ASIA

e) Gevartium oppugnat Tristanus addition. ad Tom. 1. Commentar. in numismata Imperatorum. edit. Paris. 1644. fol. A Gevartii & Rubenii sententia discedit etiam Laur. Begerus in disquisitione de nummis Cretensium serpentiferis, de qua infra, CLXII. 11.

f) Pro his verbis puto eruditissimum Bandurium scribere voluisse: *Rubenii dissertatio edita est Antwerpiæ 1665. 4. de nummo Augusti* &c. Sane nec Gevartii dissertatio Ann. 1665. nec post Rubenianam, quam illo anno lucem constat vidisse, prodiit.

ASIA RECEPTA. Cæterum Gevartio perdiu attributus est Commentarius in Numismata Arschotana, qui anno 1654. ejus cura prodiit; sed nunc laudati Rubenii esse constat, de quo vide suo loco g) quæ moneamus.

LXI. VINCENTIUS JOANNES DE LA STANOSA
LXII. PAUL. ALBINIANUS DE RAIAS.
LXIII. JOAN. FRANC. ANDRES.
LXIV. FRANC. XIMENES DE URREA.

VINCENTII JOANNIS DE LA STANOSA, Oscensis, honorifice meminit Ill. Spanhemius, h) ejusque in hoc studiorum genere & delectu industriam cum abunde laudatam à peregrinis testibus esse ait, tum erudite assertam vernaculo opere: profecto intelligit

Museo de las Medalas desconocidas Espannolas, In Huesca i) 1645. 4.

in quo Nobilis Hispanus nummos octoginta ferme supra centum, quos opinabatur *signatos Oscenses* fuisse k) exhibuit in buxeis tabellis ad idem exemplum, & profecto non affabre incisos, cum notis quæ singulorum metallum indicant: simulque tres de iis nummis dissertationes edidit: primam PAULI ALBINIANI DE RAIAS é Societate Jesu, alteram JOANNIS FRANCISCI ANDRES, Cæsaraugustani: utramque eruditam, sed hujus

g) infra, num. LXXVI.

h) de usu numismat. T. 1. edit. Lond. p. 36.

i) Exemplum hujus libri, quo usus sum, præferebat Cæsaraugustam, & annum 1644. exstatque Gluckstadii apud Rev. Virum, Gustavum Schrœderum.

k) Similes plane sunt nummi quos è nobilissimi Barii cimeliarchio exhibet, & ex lingua Punica sive Phœnicia illustratos à viro doctissimo Jo. Rhenferdo commendat Jo. Clericus V. C. Tomo XI. Bibl. selectæ p. 104. seq. Quanquam Gustavus Peringerus in Ecloga sive Catalogo librorum Illustris Sparwenfeldii p. 48. cum narrasset nummos ejusmodi triginta ab eodem illatos Bibliothe-ca RegiæHolmensi, addit felicius posse explicari è linguæ Scripturæque Runicæ penetralibus. Idem p. 60. aliorum Lastanosæ librorum meminit.

hujus prolixiorem, & in qua Antiquitates Hiſpanicæ non mediocriter illuſtrantur: tertiam denique FRANCISCI XIMENIS DE URREA, Caſtellani, turpiſſimis erroribus deformem, cum ſedecim aliis numiſmatibus.

LXV. FRANCISCUS ANGELONI.
LXVI. JOANNES TRISTANUS.
LXVII. JACOBUS SIRMONDUS.

FRANCISCUS ANGELONI, Italus, *l*) brevem Romanorum Principum à Julio Cæſare ad Conſtantinum Magnum Hiſtoriam patria lingua conſcripſit, & nummis bene multis in buxo inciſis illuſtravit:

La Hiſtoria Auguſta da Giulio Ceſare à Conſtantino il Magno, illuſtrata con la verita delle antiche Medaglie. In Roma 1641. fol. *m*)

in hoc vero opere commendando nulla eſt cauſa cur immoremur; utiliſſimum enim eſſe, etiam nobis tacentibus, facile exiſtimabit qui noverit idem cura Joannis Petri Bellorii *n*) recuſum poſt viginti & amplius annos fuiſſe, cum poſtumis Angeloni emendationibus, ut ſuo loco *o*) dicemus. Quanquam JOANNIS TRISTANI, Nobilis Galli, cenſuram effugere non potuit; hic enim cum pleroſque omnes ſuperiorum temporum Antiquarios ita de nummis ſcripſiſſe arbitraretur, ut vix eorum appetentiam facerent, tum Angelonum videri ſibi eorum interpretationem mala prorſus avi *p*) ſuſcepiſſe, ſemel atque iterum teſtatus eſt. Sed Angelonus, ut illatam ſibi injuriam propulſaret, primum Commentariorum Triſtani volumen perſtrinxit ſcripto Italico anno 1649. ut videtur edito, cui titulum hunc fecit,

Il Boni-

l) Interamnenſis, Academicus inſenſatus, & Hippolyti Cardinalis Aldobrandini à ſecretis. Vide Allatii Apes urbanas p. 103. ubi alia Angeolni ſcripta commemorat. Obiit Angelonus A. 1650.

m) Hendreichius in pandectis Brandenburgicis p. 185. teſtatur hunc librum exſtare verſum Germanice à duobus Hamburgenſibus. Sed priorem tantum partem à Chriſtophoro Bernardi translatum una cum Bonino habuit Mſ. atque editurum ſe promiſit Rud. Capellus ὁ μακαρίτης.

n) hic Angeloni ex matre nepos fuit. *o*) infra CXXVI. 2.

p) Triſtanus T. 1. p. 669. *Angeloni qui eſt ſi malhereux en ſes conjectures & explications des revers le plus faciles.*

Il Bonino, o vero Auvertimenti al Tristano intorno gli errori nelle Medaglie, nel primo tomo de' suoi Commentarii Historici. 4. q)

quo in scripto non ea solum numismata, quorum interpretationem in controversiam adducebat, sed nonnulla etiam quæ ad eam dirimendam facere videbantur, curavit incidi in æs. Porro utrum docti Itali censura æquior fuerit, quam ea de qua conquerebatur, viderint quibus ejusmodi lites inter eruditos probantur: profecto non effecit ut Gallicum scriptorem operis sui pœniteret: sed cum forte timeret ne quis vires ipsi ad sese tuendum deesse opinaretur, etiam ad ingerenda aversario probra superesse demonstravit in epistolis duabus, quarum primam Roma missam fuisse nescio cur finxerit:

Lettre écrite de Rome par M. de la Mothe-Humont sur le sujet d'un libelle intitulé, il bovino overo. &c. *Reponse du S. de Crapin, &c.* Paris 1650. 4.

Enimvero nihil hic Tristanus nisi solens more suo fecit; cum enim prodiisset illustratus à JACOBO SIRMONDO, Ricomagensi, Societatis Jesu Sacerdote, quem unum illa ætate doctissimum fuisse constat,

*Triplex Nummus antiquus Christi Domini, Perperenæ * Civitatis, & Hannibaliani Regis.* Parisiis 1650. 8.

Tristanusque iniquissime ferret à se descitum esse in eorum nummorum interpretatione, & descriptione, rebus levissimis scilicet, ac nullius ferme momenti, mirum quot maledicta in eum virum, qui nunquam sine laude nominandus erat, conjecit in *Epistola* & *Antidoto* eodem anno editis: quibus cum respondisset Sirmondus *Anti-Tristanis* duobus, sequenti anno confutatus *Antisophistico*, tandem didicit temere initam à se pugnam fuisse cum eo adversario, qui certamen ipsum non minus, quam victoriam appetere videbatur.

Porro omnes isti libelli Parisiis editi sunt in 8o. r) in quibus quicquid

q) In Catalogo Bibl. Barberinæ p. 171. liber hic non Angelono sed Jo. Petro Bellorio tribuitur. Et Bellorius ipse hoc professus est amicis, vide Placcii nostri τῦ μακαρίτυ Pseudonymos p. 133.

* hæc postea Theodosiopolis, in Asia minore.

r) Sirmondi non diu post A. 1651. 7. Octobr. defuncti triplex nummus & anti Tristani duo recusi sunt in Tomo IV. operum summi illius Viri, quinque Voluminibus junctim excusorum Paris. 1696. fol.

quid peccat Tristanus, nimia diligentia peccat in tuenda fama quam è Commentariis Historicis collegerat. Et profecto hi Commentarii ita scripti sunt, ut omnium superioris & suæ ætatis Antiquariorum Princeps merito jure habitus sit: *s*) de singulis enim Principibus Romanis plerumque ita differit. Primum eorum vitam brevissimam, & deliniatam duntaxat in conspectu ponit: deinde eorum mores, natales, res gestas expendit: & mores quidem non populari trutina, sed aurificis statera examinat: in cæteris vero eruditus, solers, ingeniosus, studiosorum votis forte satisfecisset, si quem ordinis rationem habuisset, itemq; si ipsis virtutibus suis moderari potuisset: nunc dum omnia miscet ac veluti coacervat,

s) Sirmondus in anti Tristano primo sub extrem. *Exegisti opus bonorum omnium approbatione dignum, multiplici doctrina refertum, Græcis Latinisque ornamentis distinctum, & veterum nummorum, quos in lucem primus extulisti, numero, varietate, præstantia & subtili eorum explicatione suspiciendum. Gaude præcellenti conscientiæ tuæ testimonio, Deoque immortali, cui debes, acceptum refer. Cæterum cave putes in opere tam longo somnum tibi nullum obrepsisse, atque in lucro tuo potius deputa, quod in errores tuos severus censor nullus inquirit.* Ezech. Spanhemius diss. IX. de usu numism. p. 774. edit. Amst. in 4. *Neque vero hoc agimus aut ita sumus adfecti, ut quicquam veris viri nobilis ac insigniter de his studiis meriti laudibus detrahamus; quod nullus hac aut superiori ætate pluribus iisque selectis nummorum monumentis hanc Romanæ historiæ supellectilem antiquariam locupletavit hactenus, aut congestis undique litterariis subsidiis, diligenter adeo atque operose, addam & felicissime frequenter illustravit. Mitto majorem aut nitorem dictionis vernaculæ aut amœnitatem ingenii, aut lectionis delectum, quæ in eo desiderant elegantiora, sed nimis nonnunquam fastidiosa ingenia. At in Græcis nummis Historiæ Augustæ explicandis solus ferme regnaret hactenus sine æmulo, si (quod in tyronum gratiam monemus, qui utilissimos ejus Commentarios terunt) in interpretandis & refingendis ad lubitum eorum numismatum, quæ non adsequebatur, inscriptionibus minus improvide aut licenter versatus fuisset, & majorem quendam usum habuisset interiorum litterarum, quæ per avia sæpenumero vagantem domum continuo revocassent.*

cervat, dum commentitias fabellas è Scriptoribus recentissimis ac vilissimis corradit, & pro veris obtrudit, dum levissimis conjecturis inductus, novas stripium series contexit, maxima sane molestia devoranda illi est, si quis Romanam Historiam in ejus Commentariis discere voluerit. Commentarium sequitur manus haud exigua numismatum Latinorum, Græcorum, Ægyptiacorum, ex auro, argento & ære, quæ Tristanus curavit incidi in æs veteri exemplo atque instituo, hoc est, ita ut in eorum sculptura chalcographus suum magis, quam veterum monetariorum artificium ostenderet: hoc enim lectorem semel monitum volo, nummos ad idem exemplum omnes olim incisos in æneis vel buxeis tabellis fuisse; sed cum præter symbola in iis expressa, juvet etiam varias artium mutationes ac veluti ætates perspicere, eaque cognitio non jucunda solum, verum etiam necessaria sit ei, qui certum de unoquoque veteris ævi monumento judicium ferre velit, celeberrimos Antiquarios Tristano recentiores morem à prioribus traditum solvisse, majoremque utilitatis quam elegantiæ rationem habendam censuisse, tametsi ne elegantia quidem in his desideratur; quo magis mirum videtur veterem morem servatum à Ducangio & Begero. Mille ferme & quadringenta numismata à se collecta Tristanus ipse monet, è quibus perpauca in primo volumine ea ingenio ita cælata sunt, ut ab Occone descripta erant, cætera ipse conspexerat: singulis uberiores notas subjunxit, in quibus flores eadem ratione sparsit, qua collegerat, hoc est haud magno delectu, eruditionemque ita congessit, ut timuisse videatur ne scrinia sua non satis cito exhauriret; quam ob rem in Ducangii sententiam libenter imus, quem ajunt dicere solitum, Tristanum & à conjectura in interpretandis nummis plerumque aberrare, & nunquam non docere. Commentarii isti tria volumina implent, vitasque Principum, Augustarum & Tyrannorum à Julio Cæsare ad Valentinianum complectuntur; t) sed in priori editione uno volumine circumscripti, nec ultra Crispinam Commodi perducti erant, & huic quidem, in qua numismata omnia sedecim æneis tabellis insculpta erant, titulum hunc addiderat Tristanus:

Commentaire

t) Tomus I. desinit in Commodo. II. in Decio, III. in Joviano cui Valerianus successit.

Commentaire Historique contenant en abregé les vies des Empereurs, &c. jusqu' à Pertinax, &c. Paris. 1635. fol.

in posteriori vero cum titulum immutavit in hunc modum,

Commentaires Historiques contenant l'Historie generale des Empereurs, &c. Paris. fol. 3. vol.

tum etiam numismata singula suis notis præfixit, primumque volumen & compluribus nummis novis, & aliquot additamentis ornavit, inter quæ Appendix ad numismata Claudii & Vespasiani inscripta PACI AUGUSTÆ, in qua conjecturas suas contra Gevartium *u)* tuetur, pro justa dissertatione haberi potest: in ea namque omnes omnium Antiquariorum de serpentibus in nummis expressis opiniones expendit, & quatuordecim his insignia numismata exhibet in ænea tabella.

LXVIII. AUGUSTINUS INVEGES.

Ut Catanæ historiam ante decem annos Petrus Carrera, ita Panormi Annales, aut verius primam eorum partem à natali ejus urbis ad felicissimum illud Tempus quo sacro Evangelii lumine recreata est, nummis è Peruta excerptis distinxit AUGUSTINUS INVEGES, *x)* Sacerdos Siculus eosque nummos in buxo eadem forma qua Carrera & Mirabella, insculpi curavit: totius autem operis titulus hic est:

Annali della felice cità di Palermo. In Palermo 1649. fol. 3. vol.

LXIX. LEONARDUS AUGUSTINUS.

Eodem anno LEONARDUS AUGUSTINUS * omnia Siciliæ Numismata à Paruta collecta restituit, cum accessione quadringentorum ferme numismatum, sed cum hæc quoque editio notis destituatur, eam indicasse sufficiet:

La Sicilia

u) de quo supra num. LX.

x) Præter *Augustinum Inveges* etiam *Marianus Valguarnera* in Antiquitatibus Panormitanus Italice 1614. 4. editis (Antichità di Palermo) ad nummos subinde provocat.

* Senensis, Idem qui gemmas antiquas edidit Rom. 1657. 4. cum enarratione quam Latine à se versam ex Italico addidit Jac. Gronovius in editione Franequ. 1694. 4.

La Sicilia di Paruta y) descritta con Medaglie, e ristampata con aggionta da Leonardo Agostini. In Roma 1649. fol.

LXX. GAILLARDUS GUIRANUS.

GAILLARDI GUIRANI, Nemausensis, z) extat non sane contemnenda

Explicatio duorum vetustorum numismatum Nemausensium ex ære. Arausione 1655. 4.

in qua in hoc potissimum incumbit, ut civibus suis probet, non colubrum maleficam bestiam, sed coloniam Nemausum consignatam fuisse in illis nummis quibus inscriptum est COL NEMAUSUS. Quæ tria volumina idem Guiranus ad calem opusculi illius pollicitus fuerat, a) ac Philippus Labbe sperabat proditura aliquando tandem in lucem, hæc novimus ante bienium comparata à Nobilissimo Barone ab Hohendorff, nôn ita quidem male descripta; sed nummi ita deliniati erant, ut iis, nisi harum artium peritissimus, uti non posset.

LXXI. JOANNES JACOBUS CHIFFLETIUS.

JOANNES JACOBUS CHIFFLETIUS, Visuntinus Archiater, ac deinde Medicus Cubicularius Isabellæ, homo liberali eruditione atque

I doctrina,

y) de Parutæ opere dictum supra, num. XLI. Hodie pleniorem & perfectiorem Siciliam numismaticam molitur *Joannes Maria Amati*, de quo vide Memorias literarias Trevoltinas A. 1705. p. 1640. & A. 1713. p. 1290.

z) in Nemausensi Senescallia Præsidialique curia Regii Consiliarii & in suprema Arausionensi Senatoris.

a) illorum tertium fuit de re nummaria veterum, cujus hæc capita præcipua: *Catalogus Auctorum qui de numismatibus scripserunt & qui ad illorum intelligentiam faciunt. De utilitate capienda ex numismatibus. An numismata sint monetæ annumeranda? De materia & falsitate nummorum. De fabricatione & notis nummorum diversi generis. De characteribus, numeris & litteris in illis expressis diversæ formæ. De numismatibus incognitis vel saltem obscuris & abstrusis. Explicatio D XXXV. antiquorum numismatum, ex diversis auctoribus & solo Nemausensi collectorum, ordine alphabetico cum figuris.* Quicquid sub terra est, in apricum proferet ætas.

doctrina, varia opera edidit, è quibus utrum recte ad Bibliothecam Nummariam relata sit à Philippo Labbe

1. *Vesontio Civitas Imperialis libera, Sequanorum Metropolis, &c.* Lugduni 1618. 4. *b)*

haud satis scio; quippe in qua tres quatuorve nummi apparent: sed profecto ad eam pertinebant, quas idem tamen prætermisit,

2. *Vindiciæ Hispanicæ, Editio altera; c) cui accessere: Lumina nova Genealogica, Salica, Prærogativa.* Antuerpiæ 1647. fol. *d)*

nam in Luminibus prærogativis, ut taceam duo Domitillæ numismata rarissima, taceam etiam Hispaniæ tria, Tyrannorum in Galliis à Postumo ad Sebastianum nummos XIX. exhibuit in ænea tabella affabre cælatos, inter quos sunt nummi Juniæ Donatæ, Lolliani, T. Ælii Proculi, quos excerpsit è MS. Codice Bibliothecæ suæ, in quo Hubertus Goltzius rarissimos aut singulares nummos plurimos singulari arte depinxerat, ut superius *e)* monuimus. Ejusdem est

3. *Anastasis Childerici I. Francorum Regis, sive Thesaurus sepulcralis, Tornaci Nerviorum effossus, Commentario illustratus.* Antverpiæ 1655. 4.

in quo opere nummos aureos duodecim à Theodosio Jun. ad Zenonem, nonnullus etiam argenteos, & ex ære maximæ formæ in urna sepulcrali repertos exhibet in æs incisos, & in notis brevioribus, perinde atque in superiori opere exponit, simul aliquot alios nummos repræsentat, maxime Helenarum, de quibus ita sentit; quæ Fl. Helena dicitur, hanc Constantini matrem fuisse: ejusdem nurum, Crispi conjugem fuisse Helenam Fl. Max. denique Constantino natam, & Juliano nuptum collocatam fuisse eam, quæ Fl. Jul. Helena appellatur.

LXXII. HENRICUS THOMAS CHIFFLETIUS.

Joannis Jacobi *f)* filius Henricus Thomas Chiffletius, Christinæ

b) Mihi ad manus est editio Lugd. 1650. 4.

c) Editio prior Antwerp. 1645. 4.

d) Postea his alia quædam addita quæ uno volumine comprehensa exstant sub titulo Operum politico Historicorum Chifletii, Antwerp. 1650. fol.

e) num. XIV. 4. *f)* A. 1660. Antwerpiæ defuncti.

ſtinæ Suecorum Reginæ Capellanus, & ipſe hæc ſtudia non ignave coluiſſe fertur; unum tamen duntaxat ingenii fœtum edidit, ac ne illum quidem vitalem: ſcilicet ut patris & patrui opinionem, nullos eſſe in mundo Othonis numos æreos confirmaret, ſingularem ea de re diſſertationem ſcripſit, quæ Antuerpiæ anno 1656. *g*) prodiit una cum aliis operibus, hoc eſt libro poſtumo *Claudii Chiffletii h*) de antiquo Numiſmate, Epiſtola *Nicolai Drackwitz* de Othone æreo falſo, ſerie Chronologica Impp. Romm. à C. Julio Cæſare ad Ferdinandum III. Auguſtum, & Elencho [admodum jejuno & imperfecto] auctorum qui Impp. Rom. Numiſmata peculiari Commentario, aut pro re nata ſcriptis ſuis illuſtrarunt. Atque in ea quidem fraudes hominum quorundam rei ſuæ quam publicæ diligentiorum in fingendis Othonianis nummis, fortaſſe detexit; ſed quod ſimul quæſivit, cur ejus Principis nummi ex ære cuſi non fuerint, id fruſtra à ſe factum deinde comperit, ſuamque opinionem non remiſit ſolum, ſed palam etiam retractavit in Epiſtola ad Car. Patinum *i*) quam inter ejus Numiſmata ex ære mediæ & minimæ formæ leges, ſi voles.

LXXIII. LUDOVICUS MOSCARDO.

Ludovicus Moscardo, Patritius Veronenſis, ob illud opus quod inſcripſit,

Note, overo Memorie del Muſeo di Lodovico Moſcardo, &c. dal medeſimo deſcritte. In Padoa 1656. fol. *k*)

I 2 inter

g) in quarto. Hæc diſſertatio nuper recuſa in tom. primo theſauri Antiquitatum Rom. curante nobiliſſimo Viro Alberto Henrico Sallengre, Hagæ Com. 1716. fol. *h*) de quo ſupra, num. LII.

i) Hæc Chifletii ad Patinum Epiſtola exſtat etiam Latina inſerta vitæ Reginæ Chriſtinæ quæ Germanica lingua prodiit Lipſiæ 1705. 8. p. 398. In Patini numismatibus Imperatorum occurrit p. 131.

k) Hujus Muſei editio ad manus mihi eſt ſecunda locupletior Veronenſis A. 1672. fol. in qua acceſſit altera pars inter varia monumenta antiqua pulcherrima paucorum etiam numiſmatum faciens mentionem. Sed p. 449-460. extat index locuples numiſmatum Moſcardi Imperatoriorum & p. 461. Conſularium, aliorumque varii generis antiquorum & recentium p. 462-467.

inter eos qui in hiſce ſtudiis verſati ſunt numerari fortaſſe poteſt; quanquam ibi triginta admodum numiſmata, aut certe non multo plura, ac ne ea quidem ſemper integra appareant in æs inciſa ſine Commentariis; ideoque hoc unum egiſſe videatur, ut ſtatuas quas è muſeo repræſentat, veterum nummorum authoritate demonſtraret ſimilitudinem referre illorum virorum, quibus eas ipſe tribuebat.

LXXIV. CLAUDIUS MENETREIUS,

Claudius Menetreius, * Viſuntinus, Bibliothecæ Barberinæ Præfectus, Antiquariorum locum aliquanto potiori jure tenet; nam in Diſſertatione quæ titulum præfert,

Symbolica Dianæ Epheſiæ ſtatua expoſita. Romæ 1657. 4. *l*) viginti circiter illius Deæ πολυμάςȣ (multimammiam dicere ſolent, ut Plinius multicaulem, multiforam, multipedam) numiſmata non in ære inciſa exhibet ſolum, verum etiam veterum Scriptorum ope illuſtrat.

LXXV. RAPHAEL TRICHET DU FRESNE.

Raphael Trichet Du Fresne, Burdegalenſis, elegans *de Charondæ effigie in nummo Catanenſi expreſſa*, hoc eſt de nummo Græco Catanenſium, in quo caput quoddam invenuſtum, & cornu inſigne, quod Charondæ eorum legislatoris eſſe exiſtimat, & ſceptrum alatum eloquentiæ ſymbolum expreſſa ſunt, Epiſtola ad Petrum Seguinum, *m*) cum Pariſiis edita eſt anno 1658. in 8. tum etiam in Selectis Numiſmatibus Seguini: *n*) ſed quam vir, ut ferunt, eruditiſſimus meditabatur Cretæ

* Non confundendus cum Claudio Menetreio Soc. Jeſ. qui obiit Pariſ. 1705. 21. Jan. pluribus & ipſe ſcriptis inclytus.

l) recuſus hic libellus poſtumus cum Jo. Petri Bellorii auctario, Rom. 1688. & in tomo ſeptimo theſauri Antiquitatum Græcarum, curante V.C. Jacobo Gronovio. Lugd. Bat. 1699. fol. Ediderat illum primum & Franciſco Barberino Cardinali, cujus cimeliarchio Menetrejus præfuit, inſcripſerat Fredericus Ubaldinus.

m) recuſa etiam in eodem theſauro Gronovii, tomo decimo. Cæterum Vir illuſtris Ez. Spanhemius, non Charondam ſed Silenum illo capite denotari exiſtimabat, diſſ. VII. p. 401. T. 1. edit. Lond.

n) p. 189. ſeq.

Cretæ Insulæ Descriptionem veteribus nummis illustratam, hanc mortalitate interceptus perficere non potuit.

LXXVI. ALBERTUS RUBENIUS.

Diu addubitatum est, cujusnam esset

In Numismata Regum & Impp. Romm. à Romulo & C. Julio Cæsare usque ad Justinianum Aug. [in Arschotana gaza olim asservata] *perpetuus & succinctus Commentarius.* Antuerpiæ. 1654. fol.

plerique Gevartio tribuebant, o) quia ab illo sciebant Bibliopolæ traditum in manum fuisse: nunc constat esse ALBERTI RUBENII, Belgæ, qui eum à se admodum juvene conscriptum fuisse p) palam professus est: atque hujus etiam sunt dissertationes duæ, *De Urbibus Neocoris*, & *De Nummo Augusti, cujus epigraphe* ASIA RECEPTA, simul editæ Antuerpiæ anno 1665. 4. q) In Commentario singula numismata describit, atque ubi opus est, brevibus, sed plerumque eruditis, & ad Symbola in iis expressa maxime appositis notis illustrat. In prima dissertatione non de Urbibus Neocoris disputat solum, verum etiam variis Græciæ Antiquitatibus, quæ in orationem ejus ob argumenti cognationem, ut ita dicam, incurrebant, lucem affundit. In altera nummum Augusti, huicque similes aliorum Principum nummos, hoc est serpentibus duobus, & cista insignes in Creta Insula cusos fuisse opinatur, atque ut illud probet, eruditionem suam intendit: in neutra nummos ipsos exhibet, quia in aliis libris, hoc est in Goltzii operibus, & in Thesauro Arschotano jam prodierant.

LXXVII. JOANNES LAURENBERGIUS.

JOANNES LAURENBERGIUS, cum Græciæ Antiquitates describeret, aliquot urbium & Insularum numismata indicaverat, quæ vir doctissimus Samuel Puffendorf, cujus opera Laurenbergii opus in publicam lucem editum est, in æneis tabellis incidi curavit, sed quod mendis epigraphæ

o) Vide supra, num. LX.

p) diss. de nummo, *Asia recepta*, p. 261.

q) una cum aliis Rubenii scriptis postumis, cura Jo. Georgii Grævii, qui utramque diss. illam quoque recudi curavit Tomo XI. thesauri Antiquitat. Rom. Ultraj. 1699. fol.

graphe ſcatent, elegantiæ magis quam lectorum utilitati attendiſſe videtur. Operis titulus eſt

Græcia Antiqua. Amſtelodami 1660. 4. *r)*

LXXVIII. MARTINUS GUICHARD.

Martinus Guichard, in eo libro quem inſcripſit

Noctes Granzovianæ de antiquis Triumphorum ſpectaculis. Amſtelodami 1661. in 12.

numiſmata aliquot exhibuit, quæ ad argumentum *s)* quod tractare inſtituerat, pertinebant.

LXXIX. FAMIANUS NARDINI.

Famianum Nardinum hic idcirco nominamus, ne quis eum à nobis imprudentibus prætermiſſum exiſtimet; cæterum perpauca numiſmata occurrunt, eaque nec integra, & ab aliis ſæpe deſcripta in ejus Opere inſcripto,

Roma Antica di Famiano Nardini. In Roma 1666. 4. *t)*

quod quinto anno ab ejus morte prodiit Octavii Falconerii cura, eximium illud quidem, & ordine ac ipſa argumenti tractatione abſolutum; ſed ejus auctor ſibi ipſe nondum ſatisfecerat, illudque variis additamentis ornaturus erat, cum ejus conſilia mors immatura diſturbavit.

LXXX PAULUS MARIA TERZAGUS.

Qua ratione ſuum Samuel Veyrel, *u)* eadem

Muſeum Septalianum, Dertonæ 1664. 4.

hoc eſt, Manfredi Settala, *x)* Nobilis Mediolanenſis, deſcripſit Paulus Maria Terzagus, Mediolanenſis; nimirum plerumque de averſa

r) Etiam hic liber recuſus in tomo quarto theſauri Gronoviani Antiquitatum Græcarum. Lugd. Bat. 1699. fol. Cæterum de tabulis Geographicis in eodem Laurenbergii libro obviis ita judicat Iſ. Voſſius p. 155. ad Melæ II. 3. tales pasſim eſſe, ut ſi nomina locorum in unum collecta caſu & temere in chartam conjiciantur, vix tamen perverſiorem ordinem & ſitum habitura ſint.

s) poſt Onufrium, de quo ſupra num. XVII.

t) Vide, ſi placet quæ annotavi ad num. XVIII.

u) de quo num. LV.

x) ſive Septalii.

aversa duntaxat nummorum parte, atque in ea de solo typo mentionem fecit, inscriptiones ut inutiles prætermisit; atque ita laconismo suo, de quo in operis titulo, nemo non intelligit quam inepte, gloriatus est y) effecit, ut nulli propemodum usui lucubratio ejus, in hoc quidem studiorum genere, haberi posset; nam quid in aliis musei illius patribus præstiterit, ut perpendamus, lectores nostri non expectant. Quoniam vero idem Museum Italica lingua descriptum iterum Dertonæ anno 1666. in 4. edidit Petrus Franciscus Scarabelli, illudque à se auctum testatus est, ne quem forte insciens fallat, necessarium est monere nummorum descriptionem, ut à Terzago confecta primum fuit, latino sermone hic quoque prodiisse.

LXXXI. CLAUDIUS BOUTEROUE.

Claudii Bouteroue, in Parisiensi Monetarum Curia Senatoris, librum inscriptum

Recherches curieuses des Monnoyes de France. Paris 1666. fol.

rectius fortasse ad eam Bibliothecæ Nummariæ partem quæ circa pondera versatur, ablegassemus, nam & prævia Dissertatione quæ tertiam ferme voluminis partem complectitur, totus esse videtur in veteri jure monetarum apud Judæos, Romanos & Gallos declarando ac definiendo: sed fines quos ipsi nobis præscripsimus, nemo, ut quidem speramus, nos excessisse queretur, si monuerimus pleraque illic antiquorum Gallorum numismata z) diligenter explicata, itemque ea quæ à Romanis, & dum Respublica vigebat, & cum Principibus paruere, cusa sunt cum notis quæ eorum pondus & valorem indicarent, in æneis lamellis perquam accurate scalpta exhiberi.

LXXXII. LUCAS HOLSTEINIUS.

Ex omnibus qui scripta sua nummis illustrarunt, nescio an ullus hic potiori jure recenseatur, quam Lucas Holsteinius, Hamburgensis,

y) *industrioso labore constructum, Pauli Mariæ Terzagi Mediolanensis Physici collegiati geniali laconismo descriptum*, ita titulus Musei Septal.

z) Etiam Hebræorum ac Samaritanorum. Vide Rich. Simonis Bibl. selectam Gallice editam T. 2. cap. 8. p. 133. seq.

ſis, & unus è Bibliothecæ Vaticanæ Præfectis: quem anno 1661. a) obiiſſe ferunt; nam *Notas & Caſtigationes poſtumas in Stephpni Byzantii* ΕΘΝΙΚΑ, quæ Theodori Ryckii cura prodiere Lugduni Batav. 1684. fol. tot numiſmatum ex editis libris, è Pyrrhi Ligorii Schedis, b) è Principum virorum, & amicorum muſeis collectorum luminibus diſtinxit, ut præ illo operam luſiſſe Ortelius * videatur: & ea quidem integra non exhibuit, quod averſæ partes ſolæ ad inſtitutum ſuum pertinerent; ſed cui Principi cuſa eſſent accurate monuit, perinde atque à ſe exſcripta ſunt; nec eorum ope Stephanum, & cæteros Geographiæ Scriptores ſingulis ferme paginis illuſtrare aut emendare contentus, quod ipſum per ſe magnum erat, typos etiam nummorum deſcripſit, & ſubinde explicavit tam erudite, quam breviter.

Ejusdem eſt *Epiſtola* erudita c) *de fulcris ſeu verubus Dianæ Epheſiæ ſimulacro*

a) IV. Non. Febr. ætat. 65. Vide Lambecium lib. 1. Bibl. Vindol. p. 12. & lib. 6. p. 235.

b) Pyrrhi Ligorii triginta circiter volumina in fol. lingua Italica de antiquitatibus ex numorum, inſcriptionum & aliorum veterum monumentorum penu illuſtratis ordine Alphabetico congeſta ſervantur MSS. in Bibl. regia Taurinenſi: aliqua etiam Romæ in Bibl. Reginæ Chriſtinæ, Farneſiana, Barberina in quibus magnum inter alia ſtudium Ligorius poſuit illuſtrandæ veteri Geographiæ, & nominibus populorum, civitatum, coloniarum, fluminum emendate ſcribendis. Ex immenſo hoc opere in quo πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, πολλὰ δὲ λυγρὰ, præclara multa, multa etiam dubiæ fidei aut confeſſæ novitatis, potius ſpicilegia à viris peritis colligi edique, quam integrum proferri in lucem optabat Ezechiel Spanhemius diſſ. IV. de uſu numiſmatum p. 191. ſeq. T. 1. edit. Lond. De eodem opere conſulenda Epiſtola illuſtris Scip. Maffei ad Apoſtolum Zenum de Codicibus MSS. Bibl. Taurinenſis inſerta Diario eruditorum Italiæ T. VI. p. 482. ſeq.

* De quo ſupra num. XVI.

c) Hæc Epiſtola ad Franciſcum Cardinalem Barberinum una cum Claudii Menetreii expoſitione ſtatuæ Dianæ ſymbolicæ (de qua ſupra num. LXXV.) recuſa eſt in tomo VII. theſauri Antiquitatum Græcar. Gronoviani. Lugd. Bat. 1699. fol. Eadem Holſte-

ſimulacro appoſitis, quæ cum Menetreii opere, de quo ſupra, publice prodiit.

LXXXIII. OCTAVIUS FALCONERIUS.

OCTAVIUS FALCONERIUS, Romanus, Diſſertationem ſcripſit *De Nummo Apamenſi Deucalionei diluvii typum* exhibente, hoc eſt, de nummo Philippi Auguſti Apameæ, in Syria, ut quidem ipſe mavult, cuſo, in quo Deucalion & Pyrrha in arca aquis innatante, iidemque extra arcam magnæ parentis oſſa poſt tergum jactantes expreſſi ſunt, una cum columbis duabus. Ac primum quidem de Apamearum numero, & de earum appellatione atque ἐτυμῷ accuratiſſime diſputavit; deinde vero ad ipſius nummi explicationem venit, & pleriſque congeſtis, quæ de Deucalioneo κατακλυσμῷ prodita ſunt à veteribus, demonſtravit manifeſta eorum, quæ ſacer ſcriptor de Noëmi diluvio prodidit, veſtigia in illorum fabulis apparere; Noëmum Deucalionem vocatum fuiſſe à Græcis, quibus ſolenne fuit peregrina nomina in notiora, & ſuis auribus accommodatiora commutare; eoſdem & Barbaros plurima è Judaïcis Antiquitatibus, atque ex ipſis libris ſacris tranſtuliſſe ad ſuperſtitiones ſuas & ſacra: denique ipſius diluvii monumenta quædam extitiſſe cum Athenis in templo Jovis Olympici, tum etiam maxime Hierapoli in Syria, quæ urbs Apameæ vicina fuit, in templo Deæ Syriæ, quæ è Luciani libello de Deâ Syriâ exſcripſit, ac diligenter expoſuit. In eadem Diſſertatione Falconerius plurima è nummis collegit ſacrorum inter diverſas urbes communionis exempla, indeque ὁμόνοιαν urbium non deſignare ſolum fœderis inter duas pluresve urbes initi ſocietatem, ob quam in ſingularum numiſmatibus apponi ſolitæ erant numinum, quæ in unaquaque potiſſimum colebantur, icones; verum eam vocem aliquando etiam ad illam communionem ſignificandam adhibitam fuiſſe oſtendit. Denique cum alia hic notatu digna occurrunt, tum haud aſpernandæ eruditiſſimi viri conjecturæ ad nummos duos, unum Hadriani, in quo Apamea Phrygiæ ΚΙΒΩΤΟϹ appellatur, alterum Commodi, in quo leo cum Bacchi ciſta, & thyrſo. Edita eſt hæc Diſſertatio primum Romæ cum *Inſcriptionibus Athleticis*, ab eodem Falconerio collectis & illuſtratis,

nii Epiſtola legitur in Jacobi Gronovii Minucio Felice p. 209. ſeq. Lugd. Bat. 1709. 8.

tis, anno 1668. 4. deinde post selecta Numismata è Museo Petri Seguini. c)

LXXXIV. PHILIPPUS LABBE.

PHILIPPI LABBE, Biturici, è Societate Jesu, extat

Bibliotheca Nummaria, ex Theologis, Jurisconsultis, Medicis ac Philologis concinnata, & in duas partes tributa. I. de antiquis Numismatibus, Hebræis, Græcis, Romanis, &c. Rothomagi 1678. in 8. *d*)

cujus Bibliothecæ titulus, cum plura polliceatur *e*) quam præstamus, tum etiam plura præstat quam pollicetur: illic enim libri, in quibus Icones Principum & illustrium virorum cælatæ sunt, enumerantur; sed ita ut eorum, perindeatque cæterorum, titulus tantum exscribatur, & quidem aliquando deformatus; *f*) ac præterea nonnunquam lauden-tur,

c) in editione Numismatum Seguini secunda Paris. 1684. 4. Denique hæc Falconerii dissertatio exstat in Gronovii thesauro Antiqu. Græcarum tomo X. sicut inscriptiones Athleticæ recusæ tomo VIII.

d) Prima editio Bibliothecæ nummariæ duplicis 1. de antiquis numismatibus & 2. scriptorum de monetis, ponderibus & mensuris, una cum mantissa antiquariæ supellectilis vidit lucem Paris. Anno 1674. 8. ad calcem Bibliothecæ Bibliothecarum, curis secundis auctioris. Deinde sæpius prælum exercuit hic liber ut Lipsiæ 1682. 12. addito Jo. Seldeni de nummis libello, & curante D. Adamo Rechenbergio 1692. 4. una cum scriptis Matthæi Hosti, & Guil. Budæo de asse. Subjicitur etiam Labbei Bibliothecæ Bibliothecarum auctæ ab Antonio Teissierio Genev. 1686. 4. sed ita ut Bibliothecam nummariam sine auctario recussam adjunxerit. Etiam in Anglia & Hollandia cum Seldeni libello editam sine nomine auctoris, indignatur Hadr. Bailletus in judiciis de Criticis Historicis quæ vulgavit Gallice, p. 28. Obiit Labbeus Parisiis. A. 1667. e) Vide supra, p. 7.

f) Rarissime hoc poterit Labbeo jure exprobari, qui primus diligentiam singularem in annotandis de re nummaria scriptoribus attulit. Nam quod ad Parutam attinet, plane præter rem hoc Labbeo impingitur. Vide quæ notavi supra, num. XLI.

tur, qui in mundo nunquam fuerint, ut Parutæ Thesaurus nummorum Oscensium.

LXXXV. JOANNES CAPPONIUS.

JOANNES *g*) CAPPONIUS, Bononiensis Medicus, cum Othonis nummum Ægyptium ex ære, Christianissimo Francorum Regi obtulisset, officii duxit refellere errorem Th. Chiffletii, * qui illius Principis nummos æreos reperiri posse ante aliquot annos negaverat; idque præstitit in Dissertatione edita Bononiæ anno 1669. 4. *b*) in qua etiam nummum suum protulit, & accurate interpretatus est.

LXXXVI. JOANNES ANGELIUS CANINI.
LXXXVII. MARCUS ANTONIUS CANINI.

JOANNES ANGELUS CANINI, Romanus, è familia Card. Chigii, in nummis veteribus nihil ferme quæsivit præter imagines regum & illustrium virorum; sed quia inscriptiones quæ capita ambiebant repræsentavit cum fide, prætereaque in notis alteram nummornm partem plerumque descripsit, inter Antiquarios quos recensemus numerari debet: libri titulus hic est:

> *Iconografia, cioe Disegni d' imagini de famosissimi Monarchi, Regi, Filosofi, Poeti ed Oratori dell' antichita, cavati &c. da frammenti de marmi antichi, e di gioie, medaglie, &c.* In Roma 1669. fol.

In eo imagines tres supra centum, pleræque è nummis Græcis & Familiarum expressæ, perpaucæ è numismatibus Impp. aliæ è marmoribus & gemmis. Notas in tres & sexaginta primas scripsit Angelus Canini, hoc mortalitate intercepto, in reliquas ejus frater MARCUS ANTONIUS CANINI: utriusque non ineruditæ videntur, tamen non semper εὐστόχους esse monuit eruditus amicus.

LXXXVIII PETRUS SEGUINUS.

PETRI SEGUINI, Parisiensis, S. Germani Autissiodorensis in patria Decani, duæ seorsim editæ extant Epistolæ, prima ad Raphaëlem Trichet

g) Jo. Baptista Capponius. * supra, num. LXXII.

b) *De Othone æreo suo Commentarius ad Ludovicum XIV. Regem Christianissimum.* Alia ejus scripta refert Gregorius Leti in Italia regnante T. 3. p. 89.

chet du Fresne *de Nummo Britannico*, Claudii scil. in quo post victoriam de Britannis consignatus est militaris jocus in incuriam illius Principis, & Narcissi ejus liberti, cui se mancipaverat, audaciam: altera ad Franc. Gottifredum *super dubiis quibusdam ad nummos Familiarum Romanarum F. Ursini spectantibus*, in qua Cn. Pompeii effigiem sæpius in nummis expressam esse demonstravit, quam vulgo crederetur, aliaque, præsertim de tribus Corneliæ Familiæ, & Papiriæ nummis admodum utilia congessit. Utraque Epistola Parisis in 8. prodiit, illa anno 1659, hæc anno 1660. ambæ deinde recusæ, & cum Selectis doctissimi viri Numismatibus compactæ sunt anno 1665. 4. Ejusdem Seguini est *Agathodæmon* Epistola ad Ill. Joan. Bapt. Colbertum, de serpentibus in nummis expressis, cum adjunctis Felicitatis & Abundantiæ symbolis; item ad Octavium Falconerium *Regius Nummus*, in qua Dissertatione primum Antiquariorum Romanorum sententiam, Sallustiam Barbiam Orbianam Severo Alexandro nuptam fuisse, variis argumentis confirmat; deinde è Regio nummo Rhesænæ cuso demonstrat Her. Etruscillam Trajani Decii conjugem fuisse. Porro ut elegantes & eruditæ epistolæ quas recensuimus, ita eruditissima quæ Vaillantii cura una cum iis iterum prodiere, post erud. viri mortem quæ anno 1673. accidit,

Selecta Numismata Antiqua ex Museo Petri Seguini, &c. ejusdem observationibus illustrata. Editio altera, &c. Paris. 1684. 4.

hæc enim centum circiter numero sunt, rarissima omnia, accuratissime scalpta in æneis tabellis, & quidem ea magnitudine qua singula olim cusa sunt, cum notis quales peritissimus quisque Antiquarius plerumque optaret à se conscriptas fuisse; *i*) tametsi professus fuerit Seguinus, non justos Commentarios scribi, nec illustrandam dedita opera rem nummariam hic à se esse susceptam; sed promissa duntaxat rariorum numismatum ectypa, quorum aspectu, & brevi prolusione, ad ulteriora quædam de iis edenda judicia, eruditorum industriam provocari posse sperabat. Hic Deorum icones scenam aperiunt, hoc est Serapidis, Fortunæ, Jovis Labradei, ejusdem infantis, Junonis Monetæ, Dianæ Persicæ, Liberæ & Hipponæ

i) Meritis laudibus extollitur Seguini ingenium non modo in Ephemeridibus Paris. A. 1666. sed etiam à Sirmondo in anti Tristano 1. pag. 30. Flechierio Espritio præf. ad Vitam Commendoni, Ezech. Spanhemio &c.

ponæ, quam nonnulli Eponam malè appellant, Sortis, Cabiri, Idæorum Dactylorum, Damnis & Calmi, qui vulgo Damnamenes & Celmis ſive Celmus, Sylvani denique, & quinque numinum Aſiæ in Mytilenæorum numiſmate; ſed ex hac ſerie Sortem porro exulare jubet Erud. amicus noſter Baudelot, *k)* & à Petro Petit monitus, hujus loco Copam Syriſcam reponit, de qua ſunt notiſſimi Maronis *l)* verſus,

Copa Syriſca caput Graia redimita mitella, &c.

Alterum caput Numiſmata Regum & virorum illuſtrium complectitur; in his Cyzici, Hectoris, Idriei, Thraciæ Regum, Sauromatæ, Herodis Chalcidenſis, Ptolemæorum duorum, Seleuci, Pyrrhi, Alexandri Epirotæ: viriſque haud minus illuſtres fœminæ adjunguntur, Smyrna Amazon, Pythodoris, Agrippina Claudii, Auguſti Livia, Cleopatra Phyſconis, Jotape, Julia Procla, & ſexus ſui maximum decus Septimia Zenobia. Tertio capite Familiarum Romanarum numiſmata exhibet Seguinus, ſuperioribus haud minus rara & eximia: quarto denique totus eſt in Imperatorum nummis qua Latinis, qna Græcis enarrandis. Selectis Numiſmatibus ſubjuncta eſt Ezechielis Spanhemii *de nummo Smyrnæorum* [quod inter ea prodierat] *ſeu de Veſta & Prytanibus Græcorum Diatriba*, de qua commodius ſuo loco *m)* dicemus. Hanc ſequuntur ad eadem *Notæ & obſervationes* Joannis Vaillant, in quibus Thraciæ & Sarmatiæ Regum hiſtoriam illuſtrat; Ptolemæo Jubæ filio, Mithridati Pontico, & alteri ejuſdem nominis Pergamenorum Archonti, & Neroni reſtituit numiſmata, quæ Seguinus Pollioni Mævio, Mithridati Pergameno, & Othoni contra jus faſque adjudicarat; aliorum inſcriptiones emendat, aut ſaltem conatur emendare, nonnulla nova ratione interpretatur; ac denique doctiſſimi viri ſententiam novis argumentis ſubinde confirmat. Cæterum lectorem noſtrum ſcire fortaſſe juvabit, Seguini ætate Theſaurum Regium locupletiſſimis incrementis auctum fuiſſe, quod in eum ipſe numiſmata ſua, ut ita dicam, transfudit, & Carolo Patino ut idem faceret perſuaſit.

k) Vide librum Viri doctiſſimi Gallice editum de fructu ex itineribus capiendo p. 645. (676. ſeq.)

l) in Copa, inter catalecta Virgilii.

m) infra num. CLXI. 4.

Eadem tempeſtate Theſauri Regii Numiſmata omnia quæ maximæ formæ eſſe videbantur, Imperatorum Romanorum ab Auguſto ad Phocam, cum nonnullis Urbium, in ſex & triginta æneis tabulis cælata ſunt à peritiſſimo artifice *de la Boiſſiere*; quibus tabulis aliæ quinque additæ poſtea ſunt, ſed non ad ſuperiorum magnificentiam, quibus nihil hactenus prodiit elegantius. Sed ut fructum aliquem ex hiſce cælaturis percipere poſſint ſtudioſi, monendi videntur, trecenta illic numiſmata maximi moduli exhibita eſſe, octoginta circiter primi; cætera quæ cælata ſunt aut in Theſauro deſiderari, nonum ſcil. tabulæ XII. decimum-tertium tab. XX. item decimum-tertium tab. XXVI. tabulæ XXX. nonum, & ſextum tab. XLI. aut fuſilia, recentiave & adulterina eſſe, in tabula I. ſextum, in II. alterum, primum in VIII. ſextum & nonum in X. in XII. decimum, in XIX. nonum, in XX. ſecundum, in XXV. tertium, quartum & ſextum: tertium in XXVI. quintum in XXX. denique in XXXVI. quartum, qui Phocæ effigiem præfert. Hæc inter recenſeri etiam poterat numisma duodecimum tab. X. in quo Caracallæ oris lineamenta mutata ſunt, ut M. Aurelii effigies videretur; ſed nec omittenda ſunt chalcographi ipſius σφάλματα, qui in nummo ſeptimo tab. VI. pro ficu ruminali, virum è turri quadam ſeſe præcipitem dantem expreſſit: in ſeptimo tab. XII. IMP. III COS III. ſcripſit, ubi erat IMP II TR P COS II. in ſeptimo item tab. XIII. non COS VI PP. ut oportebat, ſed C V PP. perperam: in tertio tab. XVI. ΔAC epocham pro AAC. in quarto tab. XVIII. TR P XVII. pro TR P XVI. in primo tab. XXIV. LIBERALITAS AUGUST IIII. pro LIBERALITAS AUGUSTI II. obtruſit, ut alia levioris momenti omittamus. Hoc etiam incautos feſellerit, quod tabula XII. primus nummus M. Aurelii averſa pars eſt, quam præceſſere Commodi numiſmata: item quod tabula XIX. & tabula XX. in utraque nummi duo, ſextus & ſeptimus Caracallæ effigiei ſubjuncti ſunt, cum ſint Elagabali.

LXXXIX. ÆGIDIUS LACARRY.

ÆGIDIUM LACARRY, Occitanum è Diœceſi Caſtrenſi, Societatis Jeſu Sacerdotem, commendat

Hiſtoria Romana à Julio Cæſare ad Conſtantinum M. per Numiſmata & Marmora antiqua teſtata, & illuſtrata. Claromonti 1671. 4. *n*)

quæ

quæ tamen Annalium potius, quam historiæ nomine censenda erat; nam quæ singulis annis in Romano orbe accidisse memoratu digna auctores produnt, hæc quam paucissimis fieri potuit verbis enarravit, suæque orationi subjecit descriptionem numismatum, si quæ putavit esse ad firmandam vel chronologiam, vel rerum narratarum fidem opportuna: quæ quidem Numismata si ex amicorum Museis, quam ex Occonis libro petere maluisset, multo utilior foret ejus labor. Historiam præcedunt Monita quædam in gratiam eorum qui in nummis veteribus minus versati sunt: item Epitome Chronologica, in qua tota concertatio, ut ita dicam, deliniatur. Sequuntur appendices duæ; prima seriem & Numismata Regum Syriæ, Ægypti, Siciliæ & Macedoniæ complectitur; altera constat Oratione, in qua Laccarryus antiquorum Numismatum intelligentiam interpreti Scripturæ Sacræ necessariam esse contendit.

XC. ANDREAS MARMORA.

Andreas Marmora, Nobilis Corcyrensis, patriæ suæ historiam Italico sermone scripsit, in octo libros distributam, quorum primi duo historiam complectuntur, ex quo incoli cœpit Insula, donec libertatem amisit, tertius eandem continuat usque ad Constantinum. His libris addita sunt in quinque tabellis æneis numismata ad sexaginta in Corcyra cusa; qua in re cum de patria sua bene, tum etiam de literatis non male meruit Marmora, tametsi in eorum descriptione à vero sæpiuscule aberraverit. Libri o) titulus hic est:

Della Historia di Corfu &c. libri otto. Venetia 1672. 4.

XCI. SERTORIUS URSATUS.

Sertorius Ursatus, Patavinus, Meteororum Professor, hic quoque

n) Idem ab eo tempore commendavit se Historia Galliarum sub Præfectis Prætorio Galliarum à Constantino M. ad Justinianum Imp. Claromonti 1674. 4. & Historia Coloniarum à Gallis in exteras nationes missarum, tum exterarum nationum Coloniis in Gallias deductis, ibid. 1677. 4. nec non diss. ad Abbatem Gallois de anno primo & ultimo regni Hugonis Capeti, & de anno mortis Regis Roberti ejus filii. ibid. 1680.

o) Hunc videre desiderabat illustris Vir Ezech. Spanhemius p. 428. ad Callimachum, ubi nummos κοϱκυϱαίων memorat.

que memorandus eſt ob librum de *Notis Romanorum* Patavii editum anno 1672. fol. *p*) quod in eo notas tam in nummis, quam in lapidibus ſculptas explicare conatus eſt.

XCII. JACOBUS ZABARELLA.

Eſt Patavii nobilis, ut vocant, Academia doctorum virorum qui *Ricoverati* dicuntur: hos inter communis eſt Bibliotheca, quam, quia illuſtrium virorum elogiis à *Joanne Cavacio* ornata eſt, *Aulam Heroum* appellare ſolent: atque ut hæc elogia à materno proavo conſcripta in publicam lucem ederet Comes JACOBUS ZABARELLA, *q*) novos Faſtos condidit cum hoc titulo:

Aula Heroum: ſive, faſti Romanorum ab Urbe Condita uſque ad an. Dom. 1674. Patavii 1674. 4.

iiſque numiſmata à Romulo ad Theodoſium uſque impolite admodum ſcalpta nonnunquam interſeruit.

XCIII. JOACHIMUS OUDAAN.

Librorum plerorumque quos hactenus recenſuimus quoddam veluti compendium eſt JOACHIMI OUDAAN, Batavi, opus inſcriptum,

Roomſche Mogentheith of Naeuvvkeurige beſchriving, &c. *h. e.* Romana potentia accurate deſcripta, & per nummos teſtata & illuſtrata. t' Amſterdam 1671. 4. *r*)

quod

p) Hoc utiliſſimum opus Urſati integrum recuſum eſt in tomo undecimo theſauri Antiquitatum Rom. Græviani. Ultraj. 1699. fol. Epitome ejus exſtat ad calcem marmorum Arundelianorum Humfredi Prideaux. Oxon. 1676. fol. Altero tanto auctius & ſimili de notis Græcorum numiſmatum locupletatum vidi à Nobiliſſ. Viro Chriſtophoro Woltereck, Glückſtadienſi. De aliis Urſati ſcriptis qui etiam Occonis numiſmata obſervationibus ſuis illuſtrata edere habuit in animo, videndus Gregorius Leti in Italia regnate T. 3. p. 245. ſeq.

q) Ejus alterum librum memorat Labbeus hoc titulo: *gli arronzi, o vero de' marmi antichi, con la vita di Lucio Arronzio Stella, e di Mario Arronzio Aquila.* Patav. 1655. 4.

r) Exempla quædam hujus libri præferunt annum 1664. Idem hic eſt Oudaanus qui ſupplementum edidit in Bizoti hiſtoriam Hol-

quod opus si latina lingua scripsisset, rem pergratam fecisset eruditis, quorum plerisque Batava lingua minus familiaris est. Septem Dialogis constat hæc lucubratio, quorum primus est de nummis in universum; in altero recensentur à C. Julio Cæsare ad Julianum Apostatam & Eugenium Tyrannum, quicum idololatria funditus interiisse videtur, Principes omnes qui Romano Imperio præfuerunt, & plerorumque effigies exhibentur: tertius complectitur Numismata Latina Provinciarum & urbium, è quibus Romanus orbis constabat: quartus & quintus Numismata item Latina Deorum Dearumve, quos Romani olim coluere: sed in quinto recensentur qui cœlestes semper habiti sunt, hoc est majorum gentium Dii, quibus admiscentur nonnulli Indigetes, quos merita vocasse in cœlum videbantur; quartus vero totus est de Virtutibus propter quas datur hominibus ascensus in cœlum. In sexto & septimo disputatur de re militari, de triumphis, præmiis, ludis, Consecrationibus, ædificiis publicis, votis, rebus sacris, ac denique de omnibus, quæ eruditus Batavus reperit in nummis Latinis insignia ad memoriam Romanæ potentiæ, quam demonstrare volebat. Porro quam accurate materiam hanc tractaverit, libenter discemus ex aliis; hoc unum, de quo in operis titulo sanequam inepte gloriatus est, monere possumus, virum Calvinianæ sectæ mancipatum, cum veterum Romanorum cæremonias religionesque in deos describeret, easdem à nobis capessitas testatum esse, arreptoque maledicto è trivio, idololatriam nobis affinxisse. Quod vero ad ejus diligentiam in colligendis nummis spectat, hoc primum lectorem scire volumus, plerosque antea editos, & è libris petitos ab Oudaano fuisse; deinde omnes ad idem exemplum cusos in centum & quindecim tabellis æneis, é quibus quatuordecim effigies Imperatorum repræsentant, cæteræ aversas duntaxat partes, quas ille in Dialogis monet ad quem Principem pertinuerint; illud quoque non inutile erit monere, cum cæteræ Augustæ hic desiderentur, & inter Augustos desit Constans, Victorinam tamen hic exhiberi, ex Octavii Stradæ cælatura expressam: item quarto Dialogo de Diis & Deabus plus ferme typorum & inscriptionum adjici posse, quam quod illuc congestum est; quod postremum tamen vitio huic dare nolumus, quem satis constat tantum ferme

landiæ ex numis illustratam. Vide Acta Eruditor. A. MDCXC. pag. 538.

ferme præstitisse, quantum vir diligentissimus præstare illa ætate potuit.

XCIV. JACOBUS OISELIUS.

Cum è tabulis Oudaani cura cælatis lucrum iterum facere vellent typographi, JACOBUM OISELIUM, s) Juris Publici Professorem Groningæ, ut in eas Commentarios latina lingua conscriberet hortati sunt; quos ille succisivis horis intra quadriennium confecit, ut plurimum eruditos & ad symbola in nummis expressa maxime appositos; & ita quidem, si ipsi credere fas est, ut quod maximis occupationibus implicatus quotidiana opera absolverat; prælo committeretur continuo, nec deinde per otium politius limaretur. Operis titulus est:

Thesaurus Selectorum Numismatum Antiquorum, &c. cum singulorum succincta descriptione & accurata enarratione. Amstelodami 1677. 4.

quo in opere primum Numismata ex Oudaani tabellis expressa exhibuit, decem in classes tributa, in eundem tamen propemodum ordinem, quem Batavus scriptor ipse sibi præscripserat dispositа, nisi quod in postremam classem quæ Miscellaneorum est, rejecit tabellas duas, quæ primo illius Dialogo illustrabantur: deinde singula breviter descripsit, & ad quem Principem quamve Familiam pertineant monuit, & si quid in illis reperit quod negotium facere posset iis qui in hoc studiorum genere minus versati sunt, plane & aperte explicavit.

XCV. MATHIAS LINCK.

MATHIAS LINCK, Germanus Saxo, *Exercitationem Historicam* edidit *de bello Trojano,* in qua ostendere conatus est, Trojam à Græcis in illo bello, quod Poëtarum fabulis toties decantatum est, flammis ruinisve non fuisse deletam, in eamque rem tribus potissimum nummis usus est, quos profecto Exercitationis Præsidi *Eberh. Rudolfo Roth t)* placuisse nemo

s) Obiit diem supremum A. 1687. vir pluribus scriptis editis, & instructissima Bibliotheca, quam A. 1688. publica auctionis lege distrahi contigit, clarus.

t) Hic (non Linckius) auctor istius dissertationis, qui etiam de bello Trojano Exercitationem ediderat Jen. 1672. in qua confutat Jacobum Hugonem, qui sub Trojæ imagine excidium Hierosoly-

nemo non mirabitur: primus ſcil. Priamum cum βασιλέως titulo exhibet, in averſa Trojam; alter Menelaum & pugnam; tertius Helenam quæ illic βασιλίσσῃ eſt, cum Felicitate, ara & face. Mirum illic eſt Rudolfi Capelli acumen, qui in Muſeo Luederiano hujuſcemodi quisquilias Claudii ætate ab Illienſibus cuſas opinatur. Exercitatio prodiit Jenæ anno 1674. in 4.

XCVI. ULRICUS OBRECHT.

Ulrici Obrecht, *) Hiſtoriæ & Eloquentiæ Profeſſoris in Academia Argentoratenſi, extare dicitur *Diſſertatio de Domitiani nummo Iſiaco*, Argentorati edita 1675. 4. ſed eam hactenus videre non licuit: at ejus eſt

Diſſertationum ſelectiorum quondam in Academia Argentinenſi propoſitarum liber. Argentorati 4. *u*)

quas inter Diſſertationes, una eſt *de legione fulminatrice*, *x*) cujus hiſtoriam ex nummis conjicit referendam eſſe ad TR POT XXV. M. Aurelii; & altera de *Tribunitia Cæſſ. Romm. poteſtate*, *y*) in qua, poſtquam omnes, quas alii antea inierant, rationes annos Tribuniciæ Poteſtatis nu-

mitanum & alias res ſacris litteris traditas ab Homero fuiſſe decantatas ſcripſerat in libro cui titulus: *Vera hiſtoria Romana ſeu Origo Latii vel Italiæ ac Romanæ urbis è tenebris longæ vetuſtatis in lucem producta.* Rom. 1655. 4.

* obiit 6 Auguſti A. 1701. in patria ſummis dignitatibus functus & Præſes Regius ab Anno 1685.

u) A. 1704. edente V. C. Joanne Caſpare Kuhnio. In hac collectione p. 459-470. legitur Obrechti Epiſtola ad Eliam Brackenhoverum, Quindecimvirum Argentoratenſem de numo Domitiani Iſiaco, cujus altera facie capiti Imperatoris laureato circumſcriptum legitur: *Cæſar Domitianus AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunitiæ POteſtatis XV.* Altera facie exſtat figura ſedens in corona, caput galero tecta tunicam induta manicatam cinguloque correptam & ad ima veſtigia defluentem, dextra inſtar cordis protendens, læva qua crucem lateri applicat, lunæ dimidiatæ, pede autem ſiniſtro in puppim liburnæ innixa.

x) diſſ. XVIII. p. 361. ſeq. *y*) diſſ. XXII. p. 426. ſeq.

merandi ſolerter ventilavit, hanc opinionem ſibi placere profitetur: quo quiſque tempore Imperator Tribuniciam Poteſtatem acceperit, ab eo primam periodum Tribuniciam numeratam fuiſſe ad tempus, quo Tribuni ordinarii Magiſtratum inibant: ab eo autem tempore TR. POT. II. computari ſolitam ad Nonas, vel IV. Idus Decembr. anni Juliani ſequentis, à quo principio TR. POT. III. cœpit procedere: eaque ratione difficultates aliquot è nummis ortas evitat.

XCVII. LAURENTIUS LEGATI,

LAURENTIUS LEGATI, Cremonenſis, Græcæ Humanitatis Profeſſor Bononiæ, cum ſuſcepiſſet editionem Muſei, quod patriæ ſuæ donaverat *Ferdinandus Coſpi* Patritius Bononienſis,

Muſeo Coſpiano, &c. donato alla ſua patria dall' Ill. Signor Ferdinando Coſpi, &c. In Bologna 1677. z) fol.

Numi-

z) Eodem anno 1677. Argentorati in 4. lucem vidit etiam Muſeum Brackenhoverianum *Eliæ* illius *Brackenhoveri*, ex cujus cimeliarchio petitum Domitiani numum Obrechtus modo laudatus illuſtravit. In eo quoque numi quidam inſignes commemorantur. Quoniam vero titulus Muſei Coſpiani teſtatur illud Muſeo Aldrovandi à Bononienſibus adjunctum eſſe, *Muſeo Coſpiano, anneſſo à quello del famoſo Uliſſe Aldrovando,* hoc mihi in memoriam revocat, *Aldrovandum* quoque in hac Bibliotheca locum non ſine cauſa promereri, cujus hæc ſunt verba libro IV. Ornithologiæ ubi de aquila: *Ut modo ſtudioſi omnis Antiquitatis utilitatem aliquam ex noſtris hiſce Naturæ hiſtoriis percipiant, ſuis propriis ac aptis locis numiſmatum Imperatorum, aliarumque familiarum antiquiſſimarum & præſertim ubi aquilæ inſcribuntur, utrumque latus declarare decrevi. Atque id eo lubentius facio, cum cognoſcam hoc erudititiſſimo ſæculo in maximo haberi honore illa ſtudia, in quibus variæ traduntur hiſtoriæ, & præſertim illa quæ ad numiſmatum marmorumque antiquorum lectionem ſpectant. Multa enim ſub eorum cortice latent myſteria naturæ, quæ maxime & perſcrutantium palato arrident, animumque oblectant. Fateor equidem, me ex hiſce ſtudiis maximum ſemper fructum percepiſſe, atque hic inter alios authores, Æneæ Vici, Huberti Goltzii, Guilelmi Chouli, Galli, Sebaſtiani Erizzi opera uſum*

Numiſmata quæ in illo aſſervabantur exhipuit quarto libro, hunc in ordinem diſpoſita; primum Imperatorum Romanorum à C. Julio Cæſare ad Juſtinianum; deinde Auguſtarum à Julia ad Soloninam: mox Familiarum, & ea quorum pondus & valorem indicant notæ adjectæ, poſtremo Græca tum Regum, tum Urbium; & hæc quidem perpauca numero, ſed accurate deſcripta, Latina vero ut ab Occone & Mediobarbo. Numiſmatibus breviores notas interdum ſubjunxit, ſimul quænam in libris editis antea prodiiſſent (prodierant autem pleraque) accuratiſſime monuit; quod quidem nullo exemplo fecit, ſed ipſius exemplum iis qui in Muſeis deſcribendis operam ponunt, ad imitandum proponi poſſe videtur.

XCVIII. JOANNES SMETIUS.

Joannes Smetius, Batavus *a*) & ipſe Muſeum à ſe vel à patre conquiſitum edidit, cum hoc titulo:

Antiquitates Neomagenſes, ſive notitia rariſſimarum rerum antiquarum, &c. Noviomagi Batavorum 1678. 4.

ſed cum multam nummorum veterum manum uterque collegiſſet, ea tantum in rei nummariæ ſerie *b*) deſcripſit, quæ vel in Fulvii Urſini Familiis, vel apud Occonem deſiderabantur, hoc eſt Conſularia aliquot, XII. Cæſarum ſingulorum unum, nonnulla Gallieni & Poſtumorum, iiſque notas breviores ſubjunxit.

XCIX. JOANNES SEOBALDUS FABRICIUS.

Singularem profecto & reconditam eruditionem oſtentat Joannes Seobaldus Fabricius, Spiræ Nemetum natus anno 1622. & Logicæ ac Græcæ linguæ in Academia Heidelbergenſi profeſſor, *c*) in eo libro quem inſcriqſit,

C. Julius Cæſar Nomiſmaticus, ſive Diſſertatio Hiſtorica, Dionis

fuiſſe. Sed ſtudia iſthæc inprimis promovet αυτοψία ipſa, ideoque tum Romæ, Florentiæ, Ferrariæ, tum etiam in aliis locis apud Sereniſſimos Principes rariſſima multa vidiſſe mihi plurimum profuit.

a) Filius editor libri, Patri cognominis, Paſtori Eccleſiæ Noviomagenſis, qui defunctus A. 1651. 30 Maj.

b) à pag. 169. ad 248. ſive finem usque libri.

c) ab A. 1653. Vide ſi lubet Centuriam Fabriciorum p. 56. ſeq.

nis Cassii Scriptoris Græci Commata, C. Julii Cæsaris ortum, dignitates, connubia, interitum, rogum, & apotheosin complexa Nomismatum comparatione illustrans. Londini 1678. 8.
quam arduum enim fuerit numismata C. Julii Cæsaris & aliquot virorum ejusdem ævi illustrium ex editis libris exscribere, eorumque convenientiam cum Dione, Græco Scriptore scilicet, demonstrare quis non intelligit? quod ille tanta diligentia præstitit, ut ne Corneliæ quidem, & Calpurniæ Cæsaris uxorum numismata ab Ænea Vico expressa omiserit. Extra jocum, singula commata in plures observationes distributa sunt, in quibus ut nihil novi præter ipsam scribendi rationem, ita plerumque nihil mali deprehendimus. Dissertationem præcedit epistola prolixior, tertiam ferme libri partem complexa, in qua numismatum præstantia, non demonstratur quidem (id Ill. Spanhemius jam confecerat) sed grandibus verbis prædicatur: sequuntur cum aliæ appendices quæ ad nos non pertinent, tum una in qua Anglos ita ferme nunc scribere, ut veteres solebant, veterum nummorum ope demonstrare conatur.

C. RUDOLFUS CAPELLUS.

Inter Scriptores qui in eodem argumento, quod nunc tractamus, versati sunt, hoc est, Indices librorum quibus nummi illustrantur, conscripserunt, nescio an quisquam diligentior fuerit Rudolfo Capello, *d*) S. Theol. Doctore & Hamburgensium Professore: ille enim opera omnia quæ vel minimam cum re nummaria affinitatem habere videbantur, in suam seriem congessit. Sed ut libere dicamus, nimia ejus diligentia non minus noxia videtur quam aliorum negligentia; quippe quæ turbat magis quam juvet, nec studia promovet, sed ab illis deterrere potest

d) obiit vir optimus A. 1684. 20 April. cujus exstat etiam alter liber ad Bibliothecam hanc spectans, & illo ipso A. 1684. Hamb. in fol. editus qui inscribitur *Rariora Becceleriana*, nam in eo refert ac describit numos quam plurimos non recentes modo sed etiam antiquos Græcos Latinosque aureos, argenteos, æreos, asservatos in cimeliarchio Amplissimi Viri *Georgii Becceleri*, Senatoris Hamburgensis τȣ̃ μακαρίτȣ. De notis ad Epistolam Philippi II. Pomeranorum Ducis de numo Zenonis Isaurici, dictum supra, num. XXXIII.

est. Alia sunt ejus Bibliothecæ incommoda: primum, quod varias ejusdem operis editiones recenset, quarum tituli cum inter se non raro differant, in fraudem inducitur lector, ac duorum operum mentionem fieri existimat; alterum, quod cum maximam partem librorum de quibus agendum erat, oculis ipse suis non vidisset Capellus, & ea tamen quæ per se noverat ab aliorum commentariis distincta ac separata esse vellet, ne in plagii crimen incurreret, πολυγράφους scriptores, ut ita dicam, distrahere, variosque Indices in suo indice describere coactus est; prout nimirum ordinem literarum sectanti sese obtulit Bibliographus, qui meminisset librorum quos ipse nondum contrectaverat. Hæc Bibliotheca, pars est operis inscripti

Nummophylacium Luederianum antiquum & recentius, Hamburgi 1678. fol.

quo in opere, eorum qui Museum Luederianum *e*) adibant, studia juvare cum sibi proposuisset Capellus, primum typis iterum commisit librum Claudii Chifletii de numismate antiquo *f*) deinde Indicem de quo locuti sumus composuit, tres ejus qui Museum descripserat præfationes edidit, postremo numismatum quæ illic servantur, numerum iniit; quamobrem merito jure nummophylacium illud *in sciagraphiâ* à se *exhibitum* fuisse professus est; sed idem falso tradidit *usui* esse *accommodatum*.

CI. JOSEPHUS MONTERCHI.

Josephus Monterchi numismata maximæ formæ tria supra viginti *g*) è Museo Emin. Card. *Gasparis Carpegna*, in æs elegantissime incisa exhibuit, & Commentariis illustravit:

Scelta de Medaglioni piu rari nella Bibliotheca dell' Em. & Rev. Principe il Signor Card. Gasparo Carpegna. In Roma 1679. 4.

ex his unum Antinoi est, cætera Principum Romanorum à Pio ad Constantinum usque, sicut & alia circiter viginti, quæ in Indice accurate descripta sunt. Sed hujus operis Mediobarbus non Monterchium, verum *Joannem Petrum Bellorium* auctorem laudavit, ipseque Commentariorum scriptor ad nummum quintum monuit, se primum omnium

e) Viri nobilissimi, Georgii Luederi. *f*) Vide supra, n. LII.

g) longe plura postea vulgavit illustravitque Philippus Buonaroti, de quo infra, num. CXLVIII.

omnium publici juris fecisse Columnam Antoninianam Petri Santi-Bartoli opera sculptam, quam columnam satis constat Bellorio * acceptam esse referendam. Qui tamen hunc ipsum librum latine versum rursus edidit cum hoc titulo,

Rariora maximi moduli Numismata, selecta ex Bibliothecc Emin. & Rev. Principis Carpegnæ, &c. h)

is Monterchii solius meminit; sed utriuscunque sit hic ingenii fœtus, ille profecto non mediocriter eruditus fuisse videtur.

CII. JACOBUS PERIZONIUS.

JACOBI PERIZONII, Batavi, *i)* habetur

Dissertationum trias; in quarum. &c. tertia de variis Antiquorum nummis agitur. Daventriæ 1679. in 8.

In ea primum è Familiarum Romanarum numero Heliam expungit, & in nummo in quo L H TUB. non *Lucius Helius Tubero*, ut Patinus, sed *Lucius Hostilius Tubulus* legit, & quis ille Tubulus fuerit docet: deinde in nummo M. Arrii Secundi, quem laudatus Patinus ob literas F P R. Fecialem Populi Romani fuisse opinatus erat, Fortunam Populi Romani expressam esse demonstrat, ac de ea fuse & accurate disserit: mox rationem nomina quædam inter alia interjiciendi illustrat, & cum varios doctorum virorum errores emendat, tum in nummo C. Flavii apud Ursinum Themidem restituit, quam à Carmenta haud diversam fuisse, & idcirco cum horrentibus comis & cum lyra effictam monet, quia fatidicum nomen fuit. Illud quoque notandum videtur, Cl. Seguini opinionem,

* Rom. 1676. fol.

h) Amsterd. 1685. 12.

i) Hic Antonii Perizonii, Theologi Daventriensis filius, cum Franequeræ primum deinde Lugd. Batav. humaniores literas summa laude docuisset, diem obiit 1715. die 16. April. Ex ejus scriptis ad hanc Bibliothecam quoque spectant nonnulla quæ nummis quibusdam familiarum Rom. illustrandis attulit in *animadversionibus Historicis*, vulgatis Amst. 1685. 8. unde ansam sumsit Andreas Morellus ad Perizonium scribendi: nec non Perizonii *responsio ad Epistolas Andreæ Morelli de variis consularibus familiarum Romanarũ nummis*, quæ exstat ad calcem dissertationis de ære gravi quam Perizonius edidit Lugd. Bat. 1713. 12.

nionem, nulli Romano, dum Reſpublica fuit, pecuniam ſua effigie ſignare licuiſſe, hic in dubium vocari, & aliquot exemplis impugnari; ſed nec illud omittendum, in nummo Rhodiorum apud eundem Seguinum cap. 2. non Agrippinæ Claudii, ſed Hyperionis cujus nomen ibi legitur, ſive Solis caput cælatum eſſe turrita corona cinctum. Cætera in eruditiſſima diſſertatione legere potes.

CIII. JOANNES FRIDERIC. HEKELIUS.

Joannis Friderici Hekelii, Germani Saxonis, epiſtolas duas *k*) indicaſſe ſufficiet; primam *De Nummo aureo, quem Conſtantinus M. accepto ſacro-ſancto Baptiſmate juſſit ſignari.* Dreſdæ 1679. 4. alteram *De Nummo argenteo, quem Conſtantinus M. cudi juſſit, cum anno Imperii ſui ultimo filiis ſuis Imperium eſt partitus.* Dreſdæ 1680. 4. Uterque ſcil nummus adulterinus eſt, & quidem imperite confictus.

CIV. SEBASTIANUS FÆSCHIUS.

Extat etiam Sebastiani Fæschii, Baſileienſis, elegans & erudita *De Nummo Pylemænis Evergetæ Regis Paphlagoniæ Epiſtola.* Baſileæ 1680. 4. quam Gallice verſam Jac. Spon iterum edidit in Miſcellaneis eruditæ antiquitatis Gallicis, *l*)

CV. JOAN. JOACHIMUS MADERUS.

Joannis Joachimi Maderi, Hannoverani, notæ ad Onuphrii Panvinii librum de Triumpho, anno 1681. editæ Patavii, ut ſupra *m*) monuimus, cum eruditæ ſunt, tum numiſmatibus aliquot in buxo inciſis diſtinctæ; quæ Numiſmata & lucem concertationi non modicam affundunt, & ab ipſa non parum illuſtrantur.

CVI. JOANNES CROPHIUS.

Joannes *n*) Crophius Germanus Saxo, & ipſe inter Antiquarios, qui hæc ſtudia

k) ambæ junctim recuſæ Francof. 1693. 4.

l) Lugd. 1683. 4. Occurrit etiam Epiſtola Fæſchii in Tomo IX. theſauri Antiquitatum Græcarum Gronoviani Lugd. Bat. 1699. fol.

m) Vide quæ dicta num. XVII.

n) Joannes Baptiſta Crophius, cujus Antiquitates Macedonicæ recuſæ in Tomo ſexto theſauri Antiquitatum Græcarum curante V. C. Jacobo Gronovio.

ſtudia coluere numerari debet ob Theſes, de quibus in Jenenſi Academia publice diſputavit, quaſque edidit cum hoc elogio:

Antiquitates Macedonicæ, ſive de Regio Macedonum Principatu, moribus, atque militia Diſſertatio. Jenæ 1682. 4.

ibi enim Mecedonum Regum numiſmata aliquot rariſſima è Muſeo Caſparis Sagittarii, de quo ſuo loco * dicemus, exhibuit in ænea tabella, breviterque expoſuit pag. 76. & ſeqq.

CVII. CAROLUS PATINUS.

Carolus Patinus, *o*) Medicus Pariſienſis, natus anno 1632. vir præclara eruditione atque doctrina, plurima edidit opera, in quibus Numiſmata vel ſua, vel à ſe conſpecta, & plura quidem quam ante eum nemo, exhibuit & notis illuſtravit. Primum ejus opus Familiarum Romanarum, ſive Conſulares nummos complectitur in æneis tabulis expresſos olim à Fulvio Urſino, ** quibus ipſe quidem non paucos adjecit; ſed hos inter aliquot ad Colonias referri debuiſſe Antonius Galland, *p*) & Joannes Vaillant ante nos monuere. Operi titulum hunc præfixit:

1. *Familiæ Romanæ quæ reperiuntur in antiquis Numiſmatibus ab V. C. ad tempora D. Auguſti, ex Biblioth. Fulvii Urſini. Car. Patinus &c. reſtituit, recognovit, auxit.* Lutetiæ Pariſ. 1663. fol.

Alterum deinde opus edidit, in gratiam eorum qui nummis dare operam volunt; atque in eo de materia ac pretio Numiſmatum antiquorum, de arte dignoſcendi genuina ab adulterinis, de inſcriptionibus inſigonioribus quæ in averſa nummorum parte leguntur, de notis ſingularibus disſeruit; cæteraque perſtrinxit; quorum ignoratio tyroni vel in comparandis vel in contrectandis nummis nocere poſſe videbantur; quæ omnia, aut pleraque ſaltem cum à Savoto *q*) enarrata eſſent, merito repre-hensus

* infra, num. CXL.

o) Carolus Guidonis Patini, Medici celebris Pariſ. F. in patria primum Medicam artem exercuit deinde Patavii docuit ab A. 1676. obiitque A. 1694. Vide quæ ipſe de ſe in Lyceo Patavino p. 77. ſeq. Ejusque Epitaphium in Actis Eruditor. A. 1702. p. 85. Filia etiam *Gabrielis Carola Patina* in hac Bibliotheca locum ſibi vindicat, infra num. CXXI.

** de quo ſupra num. XVIII.

p) Antonius Galland in Epiſt. ad Perizon. de nova nummorum Conſularium editione, & Jo. Vaillant in numiſmatis Coloniar.

q) de quo ſupra, num. LI.

henſus videtur quod hunc per quem plurimum profecerat, ne nominarit quidem in Præfatione, dum recenſeret cæteros Scriptores qui prima rei nummariæ elementa antea tradiderant. Superioribus capitibus ſubjuncti ſunt Indices duo, primus Auctorum qui nummos veteres ſcriptis ſuis illuſtrarunt; alter celeberrimorum Europæ Muſeorum. Totius vero operis, quod Gallica lingua ſcriptum eſt, titulum hunc eſſe voluit;

2. *Introduction à la connoiſſance des Medailles.* Paris 1665. in 12. *r)*

ſed idem poſt decem & octo annos latine verſum, & novis acceſſionibus locupletatum prodiit:

Introductio ad Hiſtoriam Numiſmatum. Amſtelædami 1683. in 12.

Patini ſtudia poſtmodum turbavere varii quibus jactatus eſt Fortunæ caſus: interea tamen dum peregrinaretur, pleraque Europæ Muſea intentis oculis colluſtravit, & cum plurima ex iis excerpſit quæ ſibi poſtmodum uſui forent, tum Numiſmata omnia quæ in Theſauro Cæſareo Vindobonæ aſſervantur, deſcripſit, eamque deſcriptionem à ſe conſpectam teſtatur Struvius *s)* Studgardiæ in Cimelio Ser. Würtenbergiæ Ducis. Porro antequam è Galliis excederet, hoc eſt, ante anum 1668. Numiſmata Muſei ſui rariſſima, quæ Regium Theſaurum amplificarunt locuplete profecto incremento, in æneis tabellis ſcalpi curaverat; ſed hæc cum aliis à ſe inter peregrinandum comparatis publicam in lucem edere ante annum 1671. non potuit; & tum quidem prodiere,

3. *Imperatorum Romm. à Julio Cæſare ad Heraclium Numiſmata ex ære mediæ & minimæ formæ, deſcripta & enarrata &c.* Argentinæ 1671. fol.

quæ anno 1697. Amſtelodami recuſa ſunt nitidioribus typis, ſed cum nulla acceſſione; anno vero ſequenti

4. *Theſaurus Numiſmatum è Muſeo Car. Patini, &c. t)* Anno 1672. 4.

r) & Amſterd. 1667. 12. atque Italice Venet. 1673. 12. *Prattica delle medaglie.*

s) Bibliotheca numiſm. antiquor. ſect. XI. p. 94.

t) Amſtelodami.

qui Numiſmata ex auro, argento, ære magno & maximo complectitur, non Imperatorum ſolum, ſed etiam Græcarum urbium, Regum, virorum Illuſtrium, necnon Conſularia quæ deſiderabantur in Urſini Familiis recognitis & auctis. Atque hoc quidem opus ſuperiori longe accuratius eſt; cum enim numiſmata integra in eo repræſentantur; (ea ſunt numero ferme quingenta) tum illuſtrantur notis auctoris fama haud indignis: contra vero Numiſmatum mediæ & minimæ formæ averſa duntaxat pars ut plurimum ſcalpta eſt, effigies Principum, & quæ eas ambiunt inſcriptiones plerumque ne deſcriptæ quidem; præterea in Commentariis Patinus indiligentior videtur; denique cum præter ea Numismata quæ in eo libro exhibentur, alia nec pauca numero nec obvia deſcribere deſtinaſſet in Indice, deſtituit eum ex inopinato literarum & typorum, ut ipſe monet, inopia; quamobrem Index ille admodum jejunus eſt atque aridus, ac nulli propemodum uſui, niſi quod ibi quoque nonnulli nummi in æs inciſi viſuntur. Monendus etiam lector, in eam editionem compactos à Patino fuiſſe nummos aliquot Græcos, Alexandri M. Homeri, &c, ne ſcilicet horum memoria intercideret, quos in peculiari opere ſimul componi poſſe deſperabat.

Superioribus operibus non minus elegans & utile eſt illud, quo

5. *C. Suetonii Tranquilli Opera quæ extant, Car. Patinus, &c. Notis & Numiſmatibus illuſtravit*, Baſileæ 1675. 4. *u*)

hoc enim plurimis cum XII. Cæſarum, tum etiam Familiarum Romanarum nummis in ære inciſis diſtinxit, iiſque ad vetuſti Scriptoris Commentarios ita accommodatis & appoſitis, ut oculos animoſque legentium honeſtiſſima voluptate perfundat, ſimulque Suetonio fidem ex nummis confirmet, & nummos ſi quid in iis pauloignotius, è Suetonio illuſtret.

Extant

u) Patini Svetonius è nummis illuſtratus recuſus eſt Baſileæ 1707. 4. Ejusdem Patini commentario etiam tertiam ſuam Svetonii editionem ornavit locupletavitque Jo. Georgius Grævius Ultraject. 1703. 4. Poſt Patini induſtriam conſtat Virum inſignem *Jo. Carolum Schottum*, potentiſſ. Regis Boruſſiæ ab Antiquitatibus & Bibliotheca in Svetonio uberius ex nummis & antiquis monumentis illuſtrando laboraſſe: ſed præclaros ipſius conatus mors intervertit, obiit enim Berolini 12. Dec. A. 1717. ætatis quinto & quadrageſimo.

Extant ejusdem Cl. viri Dissertationes aliquot, quæ ad hæc studia pertinent; sed prima *De Numismate antiquo Augusti & Platonis* x) Basileæ 1675. 4. haud magni momenti esse videtur; in altera vero quam scripsit jam Eques D. Marci, & Medicæ artis Professor Primarius in Academia Patavina, *De Numismate antiquo Horatii Coclitis per Trajanum restituto.* Patavii 1678. 4. cui subjuncta est descriptio numismatum à Trajano restitutorum, accuratus, elegans, eruditus, nobis omnino satisfacit: tertia ΘΕΩΝ ΚΡΙΣΙΣ. [h. e.] *Judicium Paridis de tribus Deabus latum in Num. Imp. Antonini Pii expressum.* Patavii 1679. 4. festiva, nec inerudita est: in quarta Italice scripta, dum ludos Vicetiæ celebratos describit, de veteribus ludis Equestribus, Agonalibus, Gymnicis disputat, nummosque in quibus eorum memoria consignata est exhibet in æs elegantissime incisos: hujus titulus est:

6. *Le Pompose feste di Vicenza fatte nel mese di Giugno del* 1680. In Padoua 1680. 4.

in quinta denique ΔΙΟΣ ΓΕΝΕΘΛΙΑ. *Natalitia Jovis in Numismate Imp. Anton. Caracallæ expressa.* Patavii 1681. 4. cum veterum scriptorum, tum aliorum nummorum ope illustrat. Judicium Paridis Jac. Spon iterum edidit Gallice versum in Miscellaneis eruditæ Antiquitatis y) Gallica lingua scriptis, Postremo à Patino descriptus est

7. *Thesaurus Numismatum Antiquorum & Recentiorum ex auro, arg. & ære, ab Ill. & Exc. D. Petro Mauroceno Senat. Veneto Ser. Reipublicæ legatus anno R. S. H.* 1683. Venetiis 4.

verum si quam hic secutus est numismata describendi rationem, hanc optimam esse existimavit, judicium ejus requiro; sin autem meliorem præstari potuisse scivit, virum doctum typographi, quam studiosorum commodis consulere maluisse miror: perpauca enim Numismata ibi in æs incisa apparent, præter quam ex ære maximæ formæ, quibus observationes etiam adjectæ sunt; cæterorum cum Græcorum, tum Romanorum moduli indistincti & confusi; Consularia vero certis duntaxat numerorum notis ad Fulvium Ursinum recognitum accommodatis indicata. Atque huic operi decennium integrum superstes fuit Patinus; cum enim

x) Hæc recusa in Jac. Gronovii thesauro Antiquitatt. Græcar. Tomo IX. p. 1598. Lugd. Batav. 1699. fol.

y) Recherches curieuses d'Antiquité Lugd. 1683. 4.

enim Patavii obiisse ferunt anno 1693. cum Christianissimo Francorum Regi legasset sigilla quædam eximia, ac præterea librum in quo numismata rarissima deliniaverat.

CVIII. JOANNES HENRICUS EGGELINGIUS.

Hic mentio facienda est literarum ἀμοιβαίων Patini, & JOANNIS HENRICI EGGELINGII, z) Bremensis, de tribus nummis maximis, quos eruditus Gallus in Thesauro publicaverat, & incertus quorsum pertinerent, palam testatus fuerat ei se donaturum, qui enarrasset. Hos nummos, quorum primi duo Smyrnæorum sunt, & juvenile caput, ac larvas duas exhibent, tertius Alexandrum Macedonem, & Sabinarum raptum repræsentat, Eggelingius Neroni cusos fuisse conjecit; sed argumenta quibus opinionem illam suam tuebatur, Patino minus firma visa sunt, nec Patino solum, sed etiam Scriptoribus Actorum Lipsiensium, qui de iisdem nummis breviter & erudite, pro sua consuetudine disputarunt mense Januario anni 1684. Literæ Patini & Eggelingii editæ sunt cum hoc titulo:

De Numismatibus quibusdam abstrusis Neronis Imp. Disquisitio per Epistolas inter &c. Bremæ 1681. 4.

Supersunt quæ ab Andrea Morellio in altera Speciminis editione pag. 80. laudantur ejusdem *Patini delineationes è* Cimelio *Friderici Marchionis Badensis:* has ideo tantum indicamus, ne quis eas nos latuisse existimet, simulque ut Germanos hortemur, præclarum hunc, ita enim ominamur, Thesaurum tandem aliquando recludant, aut si minoris est ad rem nummariam

z) Eggelingius hic Reip. Bremensis Secretarius, vir doctissimus diem obiit XV. Febr. A. 1713. ætat. 76. Quanto studio in numismatibus colligendis lustrandisque versatus sit patet ex *Nummophylacio Eggelingiano*, sive edito Bremæ 1714. 8. Catalogo nummorum quos ille collegerat rariorum & selectissimorum ex omni metallo tam antiquorum Græcorum & Romanorum ultra 500. Gothicorumque & bracteatorum, quam recentiorum medaglionum missilium, & uncialium nummorum. Ejus diatriba de Mysteriis Cereris & Bacchi in vasculo prisco ex uno onyche expressis prodiit Bremæ 1682. 4. in qua passim etiam nummorum subsidium advocat.

mariam illustrandam, quam speramus momenti, de eo ut eruditos certiores faciant.

CIX. JOSEPHUS MARIA *SOARESIUS.

Cum Latina Patini Introductione *a*) ad Historiam Numismatum compacta est JOSEPHI MARIÆ SOARESII, Avenionensis, Episcopi Vasionensis, *de Numismatis & Nummis antiquis Dissertatio*: *b*) sed ea[illegible]endo typographus lucro suo magis quam studiosorum commodis consuluisse videtur, nam admodum brevis est, nihilque in ea fere Soaresius affert ad hæc studia promovenda utile, quod non melius à Patino pertractatum fuerit. Haud omittenda vero est ejusdem doctissimi viri brevissima Epistola de nummis duobus Lepidi & Augusti inscriptis, COL CABE. edita in libro cui titulus,

Lettere Memorabile dell' Abbate Michele Giustiniani, e d' altri.
In Roma 1667. in 12.

scilicet Ursini & Tristani, qui hosce nummos referebant ad urbem qandam Byzacencæ Regionis, quam veteres omnes Tacapen appellarunt, errorem deprehendit Soaresius, eosque nummos ostendit cusos fuisse in Colonia Cabellione. *c*)

CX. CAROLUS DU FRESNE DU CANGE.

Eos nummos quos Inferioris Imperii vocant, maxime Principum qui in Oriente post Heraclium regnaverunt, plerique ante CAROLUM DU FRESNE DU CANGE duplici de causa neglexerunt, prima, quod ita impolite cusi sunt, ut nihil supra: altera, quod plurima in iis occurrunt non obscura solum, sed etiam prava & inepta: sed vir doctus & acris judicii, cum vitia illa non ignoraret, non paucà tamen in iis deprehendit, quibus lumen Byzantinæ Historiæ Scriptoribus accendi posset; quamobrem omnia quæ vel in editis antea libris, vel in Thesauro Regio, vel in amicorum Museis reperire potuit à Constantino Chloro ad Palæologos usque, summo studio collegit, descripsit, in æs incidi curavit, atque interea dum in publicam lucem prodirent, quæ vel omnibus vel pluribus

* Svaresius. *a*) edit. Amstelod. 1683. 12.
b) Lucem primum viderat separatim Romæ 1668. 4.
c) hodie *Cavaillon*, in Comitatu Avenionensi. Vide Harduinum in nummis urbium illustratis p. 107.

bus conveniunt explicavit singulari Dissertatione, quam tertio Glossarii *d*) mediæ & infimæ Latinitatis volumini subjunxit cum hoc elogio:

De Imperatorum CP. seu de Inferioris ævi, vel imperii, ut vocant, Numismatibus, Dissertatio. Paris. 1678. fol.

Quatuor in partes concertationem hanc tribuit CL. vir, & in prima quidem totus est in effigiebus Imperatorum, hoc est, eorum vestimentis & adjunctis dignitatum insignibus illustrandis; sed primum disputat de nummis quos existimat cusos fuisse iis annis, quibus Consulatum gessêrunt; & cum de cæteris quæ ad habitum Consularem pertinent, tum maxime de lato clavo, de fascia, subarmali, & loro, de aquila quæ scipione Consulari plerumque insistit, de volumine sive mappa, de nimbo quo Consulum capita effulsere, plurima adfert haud vulgaria; simul qua tempestate Consularis dignitas ab imperatoribus C P. usurpari desierit, investigat. Alia deinde Cæsareæ & Imperatoriæ Majestatis insignia recenset, & ea quidem quæ de Diademate, Camelaucio, aliis Augustorum coronis dici poterant, paucis absolvit, quod eam materiam in Notis ad Joinvillam * pene, ut ita dicam, exhauserat, sed cætera quæ manibus gestare solebant, globum cruce insignem, labarum, sive narthecem, Evangeliorum Codicem, Salutare Crucis signum pluribus enarrat; quibus eorum pietatis monumenta subjungit, sacri nominis Christi monogramma, ipsius & Sanctissimæ ejus Matris, & Sanctorum quos sua merita in cœlum vocarunt effigies in nummis expressas; item inscriptiones quibus Principes se ΦΙΛΟΧΡΙϹΤΟΥϹ appellant, prædicant Christum Victorem, ejus denique, aut SS. Deiparæ opem implorant: atque hæc ferme complectitur prima pars. Altera est de inscriptionibus huic veluti ætati nummorum peculiaribus ac propriis, quarum Erud. vir tria genera facit; primum titulorum qui Principibus tributi olim fuere, nimirum IMP. DN. *Despotæ, Flavii, Perpetui Augusti, Imper. & Tribun. Potestatis*; & qua singuli tempestate usurpari, aut obsolescere cœperint, investigat:

d) hoc glossarium cum illa de numismatibus labentis Imperii dissertatione bis recusum Francofurti A. 1681. & 1711. atque proxime longe auctius iterum subjicietur prælis Parisiensibus.

* Jo. Joinvillæ Historiam S. Ludovici IX. Galliæ Regis observationibus & dissertationibus Historicis illustratam Cangius edidit Gallice Paris. 1668. fol.

vestigat: alterum Inscriptionum quæ in aversæ partis area occurrunt, h. e. Votorum, quorum originem ab ipsis primordiis repetit, annorum Imperii, Inscriptionum Græcarum: tertium denique earum quæ in extremo nummorum margine expressæ, qua quisque in officina cusus sit edocent, maxime literarum CONOB. In his porro duabus primis Dissertationis partibus, cum varia congessit quæ cum iis argumentis in quibus versabatur, cognationem quandam habebant, tum etiam nummos nonnullos explicavit, quanquam velut in transcursu, erudite tamen, & plerumque εὐςόχως; sed in tertia parte cum demonstrare destinasset, præclara in hisce nummis ænigmata interdum occurrere, quibus illorum temporum Historia non parum illustrari queat, aliquot in specimen interpretatus est, quos prolixioris Cammentarii egere videbat, nimirum nonnullos qui ad certam classem referri non poterant, deinde qui clarorum virorum, aut fortium Ducum honori à Principibus cusi sunt, mox quos vocant Conturniatos: his subjungit numismata adulterina, quæ eruditi in sua Musea admittunt, quia antiquioris ævi sunt, nonnullaque ad memoriam insignia in se continent; postremo disputavit de nummis quos viri docti, cuinam è duobus, pluribusve Princibus ejusdem nominis adscribant, ambigunt, quales sunt Helenarum, utriusque Theodosii, utriusque Justini, & qui Imperatorum ex Heraclii familia effigies referunt. Quarta & postrema pars de propriis Byzantinarum monetarum appellationibus, profecto eruditissima, sed quæ in ea tractantur ad alteram rei Nummariæ partem, quam aliis tractandam relinquimus, pertinent.

Hanc dissertationem Ducangius jungere distinaverat operi, quo Imperatorum CP. natales, familias, cognationes, & affinitates describebat; quod opus post quatuor demum annos prodiit cum hoc titulo:

> *Historia Byzantina duplici Commentario illustrata: prior Familias ac Stemmata Impp. CP. cum eorundem Augustorum Nomismatibus, &c. complectitur: alter Descriptionem Urbis CP. &c.* Paris 1682. fol.

Quid porro in duplici illo Commentario præstitum sit ab eo viro, quem eruditi omnes novere, & acerrimo judicio præditum fuisse, & tanta diligentia quanta fere neminem, lectorem ex ipso libro quam ex me

me discere malo: pauca tamen de nummis dicenda videntur. Et primum quidem Constantinopoli Christianæ præfixæ sunt duæ æneæ tabulæ numismatum Græcorum, quæ à Byzantiis cusa olim fuerunt; quæ vir doctus non descripsit solum, & brevioribus notis in adjunctis paginis illustravit; sed de plerisque etiam in *Originibus Byzantii veteris* quæ proxime sequntur, disseruit: per singulas vero Familias Imperatorum digesta sunt eorum Numismata ex auro, argento & ære, ipsa quoque in æneis tabulis incisa, quorum numerum si inire velis, breviter dicam, Principum omnium à Constantio Chloro, Augustarum, & Tyrannorum, necnon aliquot Gothorum & Francorum Regum, ad Heraclium usque octingenta circiter: Heraclii vero & omnium qui deinceps in Oriente imperarunt, triginta ferme supra centum illic exhiberi. Omnia porro ad unum exemplum scalpta, præter admodum pauca postremorum Imperatorum, cum notis è quibus singulorum metallum & formam disceremus: in his vero disponendis hunc fere ordinem secutus est Ducangius: qui Cæsares fuere antequam Augusti, horum numismata exhibuit quæ Cæsaribus cusa sunt, deinde quæ eorundem Augustorum effigiem referunt; & quidem eas effigies toties scalpi curavit, quoties quiddam novi præferunt, vel in inscriptionibus quibus ambiuntur, vel in vestibus, coronis, diadematibus, cæterisque dignitatis insignibus. His subjunxit brevem descriptionem, in qua sæpicule peccatum, à viro docto fuisse intelliget, qui nostras ad ejus numismata quæ iterum exhibemus, *e*) notulas legerit: non contemnen-

e) in tomo secundo præclari operis Numismatum Impp. Bandurius ipse præf. ad illum Tomum: *Præter tabulas numismatum quas cælari curavimus, eas etiam hic repræsentare libuit, quibus familias Byzantinas olim distinxerat doctissimus Ducangius. Quas quidem è Bibl. Regia commodari nobis jussere LUDOVICUS MAGNUS Francorum, & Navarræ Rex, ac post Ejus mortem PHILIPPUS Aurelianensium Dux, Galliarum moderator. Sed quod in iis aliquot chalcographi, nec pauca Ducangii ipsius σφάλματα, deprehenderamus, de quibus celari Lectorem non erat ejus diligentiæ quam à nobis expectant vetustatis studiosi; præterea, quia non singulorum Principum sed omnium qui ex eadem familia orti imperarunt, numismata iisdem in tabulis collocata sunt; idcirco Ducangianas tabulas præpo-*

temnenda tamen vel hac in parte ejus industria: nam & compluria numismata quæ in tabulis deerant, ab Occone & aliis descripta repræsentavit, & si quæ vel à se in Dissertatione, vel à Tristano, Patino, cæterisque eruditis viris illustrata erant, lectorem monuit. Non omittendum etiam videtur in vigesima tertia Dissertatione ad *Joinvillam* plurima ab erud. viro congesta esse quæ ad hæc studia pertineant: hæc enim est de nummis Gothorum & Francorum Regum, qui schemata & inscriptiones Imperatorum Constantinopolitanorum præferunt.

CXI. JOAN. GEORG. VOLCKAMERUS.
CXII. CHRISTOPHORUS ARNOLDUS.

De re literaria bene meruit JOANNES GEORGIUS VOLCKAMERUS, Norimbergensis, Medicus, cum Tabulas Chorographicas Neapolitani Regni & Calabriæ à Prospero Parisio *f)* descriptas restituit; tametsi enim aut nulla aut sane perpauca numismata in iis occurrerent, quæ non extarent in Magna Græcia Goltzii, eadem tamen à duobus diligentissimis Antiquariis expressa conspicere juvabat: sed fatendum est, in Volckameri opere ne ullum quidem vestigium apparere ejus elegantiæ, quam in Prosperi tabulis commendabat Philippus Labbe: has enim numismatum accuratissime scalptorum veluti limbo circundatas fuisse discimus; in Germanica vero editione nummi in tredecim buxeis tabulis incisi sunt. Cæterum cum alia iis adjuncta sint, quæ recensere non est nostri instituti, tum præfixa est CHRISTOPHORI ARNOLDI item Norimbergensis, Medici, & Eloquentiæ, Poëseos, ac Linguæ Græcæ Professoris, de Medicis, qui in hisce studiis cum aliqua laude versati sunt Præfatio Epistolica, in qua paulo majorem diligentiam requiras. Libri titulus est:

Prosperi Parisii, &c. Rariora Magnæ Græciæ Numismata, &c. Magnæ Græciæ Tabulis inter se divisis, altera editione renovata. Anno 1683. fol.

N 2 CXIII.

suimus Vitæ ejus qui princeps ex unaquaque familia regnavit: simul, si quid inter cælaturam ac descriptionem numismatum differre, aut si numismata alii Principi, quam ad quem pertinerent, tributa esse perspeximus, id indicavimus in peculiari capite, quod quidem tabulis præpositum est.

f) Vide supra, num. XXVII.

CXIII. FRANCISCUS MEDIOBARBUS.

Cum Adolphi Occonis opus, de quo suo loco *g*) diximus, una cum sæculo senescere, & uberrimam nummorum qui vel Antiquarii illius diligentiam fugerant, vel post alteram editionem è terræ visceribus eruti fuerant, segetem colligi posse perspexisset FRANCISCUS MEDIOBARBUS, Biragus S. R. I. Comes, & Decurio Papiensis, novam ipse nummorum Imperatorum seriem adornavit, de qua nonnulla monendus est lector necessaria magis, quam prima fronte videantur. Primum, cum exhibita ab Occone fuissent numismata Latina, Coloniarum, Græcarum urbium & quæ Ægyptiaca dicuntur, Mediobarbus cætera in proximum biennium pollicitus, quæ eruditi hactenus frustra expectarunt, Latina tantum & Coloniarnm edidit in hunc ferme modum. Numismatum seriei præfixit singulorum Principum effigies è nummis expressas à *Simone Durello* perito artifice, necnon brevissimos de eorum Vita Commentarios ex Occone exscriptos, sed interpolatos nonnunquam, & emendatos: hæc vero Chronologico ordine digessit, multo accuratius quam Augustanus Medicus, *h*) tametsi nec difficultates, quibus ea nummos disponendi ratio conflictatur, superare potuit, prætereaque & erravit ipse graviter, & eruditos viros non paucos in errorem induxit, quod certas annorum notas videre sibi visus est in literis singularibus quæ in imo numm orum sæculi Diocletiani margine leguntur. Totius porro operis fundum esse voluit Occonis librum, cujus diligentia in describendis nummis contentus, haud fere majori descripsit ea quæ ex editis libris, vel è locupletissimo Museo suo, vel ex amicorum cimeliis & schedis collecta exhibuit; adeoque in his quæ ex editis libris corrasit, non raro peccasse eum deprehendimus, cum finem imponere festino operi nimis properaret: in Occonianis vero nummis sinistram ejus diligentiam ante nos arguit Erud. Pagius *i*) quod in iis quædam haud parvi ad Chronologiam momenti mutavit, nec de ea re lectorem monuit; alios omnino omisit, ut in Domitiano eum qui hanc epigraphen præfert: IMP DOMIT AVG P M COS II. quem falsum esse arbitrabatur, quia nesciebat Consulatuũ Domitiani suffectorum rationem à Monetario habitam non fuisse.

g) num. XXXI. *h*) Occo.

i) in Critica Baroniana in qua sæpius nummos ad temporis rationes constituendas advocat, ad A. C. 83. n. III. & IV.

fuisse. Cæterum hic etiam occurrunt nummi Græci & Ægyptiaci perpaucorum Principum, quorum memoria consignata non est in Latinis nummis: quod vero pertinet ad Numismata in Coloniis & Municipiis cusa, ea nummorum Latinorum seriei subjuncta sunt, & eruditos juvare fortasse potuerunt, cum Vaillantii *k*) studio nondum collecta essent, nunc vix legi merentur. Adjuncti sunt etiam varii Indices, quorum primus Inscriptionum quæ in aversis nummorum partibus insculptæ sunt, perutilis nobis quidem videtur. Mediobarbi opus titulum hunc præfert:

Imperatorum Romanorum Numismata à Pompeio M. ad Heraclium, ab Adolfo Occone olim congesta, nunc Augustorum iconibus, perpetuis Historico-Chronologicis notis, (raræ tamen apparent; nec admodum commendabiles videntur) *pluribus additamentis illustrata & aucta.* Mediolani 1683. fol.

CXIV. HENRICUS MEIBOMIUS. CXV. PETRUS RAINSANT.

Heinricum Meibomium, *l*) Historiæ & Poëseos in Academia Julia Professorem, prætereaque Archiatrum Guelphensem, ideo tantum hic recensemus, quia ab illo *veterum nummorum in illustranda Imperatorum Romanorum Historia usus publico programmate ostensus*, aut verius commendatus est: quod programma editum est Helmestadii anno 1684. 4. & impune omitti poterat, tametsi haud ineruditum sit; sed mentio omnino facienda est Petri Rainssant, Rhemensis, Medici, & Thesauri Regii custodis, quem didicimus anno 1689. obiisse, ob dissertationem de duodecim nummis *m*) Domitiani, in quibus Ludorum Sæcularium pompa expressa est:

k) hujus Numismata Coloniarum laudantur infra, CLIX. 7.

l) Henricus hic Meibomius Hermanni Dieterici Pater A. 1700. defunctus, filius fuit Joannis Henrici qui A. 1655. & nepos Henrici Meibomii qui A. 1625. fatis concessit. Quæ rariora in Museo Henrici Meibomii nepotis lustraverit numismata, V. C. Wilhelmus Ernestus Tentzelius, exponit in Dialogis menstruis vernaculis Anni 1692. p. 953. seq.

m) Nummi illi duodecim etiam occurrunt ære expressi in Actis Erud. A. 1685. p. 442. ubi de Rainsanti libro differitur.

Dissertation sur douze Medailles des Jeux Seculaires de l' Emp. Domitien. Versailles 1684. 4.

hæc enim est sæcularium Sacrorum historia tam accurate & perspicue, quam facile scripta, in perpetua, eaque nitida oratione, nummorum ex ordine collocatorum aversis partibus distincta. Atque utinam huic similes prodiissent cæterorum sacrorum, ac ludorum, & omnium quæ apud antiquos miramur, omnibus vagæ eruditionis impedimentis liberæ descriptiones, non quales pleræque sunt, dissolutæ, & è diversis congestæ: haberent, quod sibi gratularentur harum elegantiarum studiosi, tametsi ex iis quas hactenus laudavimus, & laudabimus infra, maximam voluptatem, & uberrimos fructus percipi posse ultro fatemur.

CXVI. HENRICUS KIPPINGIUS.

Henrici Kippingi *n*) memorandi sunt

Antiquitatum Romanarum libri quatuor. Franequeræ 1684. 8. quod iis res sacras, civiles, militares, domesticas complexus, ad fidem faciendam, non Historicorum, Fastorum, &c. duntaxat, sed etiam Inscriptionum & Numismatum testimonia subinde protulerit.

CXVII. JACOBUS SPON.
CXVIII. N. CHAILLOU.

Jacobus Spon, Lugduni natus anno 1647. Medicus Parisiensis, & Collegio Medicorum Lugdunensi * Aggregatus, eum librum quem inscripsit,

1. *Recherche des Antiquitez & Curiositez de la Ville de Lyon. o)* Lyon 1675. 8.

duabus

n) patria Rostochiensis, Conrector Bremensis scholæ A. 1678. defunctus, cujus libri IV. primores Antiquitatum (Rom. alios enim totidem ab Kippingio elaboratos, post ejus obitum perdito sdolendum est) editi primum Bremæ 1661. deinde recusi 1668. 1674. 1679. & Franeqv. 1695. ac denique Lugd. Bat. 1713. 8.

* Patavinæ quoque Recuperatorum & Regiæ Nemausensi Academiæ aggregatum se profitetur in Miscellaneis eruditæ Antiqu. filius Caroli Sponii Medici Lugd. defuncti A. 1684. 21 Febr.

o) *ancienne Colonie des Romains, & Capitale de la Gaule Celtique.*

duabus æneis tabellis Numiſmatum in patria ſua olim cuſorum p) ornavit: idem ut veterum monumentorum, ac præcipue Inſcriptionum amori faceret ſatis, Italiam, Dalmatiam, Græciam & Aſiam peragravit, coactiſque luculentis divitiis domum reverſus, Itinerarium edidit,

2. *Voyage q) d' Italie, de Dalmatie, de Grece & du Levant, fait en* 1675. & 1676. &c. Lyon 1678. in 12. 3. vol.

in cujus volumine tertio octoginta circiter numiſmata exhibuit: quæ quidem ſi integra in æs incidi curaviſſet, haud dubium quin meritus optime fuiſſet de literatis omnibus; pleraque enim Græca ſunt, & typorum aut inſcriptionum raritate & inſolentia conſpicua; ſed quadraginta deſcripſit duntaxat, & quidem ita breviter, ut Jmperatorum ad quos pertinent nomina plerumque indicare contentus eſſet; è cæteris quidem integra cælari curavit, quorum utraque pars urbium numinibus, aut illuſtrium virorum, feminarumve iconibus inſignita eſt; ſed quæ Imperatoribus cuſa ſunt, eorum averſæ partes ſolæ hic apparent; nec omnino reſartum eſt hoc damnum in Notis, in quibus alia etiam numiſmata ſingularia indicavit Sponius. Ab eodem editæ

3. *Recherches curieuſes d' Antiquité.* Lyon 1683. 4.

hoc eſt Diſſertationes plurimæ varii argumenti, è quibus ſeptem ad nos pertinent, & hic recenſendæ ſunt, præter quatuor r) à Patino, Fæſchio, Antonio Galland, & Cl. Abbate Decamps conſcriptas. Igitur duodecima eſt de nummo Severi & Juliæ Domnæ Græco, in quo Bacchi triumphus cælatus eſt; & quarta decima de nummo Commodi, qui memoriam renovat claſſis Africanæ ab illo Principe inſtitutæ: in vigeſima quarta Sponius novum omnino, & ut dicam quod ſentio, ludicrum argumentum tractat, nummos ſcil. apprime utiles eſſe ei qui velit artem multiplices hominum naturas è vultuum inſpectione cognoſcendi perdiſcere;

p) Ex Strabone Sponius p. 18. obſervat Romanos Lugduni habuiſſe monetæ percutiendæ officinam.

q) recuſum hoc itinerarium eſt Gallice Amſtelod. 1679. 12. & Germanice Jo. Menudierio interprete, Norimbergæ 1690. fol.

r) Caroli Patini judicium Paridis, Sebaſt. Fæſchium de nummo Pylæmenis, Gallandii diſſ. de nummo Treb. Galli à Colophoniis cuſo, & Franciſci de Camps diſſ. de nummo Cyziceno Caracallæ, funambulos exhibente.

discere; atque in eam rem singulorum Principum à Julio Cæsare ad maximinum Thracem, necnon virorum duorum re & nomine Magnorum Alexandri & Cn. Pompeii, singulorum nummum unum exhibet, eorumque oris & animi lineamenta inter se convenire probare nititur: in postrema denique, sive trigesima prima, Luciani Ψευδομάντιν, hoc est Alexandri Impostoris famosissimi Historiam ex nummis Græcis illustrat. Non omittenda est vigesima octava Dissertatio, quæ quatuor constat Epistolis ἀμοιβαίοις N. Chaillou & Jacobi Spon in nummos duos Melitensium, in quibus figuræ plane singulares expressæ sunt: quarum figurarum occasione in numina quæ Insulani illi coluerunt, inquiritur.

Quanquam Inscriptionibus destinata, locum tamen hic quoque sibi vindicant, collecta ab eodem

4. *Miscellanea Eruditæ Antiquitatis.* Lugduni 1685. fol.

nam in Sectione prima, cum de Hermathena & Hermanubi in nummis Hadriani & Juliani Apostatæ differuit ipse breviter, tum etiam de hoc postremo *s*) viri olim Erud. *Petri Antonii Rascasii de Bagarris*, Christ. Regi Henrico IV. à Bibliotheca, cujus varias lucubrationes imperfectas à se collectas monuit Philippus Labbe, Dissertationem integram exscripsit. Idem in tertia Sectione cum Deorum cognomina rariora describeret, duos Jovis Acræi nummos Smyrnæ cusos, unum Seleucensium Syriæ in quo Jupiter Casius à Casio monte, tres Corcyrensium in quibus idem Cassius à Cassiope urbe, prætereaque Corcyra Nympha, & Agreus, sive Pan exhibentur, in æs incidi curavit. Ibidem occurrunt octo nummorum aversæ partes tripodibus variis insignes: sed quarta Sectio, quæ est de Illustribus viris, cæteris locupletior videtur; in hac congesta, & breviter enarrata sunt Numismata Midæ Regis, Nausicaæ Heroinæ, Homeri, Solonis, Hadriani & Euclidæ Megarensis, Augusti & Platonis, Sexti Chæronensis, Frontini Proconsulis, utriusque Jubæ, & Jun. filii Ptolemæi, cum aversis partibus nummorum septem Augusti, Tiberii & Vespasiani, in quibus clypei votivi expressi sunt. Eodem anno 1685. immatura morte vir doctus interceptus est in Helvetia, quo se ob Calvinisticam hæresim receperat.

s) pag. 13.

CXIX.

CXIX. JOANNES DANIEL MAJOR.

JOANNIS DANIELIS MAJORIS, Vratislaviensis *t*) Philosophi, & Medici, extat *de Nummis Græce inscriptis Epistola; qua præcipue paradoxum* Julii Cæsaris Scaligeri, *u*) Isaaci Vossii, *x*) & Henrici Christiani Henninii *y*) *Linguam Græcam non esse secundum accentus pronunciandam, Orbi literato ulterius considerandum committitur*: necnon *Appendix de Iotorum subscriptione suspecta, eorumque præsertim ex nummis veterum Græce inscriptis irrefragabili perpetuoque exilio.* Kiliæ Holsatorum 1685. 4.

CXX. PETRUS PETIT.

PETRUS PETIT, Parisiensis, Philosophus, & Doctor Medicus, quem aiunt anno 1678 ætatis 71 decessisse, cum alia præclara ingenii monumenta reliquit, tum unum quod ad nos pertinet, cum hoc titulo:

Petri Petiti &c. de Amazonibus Dissertatio. Paris. 1585 in 12. *z*) hæc enim est accuratissima earum feminarum quæ novum Imperium sine viris fundaverunt Historia, quam plurimis numismatibus in æs incisis à capite 21. ad capud 37. distincta & illustrata: & primum quidem

O capite

t) Eliæ Majoris, Scholæ Vratislav. Rectoris bene meriti Filius, Kiloniæ Holsatorum docuit, A. 1693. defunctus. Ejusdem exstat *de nummis Rhedigerianis* (Vratislaviæ) *publico bono contribuendis desiderium*, cum commemoratione præcipuorum scriptorum, & brevi declaratione eorum quæ in studio rei nummariæ supplenda adhuc videntur. Kil. 1631. 4. Etiam in libro: Bevölckertes Cimbrien/ nonnulla habet de nummis Germanorum, bracteatis præcipue cap. 47. Quæ vero eodem auctore *Roma in nummis Augustalibus Germanizans* inscribitur, ibid. 1684. 4. excusa, titulo tenus tantum ad hanc Bibl. spectat, Etymologicam enim divinationem non nummariam commentationem complectitur.

u) de causis Lat. linguæ II. 58.

x) lib. de poëmatum cantu & viribus rhythmi p. 15. seq. & 31.

y) Clariss. Henninii, ἑλληνισμὸς ὀρθῳδὸς sive dissertatio de novitate accentuum Græcorum prodiit Trajecti ad Rhen. 1684. 8.

z) in 8. Eadem Gallice versa Anno superiore 1718. in Belgio iterum lucem vidit.

capite 21. divinos, aut divinis proximos honores in aliquot urbibus decretos iis fuisse demonstravit, mox de earum armis securi, & clypeo disputavit; postremo earum monumenta Ephesi, Smyrnæ, Thyatriæ, Myrinæ, Cumæ, Magnesiæ à Sipylo, Amasi, Amastri & aliis urbibus recensuit: tanta diligentia, quantam expectari fas erat à doctissimo viro, qui nihil, quod in hisce nummis ad Historiam vel ad Geographiam pertineret, inexplanatum relinquere voluit.

CXXI. GABRIELIS CAROLA PATINA.

Laudabilis Heroinæ Gabrielidis Carolæ Patinæ, ejus Patini de quo supra locuti sumus *a*) filiæ, mentio facienda est, quod cum in his studiis perinde atque in aliis sese gnaviter exercuisset, elegantem *De nummo Caracallæ in quo Phœnix expressa* Dissertationem in lucem edidit Venetiis anno 1685. *b*) 4. in qua congessit omnia quæ prodita erant à veteribus de illa ave quam ex se mira quadam ratione renasci fabulantur.

CXXII. FRIDERICUS FEVERLINUS.

Friderici Feverlini, Norimbergensis, an habenda quoque ratio est quod cum orationem à se habitam *de Strenis* ederet Norimbergæ anno 1687. 4. notis eam & aliquot numismatibus in æs incisis illustravit? Quæ scribendi ratio Germanorum propria videtur, nec aliis in exemplum à nobis proponetur.

CXXIII. FRANCISCUS DECAMPS.

Inter Miscellanea Gallica Jacobi Spon *c*) extat Cl. Abbatis Decamps Dissertatio de nummo Caracallæ Cyzici cuso, in quo funambuli expressi sunt: quæ quidem Dissertatio non elegantius quam eruditius conscripta est, brevemque & accuratam funambulorum historiam continet.

CXXIV. ANDREAS ERASMUS A SEIDEL.

Andreæ Erasmi A Seidel, Nobilis Marchici, Dissertatio prodiit anno 1687. in qua Vetranionis nummum inscriptum SALVATOR REIPUBLICAE explicavit, ac primum de titulo Domini, qui sequiore ævo Prin-

a) num. CVII. *b*) 1683. Adde Acta Eruditor. A. 1684. p. 587. & quæ de Ignatio Braccio supra num. LVI.
c) supra, num. CXVII. 3.

Principibus Romanis tributus eſt, ac de voce *Salvator*, num latina eſſet diſſeruit; deinde uter Salvator dictus ſit, Vetranio an Chriſtus, cujus monogramma in labaro depictum eſt, quæſivit, poſtremo de variis Chriſti monogrammatis nonnulla notavit.

De nummo Vetranionis aureo ſingulari Vratislaviæ reperto Epiſtola ad amicum. Wratislaviæ 1687. 4.

CXXV. CLAUDIUS DU MOLINET.

Claudii Du Molinet, nobilibus parentibus Catalauni in Campania nati, & Canonici Regularis, aliquot opera extant, quæ eruditorum plauſu excepta ſunt; ſed ex iis unum ad hancce Bibliothecam pertinet, quod ejus ſodalis P. Sarrebourſe cura editum eſt anno 1692. quinto ſcil. poſtquam vir pius juxta ac doctus vitam hanc meliori commutaverat: fato enim conceſſit anno 1687. die 2. Septembris. Liber ille titulum hunc præfert:

Le Cabinet de la Bibliotheque de Sainte Genevieve. Paris 1692. fol.

& cum alia complectitur Antiquariæ ſupellectilis monumenta, tum in quatuor æneis tabulis nummos veteres ex ære, argento, auro, quibus ponderis ac valoris nota appoſita eſt, ac in totidem tabulis nummos Imperatorum ex ære integros, exceptis nummis primi moduli, quorum averſæ partes ſolæ comparent cum epigraphe capitis. Omnibus breves nec ineruditæ notæ adjunctæ ſunt. Sculpta etiam in quinque tabulis, & deſcripta numiſmata Patavina, hoc eſt ea quæ *Alexander Baſſianus* & *Joannes Cavinus*, Patavini, è nummis veteribus expreſſa cælarunt vergente ſæculo decimo ſexto.

CXXVI. JOANNES PETRUS BELLORI.

Joanni Petro Bellori, Reginæ Chriſtinæ Bibliothecario & Antiquario, Angeloni ſororis filio, tribui ſolent *Il Bonino, overo auvertimenti al Triſtano, & Scelta de medaglioni piu rari,* &c. de primo diximus in Angelono *d*); alterum Joſephi Monterchii *e*) nomen præfert, quod verum eſſe nomen viri docti à Bellorio diverſi, nec affirmo, nec nego. Alia ſunt opera, quibus Bellorius nomen ſuum præfixit: primum enim cum Symbolica Dianæ Epheſiæ ſtatua à Menetreio expoſita, publicavit Romæ

d) ſupra, num. LXV. *e*) num. CI.

Romæ anno 1657. *Numismata Ephesia & aliarum urbium apibus insignita*, *f*) in septem æneis tabellis, quibus eruditissimos Commentarios adjunxit. Ejus etiam sunt

4. *Nummus Antonini Pii de anni novi auspiciis explicatus, ac Dissert. de nummo Commodi & Annii Veri Cæss.* Romæ 1696. 8.

quæ Dissertationes ad calem Monterchii iterum prodierunt Amstelodami: *g*) & utilissimum opus,

5. *L'Historia Augusta da Giulio Cesare à Constantino il Magno, illustrata con la verita dell' Antiche Medaglie, da Franc. Angeloni, seconda impressione h*) In Roma 1685. fol.

Angeloni enim σφάλματα haud pauca, cum ex illius schedis, tum ex ingenio suo emendavit Bellorius, præterea aversas partes quæ desiderabantur in Angeloni tabulis quam plurimæ, cælari curavit, expressas è nummis Reginæ Christinæ.

Quidni etiam ad hanc referatur

6. *Colonna Trajana, &c. nuovamente disegnata & intagliata da Pietro S. Bartoli, con l' espositione d' Alfonso Ciaccone, i*) *accresciuta di Medaglie, Inscriptioni e trofei.* In Roma fol. *k*)

cum post columnam in grandi tabula ænea cælari curaverit Bellorius quadraginta numismatum, quæ ad expeditionem Dacicam pertinere videbantur, aversas partes. Postremo

7. *Veteres arcus Augustorum triumphis insignes. Romæ* 1690. fol.

hic quoque memorandi sunt, quod eos nummis ornavit vir doctus, ac præterea duodecim arcus è totidem nummis maxima forma expressis repræsentavit: quos nummos in extremo tabulæ æneæ margine descripsit integros, cum eorum aversas duntaxat partes cælari curavisset.

CXXVII.

f) Hæc Bellorii lucubratio exstat etiam in tomo VII. thesauri Antiquitatum Gronov.

g) A. 1685. 12. Vide Acta Eruditor. A. 1686. p. 214.

h) Prima Angeloni editio lucem viderat Rom. 1641. fol.

i) Columna Trajana CXXX. iconibus sive rerum in columna illa exstantium simulacris expressa cum præmissa Ciacconii explicatione prodierat Rom. 1616. fol. De Raph. Fabretti commentario quo eandem columnam illustravit, dictum infra, num. CXXXII. *k*) Ann. 1673.

CXXVII. JOANNES REISKIUS.

Joannis Reiskii, Guelferbytensis Scholæ Rectoris, quem hoc sæculo, die scil. 25. Maji *l*) anni 1701. obiisse legimus, vidimus

Exercitationes de Vaticiniis Sibyllinis, pluribusque quotquot Christi natalem præcessisse leguntur. Lipsiæ 1688. 8.

quarum mentionem idcirco facimus, quod iis accessit de nummo Sibyllino Imp. Commodi & Troadensium Dissertatio, in qua Reiskius Tristani & Patini sententiam, Herophilem illic expressam fuisse, propugnat, aliaque de sacris illis vatibus haud vulgo cognita congerit: sed viri docti aut ejus qui libelli edendi curam in se receperat, oscitantiam mirari subit, qui in titulo Dissertationem de duobus nummis pollicitus fuerit; prætereaque hanc iterum, & quidem continenter sub prælo sudare jusserit primum cum Appendicis elogio; deinde cum titulo falso, quasi nemp Cumanorum fuisset nummus ille, qui Troadensium erat.

CXXVIII. FRANCISCUS GRAVEROL.
CXXIX. JOANNES PETRUS RIGORD.
CXXX CLAUDIUS NICAISE.
CXXXI. NICOLAUS TOINARD.

Ad hæc tempora pertinent aliquot eruditorum Gallorum dissertationes, quas breviter indicabimus: primæ tres Francisci Graverol sunt, Causidici Nemausensis, *de nummo Trajani*, *m*) in quo triumphus Serapidis depictus; *de nummo Tyriorum*, quem alexandri M. ætate cusum existimat; & *de nummo Græco in quo Panis nomen expressum*: quarta est Joannis Petri Rigord, nobilis Masiliensis, de nummo Herodis

l) 20 Martii die Viridium. Vide Jo. Georgii Eccardi V. C. Diarium Hanoveranum monatlichen Auszug 1701. mense Aprili p. 80. sq. Hic est Reiskius Vir egregie eruditus, qui in exercitationibus de imaginibus JEsu Christi Jen. 1685. 4. editis p. 183. seq. disseruit quoque de nummis imaginem Christi referentibus.

m) Extat Gallice etiam in Jo. Clerici Bibl. universali T. IV. p. 244. & Latine in Electis rei nummariæ à Christophoro Woltereck amico nostro clariss. vulgatis p. 94.

rodis Antipæ, * cujus ope Christi natalem annum investigat: hæ tres gallice scriptæ, & in 4. editæ sunt; sed prima anno 1687. altera & quarto anno 1689. tertia anno 1690.

Quinta Dissertatio à CLAUDIO NICASIO, nobili Velauno, qui octo & septuaginta annos natus in patria sua obiit mense Octobri anni 1701. scripta est *de nummo Pantheo Hadriani Imp.* in eaque vir doctus cum nonnulla de consecrationibus veterum haud vulgo nota monuit, tum etiam peculiarem inter Hadrianum & Alexandrum M. instituit comparationem, quæ vel ob argumenti novitatem & insolentiam legenda videtur. Edita Lugduni est anno 1690. 4.

Cæteræ sunt NICOLAI TOINARD, Nobilis Aurelianensis, viri eruditissimi, sed in his studiis minus versati: & in prima quidem *Trajani & Caracallæ Alexandrina duo Numismata* exhibuit, eaque ad Alexandriam Ciliciæ pertinere demonstravit: in altera vero quæ cum superiori edita est anno 1689. 4. *de Galbæ Numismate Ægyptiaco*, novam Imperii annos numerandi rationem inire voluit, quam pauci probaverunt. Operam etiam lusit in tertia, cujus titulus est,

De Commodi Imp. ætate in nummis inscripta. Paris. 1690. 4.

in hac enim Commodi non Imperii, sed ætatis annos in plerisque ejus nummis consignatos fuisse contendit; atque ut eam opinionem tueretur, quam huic in mentem venire potuisse persæpe miratus sum, varios nummos pro arbitrio suo emendat, *n*) ut appareat virum doctum non satis intellexisse quid interesset inter libros ab imperitis sæpe descriptos, & integerrima hæc veteris ævi monumenta.

CXXXII. RAPHAEL FABRETTUS.

RAPHAELEM FABRETTUM, *o*) Urbinatem, principem locum inter Antiquarios Romanæ urbis obtinuisse existimant viri eruditissimi, quorum judicium plurimi facimus. Hujus est,

De

* Hunc nova luce egregie perfudit illustriss. Henr. Noris in Epistola ad Pagium, infra, CXXXIII. 3.

n) Simili licentia utitur Toinardus vir doctus in notis ad Lactantii cap. XI. de mortibus persecutorum, ubi de duplici æra Amisemorum ex nummis disserit.

o) Obiit vir eruditissimus initio Anni 1700.

De Columna Trajani Syntagma p) Romæ 1690. fol. quod cum nummis quamplurimis ubique diſtinctum ſit, tum caput nonum complectitur numiſmata omnia quæ Fabrettus arbitratus eſt occaſione utriuſque in Dacos expeditionis percuſſa fuiſſe. Una vero cum eximio illo opere prodiit, & ipſa cum nummis non paucis *Explicatio veteris tabellæ anaglyphæ*, q) *Homeri Iliadem & Ilii excidium continentis*; quæ quidem auctoris fama digniſſima eſt; ſed in utroque ſyntagmate numiſmata omnia novo quodam ac prorſus ſingulari modo exhibuit Fabrettus; nam ut ſumptibus conſuleret, circulos duos in buxo cælari curavit, intra quorum alterum caput deſcripſit & capitis epigraphen, intra alterum averſæ partis epigraphen & typum, & quidem minutis, nec admodum nitidis literis.

CXXXIII. HENRICUS NORIS. Card.

Hic memorandus eſt Purpuratorum decus, Emin. Cardinalis Henricus Noris, qui Veronæ natus eſt die 29. Auguſti anni 1631. Auguſtinianorumque ordini adſcriptus, & Pelagiana Hiſtoria jam clarus, Florentiam à Magno Etruriæ Duce literarum patrono accitus eſt anno 1674. primumque Ejus Theologus, mox Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lector in Piſana Academia fuit: & cum in utroque munere ſe & Principi ſuo, & Sanctiſſimo Patri approbaſſet, inter S. R. E. Cardinales allectus eſt exeunte anno 1695. ſummamque Bibliothecæ Vaticanæ præfecturam accepit: poſtremo decurſo duorum & ſeptuaginta annorum, prætereaque ſex menſium ſpatio, vitam hanc meliore, ut ſperamus, commutavit anno 1704. die 23. Februarii. Hujus varia quæ huc pertinent opera Eruditorum manibus ſumma cum animi voluptate teruntur. Primum hunc titulum præfert:

1. *De duobus Nummis Diocletiani & Licinii Diſſertatio duplex &c. cum*

p) In Lexico eruditorum, Lipſiæ edito Germanice, legas hoc ſyntagma recuſum eſſe in theſauro Grævii. Sed fefellit memoria virum præclarum qui hoc ſcripſit, neque enim usquam adhuc illud Fabretti opus poſt Romanam edit. rarius obviam præla fatigaſſe conſtat.

q) Hanc poſt Fabrettum illuſtrandam ſibi ſumſit vir & ipſe egregius Laurentius Begerus, de quo infra, num. CLXII. 9.

cum Auctario Chronologico de votis Decennalibus Imperatorum & Cæsarum. Patavii 1676. fol. r)

quo in opere primum nummum ſingularem Diocletiani, è gaza Medicea, in quo ipſe tertium & Maximianus Conſules dicuntur, accuratiſſime explicavit, hujus ope Faſtos ab Onuphrio Panvinio depravatos emendavit, de triumphis nova quædam, aut non ſatis diligenter ab aliis tractata congeſſit, ac denique Diocletiani & Maximiani res geſtas, Carauſiique tempora illuſtrare conatus eſt. Deinde ſingularem Licinii nummum enarrare aggreſſus, anni quidem πεϱιχϱονισμῷ ſemper peccavit, quod literis ſingularibus quæ illa ætate in imo nummorum margine expreſſæ ſunt, memoriam annorum quibus cuſi ſunt conſignatam fuiſſe crederet cum Goltzio, Occone, Mediobarbo, aliisque ſuperioris ævi Antiquariis; nec minus in interpretanda inſcriptione quæ Licinii caput ambit, LICINIUS AUG OB DV FILII SUI. conjectura aberraſſe mihi quidem videtur; hanc tamen ipſam diſſertationem eximiarum obſervationum quaſi floribus conſperſit. Poſtremo de Votis Decennalibus ideo diſputavit, ut oſtenderet ſoluta plerumque fuiſſe poſt exactum decennium, eorumque veluti hiſtoriam ab Auguſto, à quo inſtituta ſunt, veterum ſcriptorum & numiſmatum ope contexuit utiliſſimam profecto & eruditiſſimam. Alterum Noriſii opus, quod inſcripſit,

2. *Epiſtola Conſularis.* Bononiæ 1683. 4. s)

ſuperiori non minus utile videtur; in eo primum ſeptuaginta Conſulum Collegia ab anno Chriſti 29. ad annum 229. in Faſtis depravata correxit, ſupplevit & illuſtravit; & Inſcriptionibus quidem præcipue uſus, nummos tamen non neglexit, imo nullam Faſtos & Hiſtoriam ex iis reſtituendi occaſionem prætermiſit. Deinde quæ adverſus Conſulatuum Cæſareorum regulas ab Erud. Pagio * concinnatas objiciebantur à doctis quibusdam Italis, collegit, & illas regulas ex eorum mente, neſcio an etiam ex ſua, petitis è Domitiani Conſulatibus exemplis oppugnavit. Tertium doctiſſimi viri opus titulum hunc in fronte præfert:

3. *Annus*

r) recuſa hæc diſſertatio duplex in tomo primo theſauri Antiquitatum Rom. V. Cl. Alberti Henrici de Sallengre. Hagæ 1716. in fol.

s) exſtat etiam in tomo XI. theſauri Antiquitatum Rom. Græviani.

* in diſſ. Hypatica ſive de Conſulibus Cæſareis, Lugd. 1682. 4.

3. *Annus & Epochæ Syro-Macedonum, in Vetustis Urbium Syriæ nummis, præsertim Mediceis expositæ.* Florentiæ 1689. fol *t*)

& in quinque dissertationes tributum est, quarum prima de anno ac mensibus Macedonum, altera de Epocha sive æra Seleucidarum accurate disputat, tribus postremis urbium Syriæ, Phœnices, Palæstinæ Epochas demonstrat ex nummis, quos, ubi opus est, lectorum oculis objicit in æs incisos, atque ita describit, ut nihil quod vel ad conditarum urbium tempus, vel ad earum numina aut symbola spectet, si quæ illorum in nummis vestigia apparent, prætermittat. His Dissertationibus subjuncta est ad erud. Pagium *Epistola de nummo Herodis Antipæ*, qui in Museo D. Rigordi, de quo supra, *u*) asservabatur: & ex eo nummo doctissimus Cardinalis non annum solum quo Herodes in exilium ejectus est, colligit, sed infinitæ etiam & concertationum plenæ de anno Natali Christi disputationi finem imponi tandem posse indicat. Epistolam vero præcedit Appendix Numismatum plurimorum quæ in Dissertationibus deerant, & ad Norisium missa ab Eruditis Gallis fuere, cum ejus liber jam in lucem prodiisset.

Superest unum opus quod à Norisio suppressum, hoc vita functo editum est cum hoc titulo:

4. *Henrici Norisii S. R. E. Card. Paræn esis ab V. C. Joan. Harduinum. &c.* Amstelodami 1709. in 12. *)

hoc in libello de nummorum aliquot qua Græcorum qua Latinorum interpretatione contra Harduinum *x*) disputat.

CXXXIV. JACOBUS DE WILDE.

De Jacobi De Wilde, *y*) Batavi opere, quod inscripsit,

t) Hic liber recusus Lipsiæ 1696. 4.
u) supra num. CXXIX. * in 8vo.
x) Harduinus contra Norisii librum de Epochis Syromacedonum, adventoriam Epistolam vulgaverat sub nomine Eumenii Pacati, atque in altera quoque ad Jo. Valentem Epistola de triplici nummo, Norisium oppugnaverat.
y) Ad hunc Virum Nobilissimum Hadr. Relandus suas de nummis Samaritanorum dissertationes scripsit.

Selecta Numiſmata antiqua; ex Muſeo Jacobi de Wilde. Amſtelodami 1692. 4.

nonnulla monendus eſt lector. Numiſmata hoc in libro centum & quinquaginta tria in quinque & viginti æneis tabellis cælata ſunt integra, Regum, Populorum, Urbium Græcarum, Coloniarum, Imperatorum Romanorum, pleraque rariſſima. Reges & Reginæ ab Amynta Macedone ad Herodem Agrippam Philoclaudii filium, quinque primas tabellas occuparunt: ſolus Pharnaces cum ſerius veniſſet, locum in tabella xxv. obtinuit: in cæteris omnia confuſa & indiſtincta ſunt, quod ut ipſe monuit, non ſculptor in exprimendis numiſmatibus ſcripta; verum ſcripta, enarrando & explicando, ſculptorem ſecuta ſunt. Vitium tamen hoc præclare emendavit Erud. Batavus in rerum Indice, quem unum omnium ad illam ætatem accuratiſſimum vidi, *z*) in hoc enim cum omnia ordine recenſuit, tum peculiares indices confecit, Deorum Dearumque, Regum & Reginarum, Imperatorum, Auguſtarum, Regionum, Urbium, ac denique ſymbolorum. Quod ad Commentarios ſpectat, in his profecto Wildius nullius ſcripta ſibi in exemplum propoſuit, ita à cæteris omnibus diverſi ſunt: non enim ſingulos nummos, ut plerique omnes, explicare contentus fuit; ſed de omnibus quæ in iis occurrunt, ſingulatim diſſeruit; ita ad primam tabellam, occaſione exuviarum Nemæi Leonis, quem

Primus anhelantem duro Tyrinthius angens
Pectoris attritu ſua fregit in oſſa, *

duodecim Herculis labores enumeravit, & quibus in nummis antea editis depicta ſint, indicavit: ita quod nummus 39. Dioſcurorum pileis ſtellatis cælatus eſt, quæ de iis prodita ſunt à veteribus enarravit, nec omiſit urbes quæ nomen ab iis accepere: ſi cæteras ad idem exemplum deſcriptas obſervationes perſequi vellem, totus pene liber exſcribendus foret: quod enim in Diis & Deabus, idem in Urbibus præſtitit; hoc eſt ad earum numiſmata congeſſit, quicquid vel ex aliis earum nummis antea editis, vel ab antiquis & à recentibus Scriptoribus quod ad earum originem, nomina, numina, ſymbola pertineret, di-

ſcere

z) Præmiſit etiam tabulam Geographicam ſola illa loca notata exhibentem quorum in nummis hiſce mentio occurrit.

* Statius VI. Theabaid. 270.

ſcere potuit: adeoque ſi quæ harum honorifico quodam titulo inſignis eſt, cæteras quæ eodem ornatæ erant, recenſuit: nec indiligentior ubi de Regibus, ac Reginis dicendi occaſio ſeſe obtulit, aut ubi alia in nummis notatu digna offendit, notas omnes ſuas ita ſcripſit, ut timuiſſe videatur, ne ſcrinia non ſatis cito exhauriret.

CXXXV. JOANNES CHRISTOPHERUS OLEARIUS.

JOANNIS CHRISTOPHORI OLEARII, a) Hallenſis Saxonis, Philoſophi & Medici, ac denique Verbi Divini Miniſtri apud Arnſtadienſes, ſimulque Inſpectoris & Bibliothecarii, duæ extant Epiſtolæ; prima

De nummo (uti vocant) conturniato M. Aurelii Antonini.
Jenæ 1692. 4.

in qua primum de nummis conturniatis in univerſum, mox de Tribunitia Poteſtate, deinde de Victoria & veterum trophæis diſputat, ac denique rationes profert, cur nummum hunc pertinere exiſtimet ad nobilem illam victoriam de Quadis, fulminatricis legionis precibus & armis partam. Altera eſt

De nummo L. Septimii Severi, in quo Mars cum ſcalis.
Jenæ 1692. b) 4.

quo nummo Byzantii à Severo captæ memoriam conſignatam fuiſſe arbitratur. Ut auctorem indoctum non eſſe, ita multa ab eo reſecanda, aut accuratius pertractanda fuiſſe facile quivis intelliget. Utraque epiſtola iterum edita eſt Hamburgi anno 1709. cura Chriſtophori Woltereck. c)

a) Longe plura præclari hujus viri exſtant, ut *ſpecimen univerſæ rei nummariæ, ſcientifice tradendæ,* Jen. 1698. 8. *Iſagoge ad Nummophylacium bracteatorum.* ibid. 1694. 4. *Spicilegia Antiquitatis tria de nummis bracteatis XL* id. 1702. ſeq. *Diſſ. Epiſtolica de nummo argenteo in memoriam S. Norberti,* Arnſtad. 1704. 4. *Curieuſe* Münz-Wiſſenſchafft. Jen. 1701. 8. *Epiſtola ad Rev. D. Jo. Andream Schmidium de nummo bracteato Gardolphi, Epiſcopi Halberſtad.* Arnſtad. 1700. 4. b) 1696.

c) in electis rei nummariæ p. 112. 131.

CXXXVI. FRANCISCUS CAMELUS.

Franciscus Camelus, Italus, Christinæ Suecorum Reginæ Antiquarius, * Numismatum quæ in ejus Museo Romæ asservabantur seriem ita edidit, ut eas divitias ostentare magis, quam cum viris studiosis communicare, thesaurumque illum non tam recludere, quam de eo Dominæ suæ gratulari voluisse videatur: descriptiones enim Numismatum Imperatorum hoc in opere non jejunæ solum, quales in Mediobarbo & Occone, sed mancæ ac mutilæ sunt, in quibus partem adversam sæpissime, aversæ etiam epigraphen non raro desideres: Consulares vero & veterum Regum nummos plerumque ne descripsit quidem, sed horum numerum duntaxat dedit, illos certis quibusdam notis ad Fulvii Ursini Familias Romanas accommodatis indicavit:

Nummi antiqui aurei, argentei, ærei primæ, secundæ seu mediæ, minimæ & maximæ formæ, Latini, Græci, Consulum Augustorum, Regum & Urbium, in Thesauro Christinæ Reginæ Suecorum, &c. Romæ asservati &c. Romæ 1692. *d*) 4.

Thesaurum merito appellat, in quo Numismata veterum Regum & Urbium argentea & ærea; clarorum virorum ærea maximæ formæ: Familiarum Romanarum aurea & argentea: Imperatorum, aurea ad Alexium Comnenum, argentea ad Phocam; ærea maximæ formæ ad Alexandrum Severum; primæ, ad Phocam, mediæ & minimæ ad Justinianum: postremo aurea quæ ad certam classem referri non potuerunt. Ex his numismata primæ formæ, Reginæ jussu incisa in quadraginta æneas tabulas fuisse, monet Vaillantius in Præfatione Numismatum in Coloniis cusorum.

CXXXVII. BURCHARDUS GOTTHELFF STRUVIUS.

Burcardus Gotthelff Struvius, in Jenensi Academia Historiæ Professor Primarius, cum variis in gratiam studiosorum libellis conscriptis prima scientiarum elementa tractavit, tum etiam Antiquarium informare conatus est

Biblio-

* Post Franciscum Gottifredum: succenturiato etiam Jo. Petro Bellorio, de quo supra, num. CXXVI.

d) 1690. Vide Acta Eruditor, 1691. p. 207.

Bibliotheca Numiſmatum antiquiorum. Jenæ 1693. in 12.

Et in hac quidem *e*) primum recenſet auctores qui de nummis ſcripſere; deinde ſeriem edit Familiarum & Principum Romanorum, quorum numiſmata ad nos pervenere; poſtea quæ nomina iis dari olim ſolita ſint, & quibus è metallis conſtent edocet; mox eorum typos & inſcriptiones in certa quædam capita diſtribuit, de iiſque incertum majori brevitate an eruditione differit; poſtremo voces litera ſingulari, aut alioqui per compendium ſcriptas explicat. Quoniam vero ſunt qui arbitrantur Bibliothecam hanc ita accurate adornatam eſſe, ut vix quidquam abſolutius confici poſſe deſperent, hos pro more noſtro candido monemus, idem Struvio in recenſendis ſcriptoribus, quod antea Philippo Labbe, *f*) uſu veniſſe videri, ut plerorumque titulos ex aliorum Bibliothecis jam editis peteret: alioqui nec Paulum Petavium ob *Veterum nummorum* ΓΝΩΡΙΣΜΑ retuliſſet inter eos qui Introductionem, ut cum ipſo loquamur, ad rem nummariam ſcripſerunt, & facile intellexiſſet ſuperiorem libellum à Patino recenſeri cum falſo titulo *Numiſmata vetera atque nova:* nec duos velut diverſos in Numiſmata Arſchotana Commentarios Alberti Rubenii & Caſperii Gevartii nominaſſet; nec denique capite quinto commendata Diſſertatione Caroli du Freſne de Numiſmatibus inferioris ævi, mox laudaſſet Ducangii Diſſertationem.

P 3 CXXXVIII.

e) Vir eruditiſſimus ſcriptores de nummis in claſſes undecim digesſit 1. eorum qui catalogos de hoc argumento ediderunt. 2. qui de nummo ejusque partibus ſunt commentati. 3. introductionum ad rem nummariam. 4. eorum qui ſeriem nummorum ab Urbe Condita ad Heraclium vel etiam ulterius illuſtrarunt. 5. eorum qui de nummis conſularibus. 6. & 7. Imperatoriis. 8. Populorum & urbium, ſcripſere. 9. eorum qui nummos ſingulares ſcriptis ſuis, 10. qui ſcripta ſua ex nummis illuſtravere. & 11. denique eorum qui Nummophylacia & cimeliarchia deſcripſerunt.

f) pro Labbeo vide ſi placet quæ dixi ſupra num. LXXXIV. Certe plerosque eum librorum titulos ex Bibliothecarum catalogis petiiſſe neutiquam ſibi perſuadebit qui totam vitam in Bibliothecis inſtructiſſimis conſumſiſſe noverit. Pauci vero illi qui Struvio objiciuntur nævi, nec lucubrationis utiliſſimæ pretio, nec viri celeberrimi, qui juvenis illum ante hos fere triginta annos edidit, gloriæ detrahere hilum poterunt.

CXXXVIII. POLYCARPUS TENZELIUS.

Polycarpi Tenzelii, * Germani, opera & ſtudio prodiere in æneis tabellis tribus, aliquot

Selecta Numiſmata aurea, argentea, & ærea maximi moduli ex Nummophylacio Illuſt. Comitis Schwarsburgici. g) Jenæ 1693. 4.

quibus ſubjuncti ſunt ejuſdem Commentarii prolixi & eruditi.

CXXXIX. JOANNES WEIDNERUS.

Extat etiam Joannis Weidneri, Auguſtani, lucubratio non inelegans, cum hoc titulo:

Pietas in nummis antiquioribus delineata. Jenæ 1694. 4.

in qua ſunt primum æneæ tabellæ duæ numiſmatum, in quibus Pietas expreſſa eſt, aut ejus ſymbola occurrunt, accuratiſſime cælatorum, deinde in illa Commentarius prolixior.

CXL. CASPAR SAGITTARIUS

Caspar Sagittarius, h) Luneburgenſis, Hiſtoricus Saxonicus, hic nominandus eſt, non quod Commentaria in nummos ſcripſerit, quæ hactenus nulla à doctiſſimo viro confecta audivimus; ſed quia in *Introductione ad hiſtoriam Eccleſiaſticam, & ſingulas ejus partes*, quæ Jenæ anno 1694. edita eſt in 4. capite 23. de iis qui veteris ævi Hiſtoriam nummorum ope illuſtrare, aut reſtituere aggreſſi ſunt, diſſeruit, & quidem accuratius multo, quam ab ullo antea factum fuerat.

CXLI. ABRAHAM SELLERUS.

De Abrahami Selleri, Londinenſis, opere inſcripto,

The Antiquities of Palmyra, &c. London 1696. 8.

ſive Antiquitatibus Palmyrenis, Urbis illius hiſtoriam uſque ad noſtram ætatem

* Frater hic Wilhelmi Erneſti Tenzelii τȣ͂ μακαρίτȣ cujus tot ſcripta inſignia & præter Saxoniam numiſmaticam A. 1705. 4. Dresdæ vulgatam & plurimæ de nummis obſervationes in Dialogis menſtruis vernaculis A. 1689. ſeq. editis extant.

g) Antonii Guntheri.

h) Obiit Vir optimus & Jenenſis Academiæ decus ſingulare A. 1694. ætat. 52.

ætatem complexis, pluribus dicere alienum quidem eſt ab inſtituto noſtro; ſed tres quatuorve ejus obſervationes *i)* indicare haud inutile fortaſſe erit: ſcilicet cum omnes Hadrianopolitanorum nummos cæteri Antiquarii exiſtiment cuſos fuiſſe in Thracia aut in Cyrenaica, quod in utraque Provincia urbs nobilis, cui Hadrianopoli nomen, extiterit, duos nummos Selierus ad Palmyram refert: primum Hadriani, ΑΔΡΙΑΝ... ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. in quo Mulier ſcopulis inſidens, dextra pateram tenet, & lævo humero trophæum gerit; alterum Caracallæ, ΑΔΡΙΑΝΟ-ΠΟΛΙΤΩΝ. cum Sagittario: ſuamque opinionem quadruplici argumento firmat, quod Palmyra ab Hadriano reſtaurata ſit; quod eam Metropolim fuiſſe ſcribat Ptolemæus, quod tumulis paſſim cincta ſit, quod ſagittariis militibus olim præſtiterit. Idem Odenathi, Ignatii, Egnatii nomina à ſe invicem diverſa non eſſe ſcribit, indeque rationem reddit, cur in aliquot nummis Græcis Egnatius dictus fuerit Gallienus, cujus etiam nummos Latinos PAX AUGG. CONCORDIA AUGG. exiſtimat tum cuſos fuiſſe, cum Odenathum Auguſti titulo auxit. Non minus ſingulare eſt quod monet in nummis Græcis Vabalathi, ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟC ΑΘΗΝΟΥ, diſtrahendum eſſe poſtremum nomen, ex iiſque duo conſicienda nomina ΑΘΗΝαίου ΟΥωρώδου, ſupple υἱός, ut intelligatur Vabalathum Herodis filium, Odenathi nepotem fuiſſe: in ejuſdem Latinis, in quibus cum cæteris perperam legit UCRIMPR. *k)* & UCRIMPP. vel mentionem fieri *Urimæ* alias *Ucrimæ* Metropoleos Cyrrhesticæ, quam Provinciam Vabalathus nactus fuerit, vel eum dici *Virum Clariſſimum, Rectorem Imperii Orientalis.*

CXLII. OLIGER JACOBÆUS.

Eſt Hafniæ in Regia Daniæ Bibliotheca Muſeum variis divitiis refertum, quas inter eminent Numiſmata, cum Daniæ Regum plurima, tum etiam haud pauca Imperatorum Romanorum: quod Muſeum deſcribere cum inſtituiſſet OLIGER JACOBÆUS, nobilibus parentibus in Cimbrica Cherſoneſo natus, Medic. & Philoſ. Profeſſor Regius Hafniæ, qui vivendi finem fecit anno 1701. die 18. Junii, duas operis ſui partes eſſe voluit, & in prima quidem res naturales recenſuit, in altera vero res artificia-

i) Confer ſi placet Acta Eruditor. T. 3. ſupplementi p. 91. ſeq.
k) pro UCRIMOR.

tificiales, & has inter Numismatis quintum locum assignavit:

Museum Regium, seu Catalogus rerum tam naturalium, quam artificialum, quæ, &c. Hafniæ asservantur. Hafniæ 1696. fol.

Numismata illic servantur Principum Romanorum à Julio Cæsare, aurea ad Anastasium, argentea ad Tetricum, ærea ad Julianum: descriptio eadem quæ in Occone & Mediobarbo: notæ raræ, & brevissimæ.

CXLIII. JOANNES BURCARDUS MENCKENIUS

Joannes Burcardus Menckenius, Lipsiensis J. C. Historiæ in Patria Professor, Schediasmate anno 1696. in 4. edito de monogrammate quo Christi nomen Sacratissimum indicare olim solitum est, quæsivit primum, quis fuerit in nummis Ægyptiis ante Christum natum ejus monogrammatis sensus, variorumque sententias, aut verius conjectationes collegit; deinde quis ejus usus à Christo nato fuerit.

CXLIV. CHRISTOPHORUS CELLARIUS.

Utri adscribenda sit Dissertatio adversus Harduini librum de nummis Herodiadum, inscripta,

Flaviana Herodum Historia asserta, & nummis antiquis conciliata, &c Halæ Magdeburgicæ 1696. 4.

Joanni

l) Hoc Museum deinde vidit lucem ibid. A. 1710. fol. insignibus accessionibus locupletatum à *Joanne Laurentzen*, assessore Consistorii Havniensis Regio, qui præclaras etiam suas de nummis veteribus Danicis observationes adjunxit.

m) Si ad oculos Bandurii pervenisset, daturus etiam in hac Bibliotheca fuisset locum alteri ejusdem Amplissimi Menkenii schediasmati A. 1694. 4. Lipsiæ vulgato, quo *Augustorum Augustarumque Consecrationem ex nummis illustratam* admodum juvenis exhibuit. Longe plurimum porro eidem Nobilissimo & Erud. viro atque desideratissimo ejus Parenti Ottoni Menckenio τῷ μακαρίτῃ non nummaria solum sed universa res litteraria debet. Hi enim sunt quibus jam per quadraginta fere annos Eruditorum Acta in acceptis referimus, quibus tot scriptorum etiam de re nummaria traditur notitia locuples & accurata.

JOANNI JUSTO BOELUNG, qui eam ad disputandum proposuit, an CHRISTOPHORO CELLARIO, *n*) Historiæ & Eloquentiæ Professori Primario in Academia Fridericana, ac Disputationis Præsidi, haud satis scio; quanquam huic tribuere malim, viro, magni, dum vixit nominis, quod aliquot operibus nobilitavit; est enim plane elegans hic libellus, itaque scriptus ut nihil in eo luxuriet, nihilque brevius dici queat; qua de causa ejus σύνοψιν exhibere sine stultitiæ nota non possumus.

CXLV. CAROLUS HEIDANUS.

CAROLUS HEIDANUS, *o*) Lugduno Bat. à Secretis Ration. Publ. non parvam manum nummorum veterum collegerat, quam cum heredes ejus distrahere vellent, eorum indicem curaverunt parari quam brevissimum, qui quidem palam prodiit cum hoc titulo:

> *Thesaurus Elegantissimus Vett: tam Græcorum, quam Romanorum, aliorumque Numismatum ex auro, argento, ære, &c. quem &c. collegit D. Carolus Heidanus &c.* Lugduni Batav. 1697. in 8.

In hoc Thesauro Numismata Græca sunt & paucissima, & pessime descripta; Consularia sive Familiarum multo plura, sed quæ in Fulvii Ursini recognitione antea prodierant, ea ne quidem descripta sunt, sed numeris indicata, quæ vero desunt in Patino, perpauca numero sunt. Sequuntur nummi argentei Imperatorum, ac deinde ærei; in utrisque ordinem tabularum Arschotanarum anni 1654. secutus est qui Thesaurum digessit; sed eo artificio, quod cum ipse non prodiderit, nos libenter detegemus, ut usui esse possit Index ille in quo rarissima numismata interdum reperimus: qui scil. nummi illud Imperatoris caput habent, quod unum cælatum est in tabulis, agmen ducunt, eos sequuntur in quibus diversæ sunt capitis epigraphæ quæ in tabulis deerant; in utrisque vero non paucæ sunt aversæ partes, quæ in Arschotano Cimelio desiderabantur. Aurei nummi subjuncti sunt haud plures quinquagenis.

n) Inter Cellarii, meritissimi Viri dissertationes Academicas post ejus obitum junctim excusas iterum prodiit Lipsiæ cura V. Cl. Jo. Georgii Walchii, 1712. 8. Obiit Cellarius Halæ Sax. 1707. 4. Jun.

o) Abrahami Heidani Theologi Lugdun. Bat. filius.

CXLVI. MARCUS MAIER.

De re literaria optime meruit MARCUS MAIER, cujus cura prodiit tertium Parutæ Sicilia, p) cum hocce titulo:

La Sicilia di Filippo Paruta, &c, hora in miglior ordine disposta, &c. In Lione 1697. fol.

nimirum in hac tertia editione, cum omnia quibus alteram locupletaverat Leonardus Augustinus, tum etiam hæc nova occurrunt: Breves totius Insulæ primum, deinde suis locis singularum urbium, quarum numismata hic exhibenter, descriptiones, simul notæ in singula numismata, succinctæ quidem, eruditæ tamen, & quales expectari fas erat ab eo viro qui rem nummariam data opera illustrandam non susceperat.

CXLVII. JOANNES EVELYN.

JOANNES EVELYN, Anglus, * patria lingua conscripsit Introductionem, ut vocant, ad nummorum scientiam, cui titulum hunc præfixit:

Numismata, a Discourse of Medals antient and Modern, &c. London 1697. fol.

Hæc novem capitibus constat, in quibus differit de præstantia & usu numismatum, quatenus memoriam rerum gestarum servant, & tutissima sunt veteris ævi monumenta; de effigiebus in iis cælatis, ac de ornamentis Consulum & Imperatorum, de aversis partibus, de inscriptionibus, de literis singularibus, ac de vocibus per compendium literarum scriptis, de ratione numismata vera à falsis cognoscendi, de iis qui nummis colligendis & illustrandis operam dedere, de optimo nummos in ordinem disponendi modo, postremo de arte multiplices hominum naturas è vultuum inspectione cognoscendi. In his porro argumentis, & in cæteris quæ omittimus, cum recentiores non pauci versati sint ante Evelynum, utrum novi quiddam conterraneos suos docuerit nescimus; q) sed profecto novam tyronem instituendi viam iniit: tametsi enim de nummis veteribus, non minus quam de recentibus acturum se esse promisisset,

p) de prioribus duabus editionibus supra, num. XLI. & LXIX.

* Armiger.

q) Prolixior hujus operis analysis occurrit in Actis Erud. A. 1698. p. 331. seq.

misisset, nullos tamen propemodum, nisi recentes & proxima ætate cusos in æs incidi curavit.

CXLVIII. PHILIPPUS BUONARROTI.

Numismata maxima è Museo Emin. Card. Gasparis Carpegna, sed perpauca numero, à Josepho Monterchi illustrata antea vidimus: r) eadem ad centum & triginta s) edidit PHILIPPUS BUONARROTI, Florentinus, Senator amplissimus, cum ejusmodi notis, quas doctissimus quisque suas esse vellet;

Osservazioni Istoriche sopra alcuni Medaglioni antichi. Roma 1698. fol. t)

cum enim vir acri & limato judicio non minus, quam præclara eruditione atque doctrina pollens, probe nosset, pleraque numismata nec sine Scriptoribus intelligi posse, & eos mirum in modum illustrare; in id unum incubuit, ut quæ ab Historicis traduntur, vel ad Imperatorum mores & res gestas vel ad Græciæ antiquitates pertinentia, eorum vestigia in nummis investigaret; ac vicissim si quæ in monumentis illis perspicue consignata sint, ut hæc à Scriptoribus non omissa demonstraret: & utrumque ita præstitit, ut eum modestiæ suæ obsecutum magis, quam veritati consuluisse appareat, dum librum suum rudem & indigestam dubiorum molem esse ita libenter confessus est, ut etiam profiteri videretur; nam & plurima quæ antea fortasse in dubitationem adduci poterant, gravissimis argumentis firmavit, & præclara luce perfudit ea, quorum fides nondum certa est.

CXLIX. ANDREAS MORELLIUS.

Quod ab Huberto Golzio, Wolfganga Lazio, & Jacobo Strada patrum nostrorum ætate, idem quadraginta ferme ad hinc annis susceptum est ab ANDREA MORELLIO, Helvetio Bernate: omnes enim Græcos & Latinos nummos, prætereaque Judaicos, & gentium barbararum, in æs incisos publico exhibere aggressus est, suæque in pretiosissimis monumentis exprimendis industriæ & accurationis specimen edidit, semel

r) num. CI. s) in tabulis XXXVII.

t) in 4to. charta regia. Pulchrum gustum hujus operis dedit Ludolphus Neocorus in Bibliotheca novorum librorum A. 1699. p. 600. seq.

ſemel Pariſiis anno 1683. deinde auctius poſt duodecim annos, cum variis caſibus jactatus, certam ſedem apud Ser. Principem Schwartzburgicum *u*) tandem reperiſſet.

Andreæ Morellii, &c. Specimen rei nummariæ antiquæ. Lipſiæ 1695. 8.

Præter abſolutiſſimam nummorum omnium qui in Theſauro Chriſtianiſſimi Francorum Regis ante annum 1690. ſervabantur, picturam, extant in ampliſſimo eodem Theſauro, ejuſdem Morellii libri ſex, quos aliquoties ſumma cum animi voluptate evolvimus; levi quidem, ſed erudita manu picti; nullius enim peritiam hac in arte magis enituiſſe fatendum eſt. Horum librorum primus numiſmata aurea & argentea complectitur; illa quidem ad Heraclium, hæc vero ad Zenonem; & quidem argenteorum plerorumque averſas partes ſolum; ſed quæ ex utroque metallo maximæ formæ erant, ſimul compegit Morellius, & cæteris præfixit. Altero collecta ſunt numiſmata ex ære maximo, Urbis Romæ, Auguſti, ac cæterorum Principum uſque ad Juſtinianum; deinde Alexandri, Olympiadis, Virorum aliquot illuſtrium: ſimulque compacta eſt ſeries nummorum ex ære primi moduli, quæ ad Juſtinianum quidem perducta eſt, ſed perpauci ſunt à Criſpo. Maximam etiam ſegetem æreorum ſecundi & tertii moduli, horum ad Iſaacium Deſpotam, illorum ad Joannem Zimiſcem, volumina duo, tertium & quartum, complectuntur: at quinto ſunt numiſmata Familiarum, & incerta: quibus Morellius ſubjecit nummos varios à Triſtano, Strada, aliiſque obtruſos, quorum ſinceritatem plerique nec immerito, in dubium vocant. Sextus denique liber Regum, Virorum Illuſtrium, Urbium numiſmata Græca exhibet: quamobrem eorum quæ deliniaverat molem ad viginti millia jam tum excreviſſe, cum in arcem *y*) quam Baſtilianam vocant, incluſus

u) Antonium Guntherum, Arnſtadii.

x) adjunctæ quinque Illuſtr. Ezech. Spanhemii ad Morellum Epiſtolæ, de quibus infra, n. CLXI. 5.

y) *Non ita multo poſt*, inquit Morellus p. 8. *quam ſpecimen* (A. 1683.) *prodiiſſet, accidit ut LUDOVICUS MAGNUS Galliarum Rex Gazæ ſuæ nummos manu mea delineari poſceret: quam operam alacri animo aggreſſus, ſæpius Rege ipſo adſtante perfeci, non ſine gravi autem fortunarum mearum calamitate abſolvi. DEI enim, cujus nutu res noſtræ*

inclusus est, non frustra jactitasse videtur. Postquam è carcere emissus, Germanico cælo restitutus est, intermissum, imo interversum opus adeo alacriter repetiit, ut supra quinque & viginti nummornm millia z) intra brevissimum tempus collegerit; sed prope immensi, & rei literariæ utilissimi operis nihil ad nos pervenit, præter hoc, de quo loquimur, Specimen, in quo centum & septuaginta quatuor numismata, ex omnibus generibus selecta, in æs incisa sunt, cum notis haud vulgaris saporis. Æneas tamen tabulas supra quinquaginta a) apud *Thomam Fritschium* Typographum Lipsiensem, cujus sumptibus scalptæ sunt, extare non ita pridem monebat Wilhelmus Ernestus Tenzelius Biblioth. Cur. tom. 1. pag. 508. ipseque Morellius in Epistola ad Perizonium, año 1701 Numismatum imperatorum partem his tabulis contineri scripsit; sed quominus absolverentur, per valetudinem eruditissimi Antiquarii stetit, qui diuturniori morbo conflictatus, postremo vitam morte commutavit

Q 3

stræ gubernantur, permissione contigit, ut supremi eo tempore Regni moderatoris, Marchionis de Louvois animus mihi adversus redderetur, quum quæ denegabantur promissa petens Helvetica quadam uterer libertate: sic ut, pro moribus despoticis, labores meos triennali carcere remuneraret, absolutamque nummorum descriptionem, cæteras etiam deliniationes, & quicquid poterat, auferri juberet. Cujus tamen illatæ injuriæ & perpessorum malorum memoria animo meo effluxit, nec ineptæ cujusdam vindictæ me cupido sollicitat: satis habeo, maximum potentissimumque REGEM, post Marchionis illius è vita discessum me libertati redditum clementissimo colloquio fuisse dignatum, aliaque Regiæ clementiæ documenta dedisse, ut Majestatem ejus, dum spiritus hos reget artus, etsi longe ab ipso divisus, in exteris etiam oris nunquam non sim veneraturus.

z) *Quum viginti millia nummorum prior speciminis editio promiserit, affirmare possum me nunc quarta parte istum numerum superaturum,* Morell. p. 9. specim. edit. Lipsiens.

a) aliquoties centena, Tenzelius l. c. Nachdem aber etliche hundert Kupffer-Blatten schon gestochen/ so würden die Gelahrten schon Satisfaction haben/ wenn dieselben nur abgedruckt und zusammen edirt würden/ obgleich keine Auslegung dabey ist/ die ein jeder nach seinem Gout selbst machen kan und mag.

vit anno 1703. b) cum novam Conſularium nummorum editionem, Patinianæ haud abſimilem, ſed accuratiorem & auctiorem urgeret, quæ & ipſa acerbo hominis fato intercepta eſt. Cæterum ſi quæ Morellii picturæ in Germanicis gazis deliteſcunt, has nemini magnopere profuturas conjicimus, niſi qui in veteribus nummis aſſidua contrectatione exercitus fuerit, ac peritiſſimo Chalcographo uſus fuerit, qualem fuiſſe *Ertingerum*, Helvetium, ante paucos annos experti ſumus: idcirco enim omiſſam nummorum Imperatorum ſcalpturam teſtatus eſt vir doctiſſimus, quod eos, dextra manu captus, deliniare nequiret. Laudatam epiſtolam c) in *Electis Rei Nummariæ* Hamburgi editis anno 1709. leges, ſi voles, nec operam male collocaveris; eruditiſſima enim eſt; plurimaſque in nummos Conſulares obſervationes Morellius in eam congeſſit.

CL. JOANNES DU BOS.

Joannes du Bos, d) novam Gordianorum hiſtoriam ante viginti annos, & quod excurrit, Gallico ſermone ſcriptam edidit;

Hiſtoire des quatre Gordiens, prouvée & illuſtrée per les Medailles. Paris 1695. in 12.

in qua Gordianos quatuor ſtatuit, duos ex his Africanos; tertium Africani Jun. filium, quem Cæſarem tantum fuiſſe, & eodem tempore, quo patrem & avum periiſſe conjecit; quartum, qui Pius dicitur, ac primum Cæſar, deinde Auguſtus fuit. Virum doctum in errorem impulit Capitolinus, * dum ſcripſit de Gordiani Pii parentibus non conſtare; pleroſque enim hunc Gordiani ſenis filia natum; alios, atque in his Dexippum, alterius Africani filium fuiſſe teſtari: ſcil. cum aut veteres, & Gordiano Pio coævos ſcriptores cæcutiiſſe in ſuorum temporum hiſtoria, aut in his exſcribendis Capitolinum erraſſe oporteret; hoc, quod benignius videbatur, ſecutus eſt; & è duobus Cæſaribus, quorum unus Africano Jun. alter Metia Fauſtina natus erat, unum Gordianum de cujus parentibus hiſtorici inter ſe turpiſſime diſſentirent, conflatum

b) Arnſtadii, 10 April. apoplexia correptus.

c) Morellii Epiſtola de nummis conſularibus ad Perizonium prodierat ſeparatim in 4. A. 1701. De Perizonii reſponſime dixi ſupra ad num. CII.

d) Johannes Baptiſta du Bos. * Capitolin. in Gordian. c. 22.

flatum ab hoc fuisse existimavit. Verum quid de ea opinione sentiendum sit; simul quam verum sit, quod ibidem legitur, Gordianum Cæsarem in nummis à Pio diversum videri, non Gallandius solum *e*) ostendit in Epistola Callica:

Lettre touchant l' Histoire des quatre Gordiens, Paris 1696. in 12.

verum etiam Cl. vir Gisbertus Cuperus in

Historia trium Gordianorum ex Numismatibus. Daventriæ 1697. 8.

nec mulrum profuit Erud. viro opinionem suam propugnasse in libro inscripto:

Pro quatuor Gordianorum historia Vindiciæ. Paris 1700, in 12.

nisi quod hinc apparuit, quantum in bona causa potuisset, qui tantum potuerit in mala. Ejusdem *f*) tom. x. Antiq. Rom. breves sed eruditæ Animadversiones extant ad Nicolai Bergerii libros de Publicis & Militaribus Imperii Romani Viis, quatuor nummis distinctæ, inter quos eum Hadriani nummum qui epigraphem habet TELLUS STABILITA, de siccato lacu Fucino explicat.

CLI. OTTHO SPERLINGIUS.

OTTHONIS SPERLINGII, Dani, *g*) Historiæ & Eloquentiæ Professoris Primarii in Academia Hafniensi, exstat

Ad nummum Furiæ Sabinæ Tranquillinæ Aug. &c. Dissertatio. Amstelædami 1688. in 12.

quæ ita scripta est, ut nihil quod vel Augustæ *h*) ipsius historiam spectaret, vel in nummo expressum esset, inexplanatum reliquerit. Altera ejusdem

Dissertatio de nummis non cusis tam veterum quam recentiorum. Amstelædami 1700. 4.

& ipsa

e) Præter Anton. Gallandium & Gisb. Cuperum, Ezech. Spanhemius quoque diss. XI. de usu numismatum T. 2. edit. novæ p. 243. seq.

f) in Grævii T. X. thesauri p. 623. seq.

g) obiit vir doctissimus Hafniæ A. 1715. 28. Maji, major octogenario.

h) Gordiani tertii uxoris.

& ipsa ad hanc Bibliothecam quadantenus pertinet: *i*) ibi enim versatur in ea quæstione, quam institutorum rei nummariæ scriptores leviter perstringunt, quis monetæ cudendæ auctor fuerit; & veteres nummis non cusis diutius quam hactenus creditum sit, usos in commerciis fuisse, demonstrat aut saltem demonstrare conatur vir doctus, variis & multiplicibus argumentis quæ nunc recensendi otium non est.

CLII. PETRUS BURMANNUS.

Petri Burmanni *k*) Dissertationem, quæ hunc titulum præfert:

ΖΕΥΣ ΚΑΤΑΙΒΑΤΗΣ *in Cyrrhestarum Nummis*. Trajecti Batav. 1700. 4.

indicasse suffecerit; quo namque in argumento versatus sit, ex ipso titulo intelligitur; quod argumentum ejusmodi est, ut ipsum per se lectores alliciat, de eoque breviter, nisi obscure dici non possit.

CLIII. GISBERTUS CUPERUS.

Gisberrus Cuperus, Daventriæ Consul, & noster in Regia Inscriptionum Academia Collega, quem nuper *l*) amisimus, tam eruditione, quam natalibus, ac muneribus publicis quæ obiit; clarus, varia edidit

i) Exstat etiam ejusdem Sperlingii Epistola ad Rev. virum Jacobum à Mellen de nummorum bracteatorum & cavorum nostræ ac superioris ætatis origine & progressu. Lubec. 1700. 4. in qua disputat Lotharium secundum fuisse qui primus bracteatos in Germaniam introduxerit: licet aliud persvasum clarissimo viro Jo. Christophoro Oleario, qui longe antiquiorem bracteatorum usum, neque Anglis illum in acceptis referendum ostendit.

k) Clarissimus Burmannus in Trajectina nuper Grævii, hodie in Leidensi Academia Perizonii successor dignissimus, isto in scripto, quod ill. Cupero dedicavit, confutandam sibi sumsit *Eduardi Holtheni* sententiam, cui ζεὺς καταιβάτης est *Jupiter* non *fulgurator*, ut recte Vaillantius & alii, sed *descensor* sive *è cœlo delapsus*. Holtheni Epistola ad Erudit. Grævium de eodem nummo exstat in Neocori Bibl. novorum librorum A. 1699. p. 345.

l) A. 1716. mense Decembri. Ex ejusdem illustris Viri scriptis quoq; huc pertinet ejus Harpocrates, sive explicatio imagunculæ per antiquæ,

dit opuſcula, in quibus quanti nummos faceret, oſtendit: ſingula quibus annis prodierint, indicabimus.

Obſervationum libri IV. Ultrajecti 1670. & Daventriæ 1678. in 8.

in iis, ut ipſe in titulo monuit, multi auctorum loci, qua explicantur, qua emendantur, varii ritus eruuntur, & nummi elegantiſſimi illuſtrantur.

Apotheoſis vel Conſecratio Homeri. Amſtelod. 1683. 4.

ad calcem additæ decem de totidem nummis Græcis ac Romanis diſſertatiunculæ, quæ habent quiddam novi: necnon Oratio qua demonſtratur utilitas, quam Principes ex nummis capere poſſunt.

Monumenta antiqua inedita. Trajecti ad Rhen. 1687. 4.

illic tria exhibentur ac illuſtrantur Græca numiſmata rariſſima.

Hiſtoria trium Gordianorum ex Numiſmatibus. Daventriæ 1697. 8.

in ea viri docti, *m*) de quo ſuperius locuti ſumus, opinionem, quatuor fuiſſe Gordianos, refellit. Poſtremo ejus ſunt Epiſtolæ undecim ad Zachariam Goëſium, *n*) de quibus infra dicturi ſumus.

CLIV. JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS, Naumburgenſis Saxo, inter viros doctiſſimos locum ſibi vindicat, vel ob Theſaurum Antiquitatum Romanarum, qui duodecim in folio voluminibus complectitur doctorum virorum, qui rem Romanam illuſtrare conati ſunt, opera omnia, cum elegantiſſime edita, tum etiam nummis, ubi res tulit, diſtincta: in ſingulorum enim voluminum præfatione, quæ à ſcriptoribus quorum editionem accurabat, minus recte tradita erant, bene multa emendavit Grævius, & quidem tam candide quam erudite, nec quod aliis in ſimili

R argumento

antiquæ, quæ in figuram Harpocratis formata repræſentat Solem. Nam & in hoc nummi quidam illuſtrantur & in ſubjunctis ibidem Monumentis antiquis. Trajecti 1694. 4. Idem quoque ad prælum paravit opus de nummis in quibus expreſſi elephanti, quod propediem viſurum lucem ſperamus.

m) Joannis Baptiſtæ du Bos de quo num. CL.

n) Goetzium, de quo num. CXCV.

mento accidere solet, ex aliorum contumelia gloriam quæsivit; sed veris laudibus ita omnes ornavit, ut omnium laudes collegerit, ac sibi merito jure asseruerit. Atqui singula opera quæ numismatibus distincta sunt, cum suis locis descripserimus, hic iterum recensere inutile & odiosum foret: quamobrem suffecerit monuisse, ab eodem Grævio *o*) Amstelodami anno 1679. editos in 8. fuisse XII. Suetonii Cæsares cum eruditissimis notis, ac singulis Cæsaribus præfixam fuisse æneam tabellam, *p*) cui insculpta est eorum effigies, cum rarissimorum nummorum aversis partibus, iis præsertim, quæ Cæsarum uxores, liberos, agnatos, cognatosve exhibent. Obiit Grævius Ultrajecti anno 1703. die 11 Januarii.

CLV. JACOBUS GRONOVIUS

Grævio non minus eruditus Jacobus Gronovius, *q*) Joannis Friderici filius, Græcæ linguæ, Historiarum & Eloquentiæ Professor in Academia Lugduno Batava, quiddam etiam amplius præstitit in duodecim voluminibus Antiquitatum Græcarum, quæ ejus cura prodiere Lugduni Batavorum: tria enim prima volumina, *r*) quæ titulum hunc præferunt,

1. *Thesaurus Græcæ Antiquitatis reparatæ & digestæ ab Jacobo Gronovio.* Lugduni Batav. 1697. & 1698. fol.

singulis foliis exhibent, ut plurimum ex nummis antiquis, interdum ex marmo-

o) Florum quoque, numismatum & veterum monumentorum iconibus illustratum vulgavit Grævius Ultraject. 1680. 8. & additis variorum notis. Amst. 1702. 8.

p) exemplo Pitisci, de quo infra num. CLVI. At in novissima Svetonii Græviani editione notis variorum illustrata, Ultraj. 1703. 4. loco tabellarum illarum numismatis insignium, exstat Caroli Patini comentarius qui ex numorum veterum penu Cæsares Svetonii singulari studio illustravit, ut dictum ad num. CVII. 5.

q) obiit A. 1716. 19. Octobr. annos natus LXXI.

r) Nonnulla in illis reprehendit & suas nummorum quorundam interpretationes adversus Gronovium tueri studuit Laur. Begerus in edito sub Dulodori nomine Colloquio de quo infra, num. CLXII. 12.

marmoribus & gemmis, virorum ac feminarum illustrium effigies eleganti∫∫ime in æs inci∫as, prætereaque oratio quam ∫ingulis tabulis ∫ubjunxit Gronovius, numi∫matibus quæ ad idem argumentum pertinerent non raro distincta est. Sunt etiam legenda quædam de nummis in quibus Amphitrite ∫culpta est in ∫exti voluminis præfatione, in qua etiam Sponium & Chaillovium gravi∫∫ime pecca∫∫e, dum nummos Melitensium explicare conati ∫unt, demonstravit Gronovius, ∫imulque eos nummos, in ænea tabella inci∫os, ∫olerter explanavit. Eju∫dem Gronovii cura prodiere

2. *Pomponii Melæ libri tres de ∫itu Orbis, nummis antiquis & notis illustrati.* Lugduni Batav. 1696. 8.

quem librum hic ob unum fere titulum exhibemus; nummi enim in eo perpauci ∫unt, nullis notis illustrati, ∫ed Pomponio ip∫i velut a∫∫uti; quos Gronovius idcirco ∫e adduxi∫∫e profitetur, ut *quod* lector *verbis auctoris de∫criptum animo percurreret, oculorum pariter delectatione in eo frueretur, aut planius hinc intelligeret, aut etiam rideret.*

CLVI. SAMUEL PITISCUS.

Hic etiam memorandus est, qui Antiquitatum Dictionarium utili∫∫imum nuper *s*) edidit; vir docti∫∫imus SAMUEL PITISCUS, quanquam non illo nomine, ∫ed ob *t*) *Sexti Aureli Victoris Historiæ Romanæ breviarium*, ∫eu verius ob utriu∫que Victoris opera, & librum in∫criptum *Origo Gentis Romanæ*, quæ ∫imul prodire curavit Trajecti ad Rhenum 1696. 4. Illic ∫cil. omnium Principum, qui ab utroque Victore enumerantur, effigies è nummis expre∫∫æ comparent, cum aliquot Illustrium virorum effigiebus; additaque est tabella, quæ novem exhibet aver∫as nummorum partes ad Romanæ urbis originem ∫pectantes.

CLVII. GOTH. GUILIELMUS LEIBNITZ.

Edita est primum in Eccardi *u*) excerptis men∫truis, deinde in Electis

s) A. 1713. cum jam quinque annis major e∫∫et ∫eptuagenario.

t) Merebat etiam memorari Svetonius eju∫dem Piti∫ci cura luculenter illustratus, notis elaborati∫∫imis, & præmi∫∫a ∫ingulis Imperatorum vitis tabula numi∫matum, Trajecti 1690. 8. duobus Volum. & Franequeræ 1713. 4.

u) Jo. Georgius Eccardus V. C. auctor Diarii Hanoverani quod in∫cri-

ctis rei Nummariæ Christophori Woltereck, x) Dissertatio de nummis in quibus hinc Gratianus AUG G AUG. dicitur, inde commendatur GLORIA NOVI SÆCULI, ab eruditissimo viro GOTH. GUILIELMO LEIBNITZ conscripta. In ea Dissertatione, quæ sit literarum AUG G AUG. explicatio, vir doctus anxie quæsivit, & opinionem Cl. Harduini y) qui legerat *Augusti Gener Augustus*, ita oppugnavit, ut ab ea tandem se non alienissimum esse profiteretur: verum inde colligi posse, fuisse alterum Gratianum non Valentiniani filium, sed alterius Augusti generum, firmissime negavit. Quod vero ad aversam nummorum partem spectat, eam de primis centenariæ periodi annis intelligendam non esse demonstravit, duplici usus argumento: primo, de tempore intra quod sæculum circumscribendum foret, non constitisse inter veteres; altero, varie acceptam fuisse *sæculi* vocem. Cætera in pereleganti dissertatione legas censeo.

CLVIII ANTONIUS PAGI.

ANTONIUS PAGI, Rognis oppidulo Provinciæ natus anno 1624. & Minorum Conventualium ordini adscriptus anno 1641. magnam sibi famam comparavit opere inscripto,

Dissertatio Hypatica, seu de Consulatibus Cæsareis. Lugduni 1682. 4. z)

cum enim omnes hactenus in ea opinione versarentur, Consulatum à Principibus pro libidine capessitum fuisse; ecce tibi de improviso ille advenit, qui nova quadam lege eos constringeret, quam legem illi omnes,

inscribitur monatlicher Auszug aus allerhand neu heraus gegebenen nützlichen und artigen Büchern. In illo A. 1701. mense Augusto p. 95. hæc illustris Leibnitii Epistola legitur; qui vir summus diem obiit Hanoveræ A. 1716. 14. Novembr. x) p. 308. seq.

y) Harduin. de nummis sæculi Constantin. p. 419. Opp. select. Conferendæ etiam memoriæ literariæ Dombenses A. 1701. mense Jan. & Febr. p. 73. & Jul. atque August. pag. 101. 106. seq. edit. Amstelod.

z) Hanc dissertationem adversus objectiones quasdam defendit Pagius in alia brevi diss. quæ A. 1686. separatim edita atque integra etiam inserta est Ephemeridibus Parisiensibus illius Anni p. 462-482. edit. Amstelod.

nes, præter unum Elagabalum, sanctissime, ut ipsi quidem videtur, observarunt. Atqui legis illius capita recensere non est magis nostri instituti, quam cæteras doctissimi viri observationes de Consulatibus ordinariis, suffectis, honorariis; de Imperio Aureliani, de ludis Sæcularibus, &c. præsertim cum eas quæstiones ita tractaverit, ut nondum intellexisse videretur, quæ esset nummorum utilitas in restituenda historia. Sed ne in eo quidem opere quo Baronii Annales emendavit, ut diu immoremur opus est: nam primum ejus volumen, quod solum ad nos pertinet, ediderat Pagius Aureliæ Parisiorum anno 1689. * sed cum in illo Henrici Spondani, quam Baronii ordinem sequi maluisset, consilium mutaverat in sequentibus voluminibus, ipsumque volumen primum recudere aggressus, mortalitate interceptus fuerat mense Junio anni 1699. Quamobrem patrui schedas magno studio collegit Franciscus Pagi, ejusdem ordinis, earumque ope primum tomum *a*) non sarritum solum, sed etiam novis incrementis auctum edidit:

Critica Historico-Chronologica in universos Annales Ecclesiasticos Em. & Rev. Cæsaris Cardinalis Baronii. Antuerpiæ 1705. fol.

Atqui Annales illic frequenter è nummis restitutos animadvertas; & quidem felicius quam ab ullo factum antea fuerat: sed cum nummos Imperatorum Pagius nullos fere nosset, nisi qui aut à Mediobarbo & Occone descripti, aut cum eo communicati per literas ab amicis fuerant; hinc factum est, ut principia quædam non satis explorata posuerit, aut ab aliis posita receperit: prætereaque sibi ipse non satis constitisse videtur, dum aliquoties nummorum authoritatem cæteris omnibus veteris ævi monumentis, interdum nummis quidvis aliud præfert.

CLIX. JOANNES FOY-VAILLANT.

De JOANNE FOY-VAILLANT, Bellovaco, Medico, & Ser. Cenomanensium Ducis Antiquario, **) omnes ita sentiunt, neminem vel nostra

*) fol. *a*) una cum tribus tomis insequentibus, è quibus ultimus sive quartus, perinde ut quem Criticæ suæ subjicit, Baronius desinit in A. C. 1198.

** In titulo libri de Seleucidarum Imperio, Regis se Antiquarium appellat. In aliorum scriptorum suorum fronte Antiquarium Serenissimi Ducis Cenomanensis.

noſtra vel patrum ætate extitiſſe qui genuina Numiſmata ab adulterinis aut adulteratis, eruditioribus oculis diſcerneret; eundem his artibus quæ in Antiquario requiruntur, ſatis inſtructum, ad illa enarranda acceſſiſſe plerique negant: ſed utut in aliquot operibus indiligentior fuerit, alia ſunt in quibus nec induſtriam, nec eruditionem, nec elegantiam denique requiras. Ejuſmodi eſſe mihi videtur

1. *Seleucidarum Imperium, ſive Hiſtoria Regum Syriæ ad fidem Numiſmatum accommodata.* Luteciæ Pariſ. 1681. 4.

illic enim ſeries Numiſmatum ex auro, argento & ære, in quibus Regum Syriæ à Seleuco Nicatore ad Antiochum Epiphanem Nicatorem Callinicum expreſſi vultus plucherrime ordinata viſitur, arduum profecto & multi laboris opus, cujus inchoati & conſummati laus ad Vaillantium tota pertinet. Ita porro digeſtum eſt, *b)* ut rerum à ſingulis Regibus geſtarum narrationem ænea tabella eorum imagine cælata præcedat, eandem ſequantur Numiſmata in ære ſcalpta, deſcripta & diligenter expoſita.

Non minus nobiles quos idem Vaillantius confecit rerum Ægyptiarum ſub Ptolemæis Regibus Commentarii:

2. *Hiſtoria Ptolemæorum Ægypti Regum, ad fidem Numiſmatum accommodata.* Amſtelædami 1701. fol. *c)*

quo in Opere, cum idem facere inſtituerit, quod ante viginti annos in Regibus Syriæ præſtiterat, nihil opus diutius immoremur; ſed monere jam

b) præmiſſum operi ſtemma Seleucidarum, & Canon Chronologicus Regum Syriæ à Seleuco Nicatore usque ad regnum Syriæ in provinciam à Romanis redactum A. C. 63.

c) Utramque & illam Seleucidarum & hanc Ægypti Regum ex nummis ſeriem egregie illuſtrat Ez. Spanhemius diſſ. VII. de præſtantia & uſu numiſmatum edit. Lond. qui Vaillantium vel eo nomine, ſi non aliunde id præſtitiſſet, inſigniter de Hiſtoria veteri & hiſce Antiquitatibus meritum agnoſcit p. 403. Etiam huic Vaillantii operi Stemma Lagidarum præmittitur una cum Canone Chronologico Regum Ægypti à tempore ſatrapiæ illius Ptolomæo Lagi aſſignatæ à Perdicca Olymp. CXIV. 2. usque ad Alexandriam à Cæſare captam Olymp. CLXXXVII. 3. ante Chriſtum natum XXVIII.

jam debueramus, in his duobus libris Numiſmata omnia ſua quæque magnitudine excuſa fuiſſe, hiſque additas notas quæ eorum metallum indicarent. Ægypti Regum Hiſtoriæ appendix duplex ſubjuncta eſt; prima brevior conſtat explicatione numiſmatis Ægyptiaci Cæſari Auguſto cuſi, quod Cæſarioni tributum olim fuerat: altera titulum hunc præfert:

3. *Ægyptus Numiſmatica ex Imperatoribus Romanis deſumpta ordine alphabetico;*

& undetriginta nummorum à totidem Ægypti oppidis, poſtquam Provincia Populi Romani facta eſt, cuſorum averſas partes ære expreſſas complectitur, cum integra eorum deſcriptione & perbrevi expoſitione. Quæ ad ſingularum urbium originem, ſitum & varios caſus ſpectant, illic etiam breviter attinguntur.

Quam porro ex his operibus collegit Vaillantius eruditi ac diligentis Antiqnarii exiſtimationem, hanc profecto retinuit libro quem inſcripſit:

4. *Nummi Antiqui Familiarum Romanarum perpetuis interpretationibus illuſtrati.* Amſtelædami 1703. 2. vol. fol.

quid enim in hoc magnopere diſiderare poſſint doctiores, non video; in quo nummi prope infiniti in centum ac duabus æneis tabulis incertum accuratius, an elegantius ſcalpti cernuntur; in ſingulorum vero interpretatione nihil prætermiſſum eſt, quo vel Familiarum decora in memoriam reduci, vel cætera veteris ævi monumenta in nummis expreſſa illuſtrari poſſint. Non omittendum tamen utiliorem, & commodis lectorum aptiorem futurum fuiſſe librum, ſi tabulæ Numiſmatum in ſua quæque loca diſtributæ, hoc eſt, ſuæ enarrationi præfixæ fuiſſent; quas nunc in fronte operis inſimul collectas vidimus: nec in eo ſolum ab Urſino deſcivit; *d*) in Numiſmatibus enim ſingularum Familiarum diſponendis, prænominum ordinem ſecutus eſt, cum temporum ille ſecutus eſſet.

In

d) Aliquot etiam familias prætermiſiſſe Vaillantium, quarum apud Patinum fit mentio, notatur in Actis Eruditor. A. 1704. p. 407. De Urſino, Goltzio, Patino, qui ante Vaillantium familias Romanas ex nummis illuſtraverant, dictum ſupra, num. XVIII. XIV. & CVII.

In Nummis Imperatorum Romanorum Vaillantius haud paulo indiligentior fuit, forte quia cæteris illuſtriores & magis noti erant; ita enim nonnulli ſentiunt, ſed ut magis exiſtimo, quia diligentior eſſe non potuit: horum ſeriei titulum hunc præfixit

5. *Numiſmata Imperatorum Romanorum præſtantiora à Julio Cæſare ad Poſtumum & Tyrannos. Edito altera. e*) Lutetiæ Pariſ. 1692. 4. 2. vol.

Primum volumen Numiſmata ærea complectitur, alterum aurea & argenta: æreorum tres velut claſſes conſtituit Vaillantins; ea quidem quæ ad primam & mediam magnitudinem revocari poſſe viſa ſunt, ſimul collecta exhibet; ſeparatim quæ maxima vocantur: horum porro deſcriptio non admodum accurata, illorum etiam manca & mutila; adverſam enim nummorum partem plerumque prætermiſit; quod neceſſarie magis quam conſulto factum ab illo fuiſſe arbitror, cum pleraque Europæ Muſea raptim ac trepide colluſtraſſet, plurimaque Numiſmata non per otium, & dum ante oculos jacebant, ſed memoriter domum reverſus deſcripſiſſet: itaque non pauca reperies quæ negotium tibi exhibere poterunt, qualia ſunt quæ Titum *f*) Antoninum TR P XX & TR P XXI. in tertio Conſulatu, Commodum in ſexto TR P XIIII. appellant; cum ille Conſul quartum anno Tribunitiæ poteſtatis ſeptimo fuerit, hic ſextum conſulatum anno decimo quinto demum auſpicatus ſit: alia ſunt etiam quorum Vaillantium meminiſſe non potuiſſe apparet, quale eſt illud ejuſdem Pii BRITANNIA P M TR P. &c. cum in memoriam non rediſſet cæterarum literarum quas in nummo legerat. Cæterum nullas omnino notas maximis Numiſmatibus adjunxit Vaillantius, eæ vero quas affixit Numiſmatibus primæ & mediæ magnitudinis, ejuſmodi ſunt

di ſunt

e) prima editio A. 1674. 4. Pariſiis excuſa eſt in quo ſubinde auctor monuit ubi nummi ſinguli illo tempore cum ſcriberet vel illos luſtraſſet, aſſervabantur. Etiam tertiæ editionis A. 1694. 4. mentio in Actis Erud. A. 1695. p. 186. ubi Vaillantius, quo pleniorem & exactiorem poſſet veterum nummorum Lectoribus ſuis notitiam tradere, nulli labori nec tempori, nullis denique ſumptibus peperciſſe traditur. Italiam peragraſſe duodecies, ipſam Siciliam Græciamque adiiſſe, incredibili genuina conquirendi numiſmata ardore concitatum.

f) *Pium.*

di ſunt, Numiſmatopolis magis, quam viris doctis conſulere voluiſſe videatur; nihil aliud enim quam ſingulorum formam & raritatem in his indicat; in qua hunc non raro falli & fallere deprehendimus.

Numiſmata aurea & argentea quibus alterum volumen conſtat, non accuratius quidem deſcripta, obſervationibus tamen non contemnendis illuſtrata ſunt; horum ſeries in Corn. Supera deſinit, quam Vaillantius Valeriano Jun. nuptum collocarat. Non omittendum ſingulorum Imperatorum, Cæſarum, &c. in utroque volumine nummum unum in ære cælatum exhiberi: nec tacendum etiam, quod imprudenti excidiſſe forte quis exiſtimaverit; collectiones haſce Numiſmatum editas olim à Vaillantio fuiſſe; ſed in iis deſiderari Numiſmata maxima tam ex ære quam ex argento, omiſſos etiam Quinarios: quod vero tum inſtituerat, appellare eos è quorum cimeliis ſingula Numiſmata prodibant, in altera editione omiſit, nec immerito ſane, cum in prima ſæpicule turbaſſet, mendæque ejuſmodi non aliter eximi poſſe viderentur, quam totum hoc quicquid erat delendo. Tertium volumen, quod nummorum ex omnibus metallis ſeriem ad Heraclium uſque producturum erat, pollicitus Vaillantius; ſed hominum expectationem fefellit.

Alteram ſeriem Numiſmatum maximi moduli, eorum ſcil. quæ in Muſeo Abbatis de Camps *g)* aſſervantur, poſt duos annos edidit Vaillantius, plane elegantiſſimam, nec eruditis notis ſolum, ſed accuratiſſimis etiam cælaturis inſignem: hæc in Auguſto incipit, & deſinit in Decentio Magnentii fratre, conſtatque ex nummis qua Latinis qua Græcis prope centum & quinquaginta:

6. *Selectiora Numiſmata in ære maximi moduli, è Muſeo Ill. DD. Franciſci de Camps, &c.* Pariſiis 1694. 4.

Digniſſimum etiam Vaillantii fama opus quod inſcripſit,

7. *Numiſmata ærea Imperatorum, Auguſtarum, & Cæſarum, in Coloniis, Municipiis, Urbibus Jure Latio donatis, ex omni modulo percuſſa.* Pariſiis 1688. 2. vol.

hic enim Numiſmata quotquot reperire potuit in Coloniis cuſa à Julio Cæſare

S

g) Franciſci de Camps, Abbatis S. Marcelli & B. Mariæ de Siniaco. Vide ſupra, ad num. CXXIII.

Cæſare ad Saloniam *b)* uſque repræſentavit, & ſingulorum quidem Imperatorum effigiem ſemel, averſas partes ad unam omnes ære exprimi curavit, notaſque adjecit quæ cujuſque urbis ſitum, varia cognomina, & jura explicent: ſubjuncta etiam Auguſtorum imagini enumeratio urbium in quas Colonias deduci juſſerunt.

Reſtat ut de Numiſmatibus Græcis ab eodem Vaillantio editis mentionem faciamus, cujus duæ editiones intra breve tempus prodierunt, ſed prima in 4. altera longe auctior in fol.

8. *Numiſmata Imperatorum, Auguſtarum, & Cæſarum à Populis Romanæ ditionis Græce loquentibus, ex omni modulo percuſſa, &c. Editio altera i) &c. ſeptingentis Nummis aucta &c.* Amſtelædami 1700. fol.

Hoc in opere gravirer peccatum à ſe Vaillantius ipſe non diſſimulabat, quod Numiſmatum nonniſi averſam partem deſcripſiſſet; commodius enim futurum fuiſſe, ſi rationem effigiei habuiſſet; & ſane nummos aliquot alii Imperatori quam ad quem pertinent, adſcriptos ipſi deprehendimus. Unius tantum nummi cælatura, eaque paulo rudior, cæteris cujuſque Imperatoris Nummorum deſcriptionibus præfixa eſt; additæ ad calcem tabulæ aliquot, *) expreſſæ ex æneis laminis quas Carolus Patinus ad Numiſmata mediæ & minimæ formæ, & Jacobus de Wilde ad Numiſmata ſelecta ſcalpi curaverant. Notæ in univerſo opere nullæ, ſed earum vicem ſubeunt Indices accurati, primus alphabeticus, alter Metropoleon, tertius urbium primatu inſignum; quartus & ſequentes urbium ſacrarum, earum quæ Aſyli jure gaudebant, item quæ legibus ſuis utebantur, ſeparatim primo, deinde conjunctim: Urbium Liberarum, Navarchidum, Neocorarum: item earum quæ concordia junctæ erant; explicantur etiam urbium epochæ, ſi quæ in Nummis ſignantur: poſtremo earum Numina, conditores, viri illuſtres, Magiſtratus & dignitates, Feſta & Certamina, denique fluvii recenſen-

b) Gallieni uxorem. Huic de Coloniis operi oppoſitus Jo. Harduini antirrheticus, de quo infra, CLXXXII. 7.

i) Prior lucem viderat Pariſ. 1698. 4. de qua conſule Lud. Kuſteri Bibliothecam novorum librorum illo anno editam Trajecti ad Rhenum p. 784.

*) nummorum circiter CCXL.

censentur: adjectus Index urbium Imperatorum nominibus insignium: nec omissa explicatio literarum singularium, vocum per compendium scriptarum *k*) & Notarum Numeralium quæ in Nummis occurrunt.

Extant etiam Vaillantii notæ & observationes ad Selecta P. Seguini Numismata, anno 1684. una cum iis editæ; de quibus notis suo loco *l*) diximus: atque hæc ferme sunt quæ ipsius cura in publicum prodiere', nisi quod in diariis Trivultianis mense Aprili 1702. edita est Oratio, *m*) in qua demonstrare volebat comparationem inter Trajanum & Ludovicum Magnum institui posse, simulque illius Principis res bello ac pace gestas enarrabat, firmabatque autoritate nummorum veterum. Aliæ vero sunt ejusdem Dissertationes postumæ, quæ nuper in Monumentis Regiæ Inscriptionum Academiæ *n*) publicatæ sunt.

Prima, de ratione annum quo Christus Dominus natus est, ex nummis investigandi: Christum paulo ante Herodis mortem natum esse constat; atqui Herodes periit anno V. C. 750 ergo extremo anni 749. natus est Christus. Sic Vaillantius, qui deinde mortis Herodis annum recte consignatum à se fuisse demonstrare conatus est ex Epocha quæ descripta est in nummis Antiochiæ, ac præterea ex annis Archelai, & Herodis Antipæ.

Altera est de Urbibus Neocoris, in qua varias cum de ipso titulo, tum de ejus multiplicatione eruditorum virorum opiniones accurate collegit.

Tertia de nummo Zenobiæ inter rudera Palmyræ urbis reperto, quem

k) Hunc indicem de notis Græcorum numismatum, decimo tanto auxit jam supra laudatus mihi Christophorus Woltereck, quem in lucem prolatum iri spero cum opere ejus longe etiam quam est Ursati uberiore de notis Latinis numorum & Inscriptionum veterum. *l*) num. LXXXVIII.

m) *Discours sur une Medaille de l'Empereur Trajan.* Mem. de Trevoux 1702. p. 294. edit. Amst.

n) Titulus libri: *Memoires de litterature tirez des Registres de l'Academie Royale des Inscriptions & belles lettres depuis le renouvellement de cette Academie jusque'en 1710.* Paris, 1717. 4. duobus Volum. Vaillantii dissertationes universæ quatuor tomo posteriore leguntur.

quem inter Addendos * retulimus. Zenobiæ vitam hic deſcripſit Vaillantius, qualem potuit auctoribus deſtitutus.

Quarta de nummis Vabalathi plane ſingularis eſt, novamque exhibet illius Principis hiſtoriam; ille enim, ſi Vaillantium audis, non filius Zenobiæ fuit, ſed acerrimus hoſtis; cum Ægyptum poſt Odenathi cædem occupaſſet, conſilia conſociavit cum Gallieno, cujus Ducem Heraclianum fudit ac fugavit Zenobia; copias deinde ſuas junxit cum Aureliani copiis, à quo Palmyram recepit, & quandiu ille vixit, *Vice Cæſaris Rector Imperii Orientis fuit*; poſt mortem denique Aureliani, Auguſti titulum ſumpſit. Præclaram profecto hiſtoriam, ſi argumentis firmetur, quæ quidem argumenta ſi protulit vir doctus, cæcutire nos neceſſe eſt qui ea non deprehenderimus, ſi non protulit, fruſtra expectaverimus. Obiit Pariſiis Vaillantius die 23. Octobris anno 1706. *o*)

Haud omittendum eſt, quod de Vaillantii Schedis hac in urbe ſervatis didicimus; primum enim in Bibliotheca viri eruditi Alexandri le Roy Occonis liber extat, in quem addita ſunt Vaillantii manu numiſmata Græca integra haud pauca in foliis à libro disjunctis, prætereaque ſi quid ab Occone in iis nummis quos exhibuit, peccatum ſit, id in ipſo libro reſtituit Vaillantius: deinde vero apud alterum virum eruditum viſuntur plurimorum nummorum qua Romanorum, qua Græcorum deſcriptiones è variis Italiæ Muſeis, quibus ita uſus eſt vir doctus ad editionem Numiſmatum Selectorum & Græcorum, ut nonnulla, incertum qua de cauſa prætermiſerit, quæ in illis adverſariis cernere juvit

CLX. EUCHARIUS GOTTLIEB RINK.

De Eucharii Gottlieb Rink, Juris Profeſſoris in Academia Altdorfenſi, opere quod inſcripſit,

De Veteris Numiſmatis potentia & qualitate lucubratio: ſive Cognitio

* Bandurius T. 1. numiſm. Impp. p. 547.

o) Non diu poſt, nimirum A. 1708. 17. Nov. defunctus etiam eſt filius Jo. Franciſcus Foy Vaillant, cujus diſſertatio de Diis Cabiris exſtat, & quem Pater continuatorem perfectoremq; ſcriptis ſuis, atque operibus nummariis exoptaverat. Vide Diarium Trivultinum A. 1709. menſe Auguſto p. 1393.

Cognitio totius Rei Nummariæ ad intelligentiam Juris accommodata. Lipsiæ & Francofurti 1701. 4.

pluribus verbis idcirco dicemus, quod ad hanc ætatem nemo tanta diligentia, quæ ad nummorum veterum cognitionem perfectam faciunt, quanta eruditus ille Germanus conquisivit: tametsi enim laudabilis sit plerorumque, qui in eodem argumento versati sunt industria; atque in iis R. P. Joberti opus, de quo brevi *p)* dicemus, ob elegantiam & accurationem satis commendari nequeat; varia tamen velut inutilia ab omnibus, præterquam ac hoc uno prætermissa ac neglecta sunt, quæ ut non admodum necessaria esse libentissime fateor, ita si certa quadam ratione tractentur, plurima in se complecti haud injucunda cognitu, & antiquitatis studiosis utilissima existimo. Igitur primum de nummorum appellationibus disputat, ac de eorum auctore, quem ubi incertum esse fassus est, Græcorum nummorum commendat elegantiam & artificium, eorum materiam & valorem multiplicem, & quæ in iis notatu dignæ sunt literarum figuras & affectiones breviter indicat. Idem deinde præstat in nummis Latinis ex ære, quorum præterea auctorem, & quænam in eis expressa antiquissimis temporibus fuerint symbola aut ænigmata investigat, monetque non unius Jani bifrons caput in nummis occurrere. His observationibus alias admiscet, de variis æris antiqui generibus, ac præsertim de ære Corinthio; mox cæteras viliores è quibus nummi interdum confecti sunt, materias persequens, de assibus scorteis, de nummis stagneis, plumbeis, ferreis, quicquid aut à veteribus proditum, aut à recentioribus animadversum ac notatum est colligit & illustrat: atque hæc omnia capitibus quinque complectitur. In sexto materia tractatur una ex iis, quam cæterorum plerique omisere,

—— —— —— *quæ sit solidæ divisio libræ*

Sive assis. q)

Septimum est de nummis argenteis, hoc est, argento pustulato aut mixto factis, ærosis, incoctilibus, in quibus argentum æri incoctum est; sequenti eorundem valorem docet Rinkius, & denarii, ac libellæ divisionem exequitur: nono vero differit de nummis serratis, de perforatis, de iis quos alii Bracteatos & ferruminatos vocant, ipse Pelliculatos & Incrustatos

p) num. CXCII.
q) Rhemnius Fannius de ponder. & mensur. vers. 41.

cruſtatos appellare mavult, quod conſtant è duobus metallis, quorum unum altero cruſtatum, ut marmore paries, ac veluti pelliculatum eſt. In his quæ ad aureos & electreos nummos ſpectant, haud minus accuratus, quicquid de iis dici poteſt capitibus duobus abſolvit. Deinde has quæſtiones agitat, & obſervationum utiliſſimarum de nummis ſciſſis, de umbinis, quos incuſos dicunt, &c. veluti floribus conſpergit, ad quem pertineat jus condendæ monetæ, qua ratione cuſa olim fuerit, quæ veteris numiſmatis poteſtas, hoc eſt, pretiumne an merx fuerit poſt fata Principis cujus effigiem præfert; quis è nummorum cognitione fructus percipi poſit, quibus denique artibus detegi queant fraudes hominum quorundam, qui incautis vel recentes confictos nummos pro antiquis, vel pro integris adulteratos obtrudunt. Sequuntur vulgaria, ſed quæ omitti non poterant, de quinquepartita numiſmatum Regum, Urbium, Familiarum, Principum Romanorum, Deorum ac Dearum ſerie, ob varias effigies quas præferunt: mox de averſa nummorum parte duobus capitibus diſſeruit Rinkius, & in primo quidem, quod eſt operis XVIII. confuſe & ſine ordine varia congeſſit, quarum ignorationem tyroni nocere poſſe intelligebat: in altero vero plerumque exſcripſit ea, quæ Erud. Jobertus antea monuerat de inſcriptionibus; quæ vel ad privatos ſpectant, & officiorum ſive munerum publicorum cum dignitate conjunctorum mentionem faciunt; vel ad Urbes, & earum nominum, jurium, titulorum honorificorum memoriam ſervant, vel ad Principes, eorumque nomina, prænomina, cognomina, titulos, præclara facinora, beneficia, munificentiæ monumenta, vota pro eorum ſalute ſuſcepta, Deos Deaſve in quorum tutelam ſeſe tradiderunt, indicant. Ex eodem fonte hauſit, quæ capite XX. ſcripſit de Imperatorum, Auguſtarum, Deorum Dearumque ornamentis, coronis, veſtimentis, & de ſymbolis averſarum partium, his ſcil. quæ vel cum figuris conjuncta, vel ſine iis apparent, ſignis Deorum Dearumque, Virtutum, Provinciarum, & animalibus: poſtremo de nummorum veterum pretio diligenter diſſeruit. Utiliſſimo operi ſubjuncta de nummo uno Juridica diſſertatio, quam ad hæcce ſtudia non pertinere facile omnes intelligent: hanc vero ſequuntur indices varii: primus Imperatorum Romanorum, Cæſarum, Auguſtarum, Tyrannorum ex Erud. amici noſtri Baudelot *r)* maximam partem deſcriptus, atque ita confectus, ut omnia ſingulo- rum

r) l'utilité des Voyages p. 696. ſeq.

rum nomina è variis inſcriptionibus collecta ſimul complectatur, ſed haud paucis ſcriptoris erroribus, pluribus typographi mendis deformis: alter vocum per literas ſingulares, aut alioqui per compendium in nummis ſcriptarum: tertius cognominum, quæ uni genti aut familiæ Romanæ propria, vel pluribus communia fuere: quartus Familiarum: quintus denique Numiſmatum à *Joanne Cavino* Patavii olim cælatorum, quorum exemplaria in Muſeo San-Genovefano Pariſiis aſſervantur. Non omiſſa etiam eſt ratio nummorum antiquorum ἐκτυπώματα faciendi, quam Morellius, hanc ab Erud. Joberto edoctus, Specimini ſuo * ſubjunxit.

CLXI. EZECHIEL SPANHEMIUS.

Ezechiel Spanhemius, nobilibus parentibus *s*) natus eſt Aureliæ Allobrogum menſe Decembri anni 1629. In Seren. Electoris Palatini Caroli Ludovici aulam vocatus adhuc adoleſcens, Principis Electoralis mores & ſtudia formavit; deinde in Italiam miſſus, ut Principum Italorum ingenia, & regnandi artes ediſceret, mox variis legationibus ſumma cum laude functus eſt. Anno 1680. ad Ser. Electorem Brandenburgicum, de quo in Britannica legatione optime promeritus fuerat, quique eum ſibi totum relinqui, ſæpe à Ser. Electore Palatino petierat, ſeſe adplicuit, eique utilem operam præſtitit cum intra Regnum ipſum, dum Miniſter, ut ajunt, ſtatus eſſet, tum in duabus Legationibus apud Francorum Regem tam re, quum nomine Magnum Ludovicum XIV. tum etiam in ea quam apud Ser. Britanniæ Inſulæ Reginam Annam obiit. Immatura morte, tametſi fere octogenarius, interiit Londini die 7 Novembris anni 1710. ex cruditate, ut ferunt, ſtomachi. Hoc porro an quisquam melius intellexerit, quantum utilitatis percipi è veterum nummorum

rum

* p. 253. ſeq. edit. Lipſienſ.

s) Patre Frid. Spanhemio, qui Genevæ primum, deinde ab A. 1642. Lugduni Bat. Theologiam docuit, & ibi defunctus eſt A. 1649. Avus Wigandus Spanhemius, Theologus Palatinus, obiit A. 1620. Frater Fridericus, Theologus & ipſe clariſſimus quem ex hac vita conſtat migraſſe Lugduni Batavor. A. 1701. De Ezechielis Spanhemii incomparabilis Viri vita legere plura cupientem juvabit conſulere Bibliothecam ſelectam. V. C. Joannis Clerici Tomo XXII.

rum contrectatione possit nescio. Qui cum Romæ degeret, sæpeque prædicaret, hos multa in sese continere occulta in veterum cæremoniis, in historia nobilissimarum gentium mutila: multa inde educi & elici posse ad morum ac Reipublicæ regendæ normam & leges, ad historiam plantarum & animalium illustrandam spectantia, plurima præterea in iis occurrere ad notitiam temporum, Romanorum fastos, æras variarum gentium; ad urbium & regionum appellationes, origines, prærogativas, sacra, ludos, fœdera, conventus, Magistratus opportuna valde, & unice comparata: multa denique omnigenæ antiquitatis modo expressa & fixa, modo pressa leviter vestigia in iis apparrere, quæ literarum studium non parum promoveant, & quorum ope digitos ad fontes intendere continuo liceat: persuaderi sibi passus est, ut horum omnium specimina quædam peculiari opere exhiberet, statimque effudit Dissertationem

1. *De Præstantia & usu Numismatum Antiquorum.* Romæ 1664. 4.

Hac porto ut omnes superiorum temporum Antiquarios, qui idem argumentum tractaverant, superavit; quorum *Antonius Angustinus t*) Romanos, & patrios tantum nummos illustrandos susceperat, cæteri vix eximium aliquid & singulare præstiterant; ita cum probe intelligeret, omne hoc studiorum genus varietate quadam & comprehensione infinitum esse, toto animo ad idem opus qua ornandum, qua emendandum incubuit; & nonnullis, in quibus humani quiddam passus fuerat, recusis; multis quæ antea perquam breviter præstrinxerat & attigerat, plenius pertractatis; plurimis denique insertis, quæ omnino prætermiserat, novum veluti opus prodire curavit *Amstelodami* anno 1671. in 4. in novem dissertationes tributum, de quibus paulo diligentius dicendum nobis videtur. In *prima* doctissimus vir & acerrimi judicii nummos commendari posse existimat à dignitate & à multiplici voluptate, qua eruditos afficiunt: & eorum quidem dignitatis argumenta profert omni exceptione majora: in his non mutam ferme & mortuam, ut in columnis, statuis, lapidibus, urnis, pateris, fibulis, lampadibus, annulis, tesseris, aliisque veteris vel elegantiæ vel supellectilis monumentis, verum pene spirantem adhuc, aut quodammodo re-

t) in Dialogis de numism. de quibus num. XXIV.

do redivivam sese offerre antiquitatem universam: vix ulla posse reperiri monumenta vetustiora; nulla fuisse certiora æternitatis pignora: Sacram olim ac divinam habitam fuisse Monetam: denique ex quo tempore elegantissimæ quæque artes ac disciplinæ, è situ vetustatis erutæ, nitorem aliquem & cultum admisere, nullam aut candidatos nobiliores, aut patrocinium splendidius consecutam videri: eoque loco, postquam monuit domum Medicæam, æternam Musarum hospitem, quæ humanitatem omnem & eruditionem sinu suo excepit & aluit, primam omnium suam veteribus nummis dignitatem asseruisse; Principes, ac nobiles & claros viros recenset, qui vel colligendis, vel explicandis nummis laudabilem operam impenderunt. Quod ad voluptatem spectat, eam multiplicem & innoxiam ac suavissimam in nummorum contemplatione, vel ipso aspectu prodere sese & ostentare docet Spanhemius; ac primum quidem materiæ pretium & pluchritudinem, plerumque vel sola singulare quoddam habere lenocinium voluptatis; potiores tamen partes sibi vindicare artis commendationem, quæ ut omni elegantiæ genere spectabilis, ita hic quoque singularis, & admiranda frequenter occurrit; superesse enim numismata, quæ plura ostendant verius quam promittant, & de quibus idem dici possit, quod Plinius *u*) de gemmis scribebat, in iis coarctatam esse rerum naturæ majestatem, multis nulla sui parte mirabiliorem. Eandem ex nummis delectationem, tot illustrium virorum imaginibus in iis conspicuis mirum in modum augeri subjungit; alia denique prisci ævi vestigia, quibus numismata insignita sunt, non levi gaudio spectatorem perfundere; sequentibus dissertationibus demonstratur quanta utilitas percipi è nummis possit.

Altera dissertatio duas in partes distributa est, quarum prima circa artem grammaticam versatur, atque hæc ferme continet. Primum, genuinas literarum apud veteres formas & ætates, earum vim & affectiones varias, ipsam vocum scriptionem & proprietatem non aliunde certius, quam è nummis & marmoribus antiquis disci ac deprehendi posse contendit Spanhemius; deinde non unam, ut Salmasius *x*) opinatus fuerat, verum diversam, & pro ætatum discrimine multiplicem literarum Græcarum faciem fuisse demonstrat: item ex frequenti latinæ lin-

u) lib. XXXIV. cap. 8, *x*) ad Inscript. Herodis Attici.

guæ & Græcæ commercio & commixtione, & maxime Romani ſermonis ſimul ac Imperii ſub Cæſaribus amplitudine factum, ut non literæ ſolum, ſed voces integræ Romanorum cum Græcis mixtæ nonnunquam & confuſæ, præſertim in Coloniarum nummis occurrant. Sequitur accurata diſputatio de Digammate Æolico, & Faliſcorum nummo Græco: cui ſubjunctæ ſunt conjecturæ non contemnendæ, veteres Phœnicum literas, quales in aliquot nummis Græcis viſuntur, Hebraicæ aut Chaldaicæ formæ, quam Samaritanæ propiores videri: item à Phœnicibus accepiſſe Siculos & alios quoſdam Græcos, ut dextra ſiniſtram verſus literas nonnunquam ducerent. Suam deinde ſententiam profert eruditiſſimus vir de nummis, quos plerique Hiſpani pro ſignatis Oſcenſibus habent *y*): mox ea quæ in nummis qua Græcis, qua Latinis à recepto & vulgato ſcribendi uſu aliena videntur, illuſtrat, recenſetque varias literas inter ſe olim permutatas, vel ex Scripturæ veteris veſtigiis, vel ex recentioris additamentis, vel ex pronuntiatione literarum ſimilium inter ſe & affinium. Diſputatio concluditur variis exemplis ejus utilitatis quæ ex nummis percipi poteſt, cum ad veram & rectam ſcribendi rationem perdiſcendam, tum ad reſtituenda plurima Barbarorum & Romanorum nomina, quæ antea corrupta apud Auctores tradita erant.

Altera pars ſecundæ Diſſertationis circa morum ſcientiam verſatur; ad quam eruditus vir non parum conferre contendit hos priſcæ memoriæ juxta & elegantiæ theſauros: cum enim præclaris morum magiſtris varia ſemper placuerint ſubſida, quibus ſingulis hominum ordinibus officii ſui leges inſpiciendas traderent, non fabulis eos ſolum, aut præceptis, aut legibus, ſed ſymbolis etiam quibuſdam, nobiliſſimam vitæ artem non ſemel complexos fuiſſe; at nulla ad imbuendos ſalutaribus monitis animos intuentium opportuniora eſſe nummis, præſertim Latinis, in quibus cum ſolemnes matronarum virtutes ac præcipua decora, tum diurnos Principum actus, atque ipſam agendorum normam ante oculos poni, nihilque prætermitti demonſtrat, quo luculenta optimi Principis & Felicis Reipublicæ effigies & exemplar adumbrentur. Addita quædam de variis ſingularum Virtutum ſymbolis.

In

y) Spanhemius partim Punicos, partim & rudiores putat eſſe Gothicos.

In *tertia* Diſſertatione Spanhemius probat, naturali ſcientiæ lumen aliquod è nummis affulgere, ſeu proprietates animalium, ſeu eorundem formas & effigies conſulamus: & in animalium quidem proprietatibus haud multum immoratur, nec aliud ferme niſi indicat, quibus numinibus ſingula olim ſacra, aut quarum rerum ſymbola fuerint; verum de iis animalibus, quorum formæ minus notæ, aut de quibus diſſentiunt priſci & recentiores Naturæ conſulti, ubi ea nummi in conſpectu ponunt, accurate diſputat: de Hippopotamo, Camelo, Rhinocerote, aut Monocerote, Hyæna, Crocodilo, Alce, Capris quas Plinius monuit in plurimas ſimilitudines transfigurari, Arietibus ſylveſtribus, Cerva cornuta, Pantheris, Biſunte, Draconibus & Serpentibus alatis & terreſtribus, Aſpidibus, Delphine, Pelamide, Polypo, Sepia, Cammaro Pompilo, Apro piſce, quæ animalia omnia dum deſcribit, ſimul veteres nummos quamplurimos mirum in modum illuſtrat. Subjunctæ ſunt velut appendices duæ: prima de fabuloſis animalibus, quæ non magis inter Poëtarum figmenta, quam inter Gentilium myſteria locum frequenter habuerunt: de Capricorno, de Sphinge quæ, ſi cum alis pingatur, fabuloſa omnino eſt, verum Simiæ quoddam genus eſt, perinde atque Cebus, * cui multa cum homine, & leone communia ſunt: de Sirene, non in piſcem, ut vulgo, ſed in avem z) deſinente: de Stymphalide ave, quam nonnulli cum Sirene, alii cum Harpyia confundunt: de Scylla, Cerbero, Chimæra, Hydra, Gryphe, Pegaſo, Centauris, & Phœnice æternitatis ſymbolo. Altera appendix eſt de monſtris nonnullis, & animalibus hieroglyphicis.

In *quarta* Diſſertatione oſtenditur, in ornanda Plantarum hiſtoria non inutilem eſſe hanc veterum nummorum ſupellectilem: primum enim qualis olim fuerit Silphii aut Laſerpitii Cyrenaici figura, non aliunde

T 2

* Κῆβος.

z) De Sirenum forma præter Spanhemium adeundi viri doctiſſimi Montfauconus in Diario Italico p. 191. Laur. Begerus T. 3. theſauri Brandenburg. p. 371. & ad tabulam Iliacam n. 69. & in commentario de Ulyſſe Sirenes prætervecto, ex delineatione Pighiana, Claudius Nicaſius in diſſ. edita Pariſiis A. 1691. 4. *Les Sirenes ou diſcours ſur leur forme & figure*, Janus Brouckhuſius ad Tibullum p. 362. &c.

de quam ex nummis disci posse: ex iisdem petendam esse Loti Ægyptiæ formam, cujus quidem & flos, & caulis, & fructus in nummis Ægyptiis expressi, non Isidem, & Osiridem, & Harpocratem solum, verum etiam serpentum capita non raro ornant, tametsi quæ iis superposita sunt, non continuo habenda sint pro loto. Haud raro etiam occurrere in nummis Strobilos, seu Nuces pineas: in Rhodiorum vero nummis non Rosam expressam, sed Balaustium mali punici florem, quo ad tingendas lanas utebantur: extare etiam Mali Medicæ figuram in nummo Parthico, alias insigni ob arcum Parthicum. Sequitur disputatio de malis Hesperidum, cujus generis fuerint: huicque subjuncta sunt varia & multiplicia Palmarum genera, Calamus odoratus Arabiæ, Ficus ruminalis, & Ilex. Atque hæc omnia mirum quot observationum, quæ vel ad urbium & populorum appellationes & origines, vel ad veteris superstitionis cognitionem, vel ad cæteras Antiquitates pertineant, veluti floribus conspersa sint.

Sequentes Dissertationes ad rerum gestarum Historiam pertinent, ad quam illustrandam singularem quandam & mirificam esse utilitatem nummorum demonstrat Spanhemius: ac primum illa vulgaria non vulgariter monet, de paucitate Historicorum qui supersunt, de crebra inter eos discrepantia & repugnantia in rebus gravissimis; de eorundem vitiis, à quibus odio, metu, gratia, livore multa aut secus enarrata, aut silentio prætermissa sunt: deinde Græcorum & Barbarorum sive Regum, sive Ducum appellationes restitui, præclaraque eorum natalia & facta nummorum ope mirum in modum illustrari posse, variis in eam rem adductis exemplis docet. Scilicet Macedonum Regum originem ab Hercule; argui ex eorum imaginibus, quæ in nummis obviæ sunt cum leonis exuviis: Alexandri vero impiam vanitatem, qui Jove Ammone natus videri vellet, haud aliunde magis constare, quam è nummis, in quibus non leonis pelle tectus solum, verum etiam cornu arietino insignis haud semel conspicitur. Quæ capitis insignia cum ad ejus successores, una cum Imperii dignitate transierint, prætereaque ab iisdem usurpata sint cornua hircina, & taurina, quæ iis cum Diis & Heroibus & Fluviis communia fuerunt, de singulorum ratione accuratissime disputat; novaque & singularia depromit de illo eximio honoris ac dignitatis insigni, quod deinde famosissimum evasit ludibrii & contumeliæ argumen-

gumentum. Porro ut natales & insignia à Diis & Heroibus, ita nomina & appellationes mutuatos esse ostendit Alexandri hæredes; neque enim Jovis aut Herculis cognatione contentos fuisse, nisi Deorum etiam titulos & honores aperte invaderent. Nimirum fuisse Nicephorum Jovem & Herculem Callinicum; quæ appellationes à nonnullis Principibus usurpatæ sunt, quibusque affines sunt, cum Nicetæ apud Persas, & Invicti aut Victoris apud Romanos, tum illa Nicatoris, quam primus intulit Seleucus, cui mortuo templum dedicatum, & divini honores delati sunt. Eandem esse Σωτῆρος & Σωτείρας rationem, quæ nomina Regibus, Reginis, Imperatoribus, Augustis communia cum plerisque Diis ac Deabus fuerunt: qui vero Epiphanes dicti sunt, eos satis constare pro præsentibus Diis haberi voluisse; hanc enim esse ejus appellationis vim & dignitatem; quam non Lagidis solum, & Seleucidis, hoc est notis Alexandri hæredibus familiarem fuisse, sed ad Reges etiam Bithynos, Armenios & Parthos transiisse è nummis discimus. De Ceranni voce auctores rem in diversum trahere subjungit vir doctissimus; potius tamen esse ut à Jovis Fulminatoris, Κεραυνοῦ epitheto derivetur: nec vero cognominibus Deorum solum, sed ipsis etiam nominibus insignitos aliquot principes occurrere, ut Antiochum Dionysum, & Ptolemæum Dionysum, qua de causa etiam Deorum signis & coronis sese ornarunt: imo fuisse, qui, ne quid cœlitibus reliquum facerent, ipsa Dei appellatione, vivi & in terris etiamnum agentes fruerentur: eamque deinde ad Senatum Romanum, qui & Sacer & Augustus; mox ad Urbem Romam, postremo ad Imperatores translatam. Nonnulla deinde monet de Magni cognomine; atque interea dum hæc omnia illustrat, subinde indicat, quantum commodum afferat ampla illa cognominum supellex in nummis ad Principes vulgo confusos ob nominis similitudinem, distinguendos: idemque deinceps præstat in Arsacidis, ac cæteris Barbaris Regibus; ubi etiam disputat de Regis Regum, Philellenis, Philoromæi, cognominibus, quorum primum Arsacidæ à Persarum Regibus acceperant, alterum iidem usurparunt, ac demerendos sibi Græcos, qui Asiam, Syriam, Mesopotamiamve incolebant, tertium à Senatu sociis & amicis Regibus tribuebatur: item de capillorum cultu apud Parthos, & de eorum capitis ornamentis mithra, & pileis. Sequuntur disquisitiones in nummum Agrippæ Philoclaudii in quo celeberrima duo Judæorum festa, Tabernaculorum & Pentecostes, designari videntur; in titulum Regis Imperatoris,

qui in Tryphone & Tigrane occurrit; in Tiaram & Cidarim: quas ubi absolvit, varias Regiones percurrit, & qui in singulis regnaverint breviter indicat, in nonnullis tamen, ubi è nummis emendandi auctores, ac restituenda rerum gestarum historia, immoratur, ut in Asandro & Sauromata Bosporanorum Regibus, Amastride Ponti Regina, Philetæro Pergameni Regni fundatore, Cassandro, Idrieo. Dissertationem denique concludit accuratissima explicatione aliquot nummorum, in quibus cum alia notatu digna visuntur, tum mentio fit Solymi, & Eurypili Heroum, Homeri, & Magistratuum qui Prytanes dicebantur.

Sexta Dissertatione ostendit Spanhemius, quam facem Romanæ Reipublicæ Historiæ præferant nummi veteres: in quibus non gentes solum & familiæ in Historicorum scriptis nobiles, sed etiam eæ quarum memoria pene intermortua erat, nonnullæque omnino ignotæ occurrunt: quorum ope non tantum communia gentium nomina, sed etiam prænominum & cognominum appellationes, quibus gentes in familias, & familiæ in plura capita apud Romanos distinctæ sunt, deprehenduntur; qui gentium singularum originem & insignia: qui Magistratus & dignitates Quiritium, & officia, atque ex iis quædam aliunde ignota: qui gesta præcipua familiarum & illustrium togatorum complectuntur: in quibus denique legum latarum, operum publicorum, Legionum Romanarum memoria consignata est. Porro in hoc latissimo, ac prope immenso eruditionis campo quantum exultet doctissimi viri oratio facile intelligetur: sed ubi de propriis nominibus Gentium, familiarum, singulorum, de prænomine sive uno sive multiplici, de variis cognominibus cum virorum, tum mulierum differit, eorum originem & gradus ita explicat, & plerosque scriptores qui idem argumentum olim tractarunt, adeo aperte & plane interpretatur, si qua in re dissentire inter se videntur, ut nihil accuratius confici posse videretur, nisi longe plura deinde in eodem argumento præstita ob eo fuisse sciremus. Elegantissima etiam est de cognominum origine, sive appellationum ratione disputatio, perinde atque sequentes de variis muneribus publicis, quorum insignia, & eximia monumenta plerumque profert; verum sufficiet monuisse, eandem in singulis hujus dissertationis partibus, quam in superioribus scribendi rationem secutum esse, hoc est nihil prætermisisse quod vel minimam cum argumentis quæ tractabat affinitatem aut cognationem habere videretur, si quid deprehendisset ab aliis omissum. De

De *septima* Dissertatione perpauca dicenda sunt, in qua eruditissimus vir in eam unam curam & cogitationem incumbit, ut probet continuam aut profecto minus interruptam Cæsarum & Augustorum seriem alibi quam in nummis frustra quæri; nemo enim à nobis expectat ut moneamus, si quis ab illo indicatus sit Augustus minus notus è libris; vel ut Augustarum seriem post illum retexamus; haud magis quam cæteras Augustorum necessitudines, quas natura, aut ejus subsidiaria adoptio Cæsarum familiæ inseruit: quanquam ibi quoque plurima summa cum animi voluptate legimus de honoribus mulierum apud Romanos, de earundem sacerdotiis, de carpentis, de Livia, eademque Julia, de Antinoo Heroë & Deo, aliaque aut vulgaria, sed nova ratione pertractata, aut omnino nova.

Octava Dissertatio versatur circa titulos & honores Augustorum & Cæsarum, quibus maximam lucem affulgere è nummis ut demonstret vir doctissimus, disputat; primum de titulis qui canditatis Imperii tribui olim solebant, hoc est, de Cæsaris, principis Juventutis, & Nobilissimi appellationibus, quarum omnium, simulque Sacerdotii Cæsarum originem, & rationem è nummis & auctoribus luculente declarat: deinde de appellationibus omnibus ferme Imperatoribus communibus, Cæsaris, Augusti, Imperatoris, Pontificis Maximi, Consulis, Proconsulis, Patris Patriæ, Pii, Felicis, Domini; quarum vim, rationem, originem, & gradus quibus conferri solebant, eadem ratione explicat, admistis nonnullis de Diademate Cæsarum, de variis Sacerdotiis, de Processu Consulari, de Patris & Matris appellationibus, de Felicitate urbium: postremo de cognomentis nonnullorum Augustorum peculiaribus, sive à Diis petita fuerunt, ut Olympii & Herculis in Hadriano & Commodo, Romuli in eodem Commodo & Antonino Pio, Herculis in Severo & Val. Maximiano, &c. sive à Victoriis & titulis devictarum gentium desumpta sunt, ut Germanici, Parthici, Francici, Alamannici, &c. sive denique affectus, aut affinitatis suscepta sunt ab illis nomina parandæ benevolentiæ, aut in grati erga decessores animi significationem: quo spectat Antoninorum nomen tantopere celebratum in monumentis Historiæ Augustæ.

Superest *nona* Dissertatio superioribus non minus elegans & erudita: sed hujus duæ * partes sunt. In prima ostendit Spanhemius, Cæsarum acta quæque illustria domi & foris nullibi luculentius, quam in eorum

* tres.

rum nummis depicta reperiri: nec ejus argumenti præstantiam continuo elevari aspectu aliquot nummorum obscænorum quos Antiquarii, nullo satis certo auctore, Spintriis Tiberii adnumerant; hos enim & paucos numero esse, & rarissime occurere in tanta & parata copia præclarorum nummorum; in quibus scil. consignata est memoria Coloniarum sub singulis Principibus deductarum; earumque ac cæterarum urbium jura expressa, si sacræ, aut Asyli fuerunt, si liberatem & suas leges habuerunt, si concordiam & communionem inter se solennibus pactis sanxerunt, aut identidem renovarunt: qui munificentiam & gratuita beneficia Urbi, aut Provinciis à Cæsaribus concessa, de quibus altum sæpe est apud scriptores silentium, prædicant, ut à Cajo Ducentesimam, à Galba Quadragesimam, à Nerva Vehiculationem Italiæ remissas, ut ab eodem Nerva calumniam Fisci Judaici sublatam, ut ab Hadriano reliqua vetera HS. Novies Millies abolita: (cujusmodi fuerint hæcce beneficia, suse & accurate docet vir doctissimus, perinde atque jura urbium superius nominata) qui eorundem Principum liberalitates, congiaria Populo Romano data, Donativa, Largitiones; necnon Providentiam in peragrandis Provinciis, qui denique Reges ab iis datos variis gentibus, expeditiones susceptas, adquisitas Provincias, triumphos, adlocutiones, varios exercitus, & eorum decora, pacis fœdera, ludos, opera publica complectuntur: adeo ut ex iis veram Imperii omnium maximi magnitudinem æstimare nobis hodie liceat.

In altera nonæ Dissertationis parte exhibet Spanhemius specimen utilitatis nummorum in Chronologia, ostenditque plurimum eos conferre ad Fastos & acta Cæsarum ordinanda, ad conficiendam barbarorum Regum seriem, eorumque annorum calculum rectius, quam à plerisque Chronologis factum fuerat, subducendum: ad æras Seleucidarum, nobilissimarum Urbium, Imperatorum, Coloniarum, & alias quasdam peculiares, ut quæ à novo Templo Jovis Capitolini deducitur in aliquot nummis Græcis Flaviorum: quorum omnium dum exempla profert, nemo non intelligit plurima ab aliis minus recte prodita hic emendari.

In tertia parte eandem operam Geographiæ impendit, aut etiam forte majorem, tametsi quæ ad eam pertinerent plurima jam tradiderat in decursu præclari operis. Primum enim retenta esse docet in nummis

mis Civitatum insignia, unde origines suas indicarent: deinde consignata sæpe in iis fuisse conditorum nomina; & jura ac privilegia, quibus gaudebant, cum alia superius memorata, tum Primæ & Metropoleos, inter quæ nonnihil discriminis intercedere: iisdem locorum situm præclare indicari, ac velut in conspectu poni: item oppida & loca parum nota, & quæ aliunde habitata nesciremus, in nummis signari: denique petendas ex iisdem locorum orthographiam & gentilium rationem; in quo studiorum genere ne tyrones ad eosdem scopulos illidant, ad quos viri alioqui doctissimi impegerunt, sex Canones tradit, ad quos exigi debet omnis ratio & diversitas nominum Geographicorum, quæ in nummis frequens occurrit. Atque hæc necessarium visum est monere de altera editione operis omnium utilissimi, in quo haud pauca numismata visuntur, cælata ab artifice, ut quidem ipse Spanhemius monebat, haud valde præstanti in hac arte, ut nos comperimus, imperitissimo. Verum tertia ejusdem Editio à clarissimo viro deinde suscepta est, in qua cum multo plura numismata, & quidem accuratius scalpta occurrunt, tum singulæ Dissertationes, ne in immensam molem ob varia, & ea quidem præclara additamenta crescerent, in duas pluresve distractæ sunt. primum earum Dissertationum volumen anno 1706. prodiit,

2. *Dissertationes de præstantia & usu Numismatum antiquorum.* Londini 1706. fol.

ac novem Dissertationibus constat, quibus non ea solum quæ primis quinq; dissertationibus tradita antea erant, plenius pertractata, ac pluribus nummis illustrata, verum etiam compluria nova complectitur.

Scilicet in ea quæ alterius Dissertationis pars fuit, nunc *tertia* Dissertatio est, de Morali disciplina, hæc addidit; ad eam non inutiles esse nummos Græcarum urbium utpote in quibus & Magistratuum à quibus singularum res administrabantur, & Senatus ac Populi mentio frequens occurrit, ut inde quod apud eas, Magistratuumne, an Optimatum, an denique populare regimen obtinuerit edoceamur: ex iisdem nummis intelligi, quibus rectoribus variæ Provinciæ sub Romanorum Imperio obtemperarunt; ac præterea quo non obsequio duntaxat, sed cultu & religione Romam ipsam, Senatum ac Imperatores prosecutæ sunt: consignata etiam in his fuisse varia urbium jura & privilegia, earumque

inter se fœdera, societates & communionem: postremo virtutum quarumdam symbola hic expressa conspici.

Quarta Dissertatio nova quædam habet, de Elephantibus in ludis ac triumphis Romanorum, ac de piscibus Phoca & Phocæna: in *quinta* vero, quæ ejus pars olim fuit, de fabulosis animalibus, instituta est disputatio de Harpyis; perinde atque in *sexta*, qua plantæ illustrantur, de Dictamno.

In *septima* cum omnia quæ quinta alterius editionis Dissertatio complectebatur, novis accessionibus illustrantur, tum etiam series & æræ Macedonum Regum, & Seleucidarum accuratissime enarrantur. In *Octava*, eadem diligentia Arsacidarum, ac cæterorum Regum memoriam renovavit vir eruditissimus: & ad Arsacidas quidem adjecit disputationem de Candy, regia eorum veste: deinde vero recensuit Reges Cappadociæ, Ponti & Bospori Thraciæ, Pergami: quibus subjunxit Cariæ sive Dynastas, sive Reges, Herodiades, Abgaros Edessæ, eos qui vulgo Mauretaniæ Regas habentur, revera Numidiæ fuerunt, Siciliæ Tyrannos ac Reges, ac denique Gothorum Principes.

De *nona* Dissertatione pluribus dicendum est, quod eam Spanhemius, collectis quæ in priori editione sparsa erant, plurimisque aliis observationibus adjectis, confecit. Cum enim demonstrare vellet, nummos ad urbium non minus, quam ad Regum Historiam utiles esse ac necessarios; variis, & luculentis exemplis ostendit, primum antiquæ urbium originis haud pauca & obscura extare in earum nummis documenta; deinde quæ singularum jura & privilegia fuerint, vix aliunde disci posse; postremo earum Magistratuum nomina, quæ plerumque à scriptoribus prætermissa sunt, in nummis reperiri. Et ad originem quidem urbium hæc notavit; in integerrimis illis veteris ævi monumentis occurrere & primævas urbium appellationes, & nomina conditorum, qui sæpe consecrati fuerunt: quas in urbes coloniæ Græcæ deductæ fuerint, haud aliunde melius intelligi; quod eæ communia habuerint cum matribus suis insignia, eosdem loci præsides coluerint, eademque sacra, quæ antiqua vel major patria, peregerint; atque horum omnium monumenta supersint in nummis: postremo quæ urbes plurimas colonias deduxerant eas interdum curasse, ut ne ea laus interiret aut oblitteraretur; quam in rem profert & explicat nummum Heracleæ

Heracleæ in Ponto, quæ se Matrem Coloniarum dicit. Quod ad jura urbium spectat, eas quæ Colonias deduxissent, Metropoles proprie fuisse demonstrat; sed fuisse etiam Metropoles alio, & eo quidem vulgari intellectu, cum in Romano Imperio, tum antequam huic accessissent Græcia & Asia: eas porro recenset, & si cujus Provinciæ duæ pluresve Metropoles fuerunt (fuerunt autem haud paucarum) de eo lectorem monet, & singularum, ac præsertim earum quæ in Proconsulari Asia fuerunt, conditionem investigat. Eadem ratione deinde illustrat, quæ ad Primatum urbium pertinent, simulque de Πρώτης & δευτέρας appellatione in nummis Macedonum; necnon de nummo ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΕΒΔΟΜΗ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ. disputat. His subjunguntur urbes quæ Ιεραὶ, & Ασυλοι, aut quæ Ιεραὶ tantum, quæ liberæ, quæ Αυτονόμοι, quæ Ναυαρχίδες fuerunt, quæ omnia plerumque sunt à scriptoribus prætermissa; earumque appellationum vim & proprietatem plane & aperte explicat eruditissimus vir. Quod denique pertinet ad Magistratus Urbium Græcarum, quænam munere aut dignitates fuerint eorum, qui Αρχοντες, aut Στρατηγοὶ, aut Πρυτανεῖς, aut Γραμματεῖς, pro locorum consuetudine dicebantur, fuse exponit; de Sophistis qui varios Magistratus gessere disputat; & postremo qui Επιμεληταὶ, aut Επίςαται dicti olim fuerint investigat.

Alterum Dissertationum Spanhemii volumen Amstelædami prodiit anno superiori, *a*) *Isaaci Verburgii* cura, & quatuor Dissertationibus constat, quæ totidem alterius editionis Dissertationes repræsentant, sed ita auctas ut novum hoc opus videri possit.

Harum Dissertationum prima, quæ universi operis *decima* est, circa numos Consulares tota versatur, & quatuor capita complectitur. In primo, numorum ope Familias Romanas aliquot aliunde ignotas, Crepusiam, Fabriniam, Minciam, Trebaniam, Cipiam, &c. ignota in Familiis quibusdam cognomina, in Licinia Cæcinarum, Norbanorum in Junia; Gentium seu Familiarum origines & insignia è tenebris erui demonstrat ill. vir. In altero capite, ut eam utilitatem quam nummi ad cognoscenda Familiarum nomina afferunt, patefaciat, colligit ac sub certis quibusdam titulis collocat ea quæ ad istam concertationem pertinentia subinde deprehendit, & in Prænominibus quidem hæc fere docet; fuisse illa Romanis in usu ab ipsis Romæ incunnabulis; à patribus ad filios, ac nepotes

a) 1717. fol.

potes natu majores vulgo tranſiiſſe: quædam fuiſſe quibuſdam familiis peculiaria, & quidem duplici ratione; prima, quod duo tantum triave, nec temere alia certæ familiæ uſurpaverint; altera, quod prænomine quodam una gens uſa ſit: hujus generis fuiſſe prænomen Appii in Claudia familia, ac Servii in Sulpicia, quæ deinde gentilitiorum nominum vicem obtinuere hactenus, ut gentilitio nomini conjuncta, prænomina adhuc eſſent; ab eodem disjuncta, pro nomine ipſa haberentur, iiſque prænomen alterum præfigeretur: ac v. c. *Lucius Servius Rufus* diceretur idem, qui *Servius Sulpicius Rufus* alias: quæ in certa quadam gente cognomina fuerint, ea interdum fuiſſe prænomina vel in ejuſdem gentis familia quadam, vel in altera gente: ita *Paullus* Æmiliæ gentis cognomen, Lepidorum & Regillorum prænomen nonnunquam fuiſſe: eodemque prænomine uſam Fabiam gentem; ita Lentulis prænomen *Coſſus* quandoque datum, quod in eorum gente Cornelia cognomen eſſet: in Valeria vero Meſſallas *Voluſus* & prænomen & cognomen habuiſſe: ita denique *Agrippa*, *Mamercus*, *Tullus*, variarum familiarum cognomina fuiſſe, cum olim mera prænomina fuiſſent. Quæ ſequuntur de prænominibus in quibuſdam familiis damnatis, ac de prænominlbus & cognominibus mulierum non moror, quia ex nummis haud ita multum illuſtrantur; ſed ex iis quæ ad cognomina ſpectant varia extudit Eruditiſſimus vir: non ea ſolum quæ apud ſcriptores habentur, ſed etiam ignota aliunde, aut certe parum cognita Gentium Romanarum cognomina in nummis conſignata eſſe: in iiſdem perinde atque in libris deſcripta eſſe altera cognomina, prioribus addita ſcilicet, quo liquidius conſtaret de diſcrimine familiarum quæ non ex eadem gente ſolum, ſed ex eadem etiam in ea ſtirpe profluxerant; in iis vero denariis quæ duo cognomina exhibeant, prætermiſſa eſſe gentium nomina; poſtremo tria interdum cognomina Quiritibus adtributa eſſe, quæ à ſcriptoribus cognomina dicantur, perinde atque prima, non ut à Grammaticis agnomina. Subjuncta eſt diſputatio, utrum, prænomen an cognomen, proprium fuerit Romanorum nomen; quæ quidem, ut verum dicam, tota eſt de nomine, ſed accurate Spanhemius prænomen tandiu fuiſſe Romanis proprium nomen, quandiu gens aut familia cognomine caruit, ut Vitellia; verum ſi quod fuerit in gente vel familia cognomen, fuit autem in pleriſque, id proprium nomen cenſeri debere, ſi nummis fidem adhibemus. Ad veritatem haud minus exacta quæ ſequitur concertatio de origine cogno-

cognominum, quæ à notis & partibus corporis, à muneribus, & moribus, à rebus gestis indita sunt; inter quæ non pauca vel parum decora, vel etiam contumeliosa monumentis haud minus insculpta, nec minus ad eorum à quibus incepere posteros transmissa esse monet vir doctissimus, quam ea quæ viri quidam nobiles rebus magnis gestis peperunt: prætereaque in iis fuisse plurima quæ feminina positione mares significarent. Varia porro hic congesta sunt quæ ad Scipionum familiam illustrandam pertineant, in quibus tamen humanitus quiddam Spanhemio accidit, dum aliud agens Scipionis Africani & Scipionis Æmiliani parentes confudit*; ad hæc de *Africani*, & *Maximi* cognominibus in variis familiis, de *Magni* cognomine in Pompeia, & Pompeii è filia nepote Cinna, de duobus Syllæ cognominibus, *Felicis* nimirum & *Venusti*, quorum alterum in nummis descriptum est, alterius symbola tantum consignata sunt, neutrum transmissum est ad posteros, quippe qui non *Felices*, sed *Fausti* dicti sint; haud magis quam *Pii* cognomen, quod Metelli Numidici filius tulerat: sed hæc, & alia de variis modis, quibus Romani patrum naturalium & adoptivorum nomina & cognomina prænominave insimul conjunxerint, cum in iis brevitas obscura sit, indicare suffecerit. Tertium caput est de dignitatibus Populi Romani quæ in nummis consignantur; & in Sacris quidem haud ita multum immoratus est Spanhemius; sed Ordinarias mirum in modum illustrat; primum omnium, supremum inter liberæ urbis Magistratus Consulum fastigium, cujus insignia fuere sella curulis, fasces ac secures, lictores; de quibus varia scriptorum loca perobscura, & ἐναντιοφανῆ explanavit, & inter se quam solertissime fieri potest, composuit: deinde Censuram, Magistratum ἀνυπεύθυνον, omnium maxime sacrum, ad quem de transvectione Equitum, & lustro nonnulla indicat è nummis: tertio loco Præturam, Consulari dignitati proximam, in qua docet è nummis, Prætori Urbano sex fasces sine securibus præferri solitos, cæteris Prætoribus extra Urbem totidem cum securibus, Præfectos Urbi pro prætoribus à Cæsare constitutos Prætoriæ dignitatis insignibus usos esse; Prætori Urbano concessam potestatem celebrandi ludos Apollinares, Apollini scil. ac Latonæ ejus matri, non vero etiam Dianæ sacros; quod cum fefellisset nobiles Antiquarios, eos ludos videre sibi visi sunt in nummis qui Ludorum Sæcularium memoriam posteritati

* pag. 49.

propagarunt; in illis præbitos Circenſes quorum monumenta eſſe celetum ſive ſingulatorum, bigarum, aut etiam quadrigarum imagines; exhibitam etiam venationem; editos etiam à Prætore Urbano ludos votivos: poſtremo omnium ferme ludorum curam Prætoribus Cæſarum imperio delatum fuiſſe. Quartum locum obtinent Ædiles, Curules quidem, à quibus ludi ſanctiſſimi maxima cum cæremonia fiebant Cereri, Libero, Liberæque Cereales, Floræ Matri Florales, Jovi, Junoni Minervæque Romani, Idææ Matri Megalenſes Scenici, quorum extant adhuc, ut & annonæ ab iiſdem curatæ, præclara monumenta; Plebeii vero, quibus ſola ferme Annonæ curatio conceſſa eſt; & quidem ita, ut interdum in Provincias ad frumentum emendum Quæſtores ex Senatuſconſulto mitterentur. Ædilitiam dignitatem excipit Quæſtorum munus, qui vel Urbani fuere, & Ærarium provinciam obtinuere, vel in Provincias miſſi ſunt, illicque faſces ſemper contra quam Urbani habuerunt, etiam ſecures, cum pro Prætore aut pro Conſule præfuerunt. Poſtremo nonnulla monetur lector de III. viris & IIII. viris Monetalibus, indicanturque urbes quæ permiſſu Imperatorum & Proconſulum monetam à ſe cuſam teſtatæ ſunt. In extraordinariis Magiſtratibus brevior eſt Spanhemius, quod eorum nuda ferme nomina exhibeant nummi veteres; ſed horum genera duo fuere; intra Urbem Dictatoris, Triumvirorum R. P. C. Tribunorum Militum Conſulari poteſtate: extra urbem Proconſulum & Proprætorum, quorum alii cum militari tantum Imperio ſine Magiſtratu in Provincias mittebantur, alii Magiſtratus Populi Romani erant; Legatorum Proconſule, aut Proprætore, Legatorum Auguſti, Præfectorum Claſſis & Oræ maritimæ; illicque cum de aliis compluribus obiter, tum de Imperatoris appellatione accuratiſſime diſputatur. Quartum caput complectitur quædam in Familiis Romanis belli ac pacis decora, quorum memoriam nummi ſervarunt, pacis quidem, opera publica, velut Baſilicam Æmiliam, Puteal Libonis, Roſtra vetera ac nova, Comitia duo, Villam publicam, Vias munitas, Aquam Marciam, in quibus illuſtrandis, cum multa ab aliis aut ſecus obſervata, aut prætermiſſa ſint, ſingularem viri doctiſſimi diligentiam mireris licet: pacis etiam decora fuere, & quidem maxime inſignia leges, è quibus Caſſia & Cœlia Tabellariæ, ac Porcia de Provocatione ſtrictim explanantur, item fœde-

fœdera quæ non à PatrePatrato ſolum,ut opinabatur quidam vir doctus, *ſed etiam à Fecialibus feriebantur; ac denique ſigna reſtituta. Quod ad bellicam laudem ſpectat,ejus plurima eſſe monumenta in nummis obſervat vir eruditiſſimus; quippe è qua maximum Romanis decus quæſitum ſemper fuerit; in iis igitur victoriarum & triumphorum memoriam ſervatam eſſe, nec omiſſam eſſe ovationem, de qua nonnulla minus recte ab aliis tradita ſint; illic etiam depicta eſſe tropæa, inter quæ maxime memorabile eſſe illud L. Æmilii Paulli, in quo ter triumphaſſe dicitur, & opima Coſſi de Tolumnio, ac Marcelli de Viridomaro ſpolia; poſtremo quædam in iis eſſe ſingularis Romanorum virtutis exempla. Sequuntur duo veluti parerga, quæ tamen ad diſciplinam militarem pertineant: primo, Spanhemius illuſtrare conatur nummos tres, in uno Vaala quidem, ſive Umonius ſive Numonius vallum tutatur; alter Licinii Imperatoris, vallum quoque exhibere videtur; in tertio T. Didii, victoriam de Servis ab illo duce relatam commendari exiſtimat; ſed qui hoc volumen edendum curavit Iſaacus Verburgius, vir profecto doctiſſimus, Spanhemii conjecturis aſſenſum non præbet, ut in Præfatione videre eſt; altero Parergo diſputatur de duobus nummis M. Antonii, in quo Cohortium Prætoriarum & Cohortis Speculatorum mentio, ac ſigna militaria inter ſe diverſa inſculpta ſunt.

Undecimæ Diſſertationis tria ſunt capita: primo ſeries Auguſtorum è nummis illuſtratur, ſed hic haud ferme magis quam cum de altera editione ageremus, immorari animus eſt, quod pleraque leviter perſtringuntur, ac de iis qui vel Trajani Decii ætate, vel deinde imperarunt, eadem quæ Spanhemius, aut etiam paullo plura, quæ nummorum ope deprehendere licuit ipſi obſervavimus; de hoc tamen celandus non eſt lector, hic de Gordianis, tres an quatuor fuerint, quæri; ſinguliſque in utramque ſententiam argumentis accuratiſſime perpenſis, tres fuiſſe aſſeri; præterea viro doctiſſimo Hoſtilianum Trajani Decii generum potius quam filium fuiſſe videri. Quod vero idem monet *b*) Tiberii Tyranni Conſtantiniano ævo memoriam in nummo conſignatam eſſe, vereor

* Jac. Gronovius ad Livii V. 32.

b) Spanhemius p. 267. *Ita exorti eodem Conſtantinianeo ævo alterius quoque Tyranni TIBERII ſignata eſt adhuc memoria in raro ejus nummo quem ſervat Gaza Cardinalis Buonçompagni omni hoc monumentorum genere commendatiſſima.*

vereor ne eum quidam minus diligentes fefellerint, nummusque ille haud diversus sit ab aureo, quem è Regio Galliarum Thesauro exhibuimus in Tib. Constanstino: *c)* DN. COSTANTINUS (sic) PPA. in aversa parte VICTORIA TIBERI AUG. In altero capite colligit Spanhemius seriem & historiam Augustarum è nummis; monetque interdum non uxores Principum solum, sed etiam matres, avias, filias, neptes, sorores, sive virgines essent, sive privatis nuptæ, Augustas dictas esse; nonnullas post mortem inter Augustas, etiam inter Divas relatas esse: inter utrasque Domitillam Vespasiani adhuc privati uxorem; Liviam post Augusti mortem, vel Liviam vel Juliam, etiam Augusti filiam & Sacerdotem dictam, eandemque pro Junone habitam; sed Juliam Augusto natam, Agrippæ conjugem, Venerem quandoque appellatam esse, nunquam Augustam. His adjuncta sunt spicilegia non contemnenda de flaminiis ac sacerdotiis Augustalibus, ac de carpentis à mulis vectis; quæ postquam absolvit Spanhemius, seriem Augustarum ita exequitur, ut simul rarissima quæque numismata exhibeat; & quæ in iis paullo obscuriora sunt, tam apte quam breviter explicet. Superest tertium caput, in quo liberi quidam & adfines Augustorum reviviscunt, nec vitam solum, sed splendorem etiam suum recuperant: hos inter conspicui sunt Agrippa invictus bello, ejusque liberi Cajus & Lucius, Nero Claudius Drusus, qui Cæsar Augusti filius in nummo Græco dictus est, Drusus & Germanicus ille naturalis, hic adoptivus, Tiberii filii; Germanici liberi Nero & Drusus; Claudii etiam & Vitellii Imperatorum liberi, ac Trajani pater Trajanus, in quorum nummis explanandis eandem, quam in Augustarum, operam impendit. Hos sequitur Hadriani catamitus Antinous, de cujus cultu ita diligenter disserit, ut nihil supra, singulaque ejus nummorum symbola qua ratione in eum convenerint aperit, adductis ad eam rem maxime appositis scriptorum locis, ac simul quid fuerit ΗΡΩΣ & ΑΓΑΘΟΣ ΗΡΩΣ. edocet. In Galerio Antonino, & Antonino Vero filiis, illo Pii, hoc Marci desinit dissertatio, nisi quod natos Commodo è Crispina liberos monetur lector.

Duodecima Dissertatio superiori operosior est, quod in ea Spanhemius depugnandum sibi esse existimavit cum viro quodam perudito *d)* ac inge-

c) T. 2. numism. Impp p. 658. Hic est qui communiter Tiberius Thrax, Imperator ab A. 578. ad 582. *d)* Jo. Harduino.

ac ingenio præſtanti, qui ut Hiſtoriam Auguſtam reſtitueret, confecit novam: hujus varias conjectationes in ſuperioribus Diſſertationibus ſubinde profligaverat vir doctiſſimus, ſed in quibus ſumma victoriæ non conſtaret; hic vero ipſa adverſarii caſtra, hoc eſt principia quibus Hiſtoria ab eo confecta veluti vallo munitur, ſumma vi expugnare conatur. Atqui nonnullos reperimus, quibus Spanhemius vires ſuas in ventum effudiſſe videretur, quod vincere voluerit authoritate Scriptorum, quos ſibi adverſari Harduinus ultro profitetur. Quibus referimus, primum Spanhemium non tam laboraſſe ut vel confutaret Harduinum, cujus acumen & eruditionem merito ſuſpiciebat, vel eum reconciliaret cum Hiſtoricis, quibuſcum in gratiam illum rediiſſe exiſtimabat, quam ut cæteros à novis Hiſtoriarum figmentis comminiſcendis deterreret; deinde eam quæ maxime appoſita ad Harduinum refellendum ratio eſt, quæ in eo conſiſtit, ut demonſtretur nummos Harduino non favere, quandoque etiam adverſari, à viro diligentiſſimo non neglectam: ſed ad rem. In hac Diſſertatione colligit Spanhemius quæ pertinent ad titulos, qui vel deſignatis Imperii heredibus, vel Imperatoribus ipſis tribuebantur, vel utriſque communes erant. Hujus poſtremi generis fuit *Cæſaris* appellatio, quæ in Auguſto, aliiſque ad Galbam uſque cognominis locum ita obtinuit, ut ſimul aut ſummæ dignitatis, aut proximi ad ejus ſucceſſionem gradus titulus foret; at finita Juliorum Claudiorumque domo hereditarium cognomen eſſe deſiit. Cæſaris appellationi ſubjunctus eſt *Principis Juventutis* titulus, quem nobiliſſimis adoleſcentibus libera Republica conceſſum fuiſſe hic monemur; fuiſſe enim tres equitum turmas, quibus præfectos fuiſſe *Seviros*, & qui trium turmarum Juniorum primæ præeſſet, eum Principem Juventutis dictum, habitumque pro Equeſtris ordinis ductore cum alias, tum in decurſionibus & Trojæ ludicro. Additur hæc intra non ſtetiſſe delatam Principum liberis eam appellationem, è nummiſque conſtare Principes Juventutis tam pedeſtris quam equeſtris militiæ duces fuiſſe; hoc quoque addi potuit, non Cæſares ſolum, verum etiam Auguſtos *e*) Principes Juventutis appellatos interdum in nummis fuiſſe. Poſtremo inſtitutum eſſe docet Spanhemius, ut Cæſares in plurima, vel etiam omnia ſacerdotum

e) ut Conſtantinum Magnum in nummis quos affert Bandurius T. 2. p. 266.

Collegia cooptarentur, vel ſupra numerum; quod nobiliſſimis quibuſque ſacerdotia decerni moris erat Romæ, ac præterea quod ut cætera omnia, ita etiam ſacra in ſua poteſtate habere volebant Principes. Hæc de titulis ſecundi faſtigii: inter appellationes ſummæ poteſtatis prima ſeſe offert *Cæſaris*, altera *Auguſti*, cujus ea vis erat, ut Principes dum adhuc colerent terras, ipſo nomine ac titulo conſecrarentur: hac Harduinus deſignari volebat imperium in Provincias quaſdam à Senatu conceſſum, quod, ne ultra vicenos annos prorogaretur, diligenter cautum erat: eadem Spanhemius non peculiarem quandam poteſtatem aut Imperii partem, verum dignitatis ſplendorem declarari ita demonſtravit, ut quæ argumenta ex nummis petivit, non quidem admodum firma, ſi alia probatione deſtituantur, ſed iis tamen quæ indidem protulit ejus adverſarius, multo probabiliora videantur. Haud ſpernenda quæ ſequuntur de duobus tribuſve ſimul Auguſtis, ac de præcipua unius, ac maxime Diocletiani contra eundem adverſarium, poteſtate, tametſi in Caro ac ejus filiis mire fluctuet doctiſſimus vir inopia veterum nummorum: quod vero in nummo GRATIANUS AUG G AUG. cum probam lectionem *Auguſti Gener Auguſtus* tradidiſſet *f)* ac maxime accommodatis argumentis firmaſſet, alteram *Auguſti Auguſtus* finxit, perinde ac ſi tres Auguſti ſimul nominarentur, duo æqua poteſtate, Gratianus ipſe ac Valens, tertius minor ac nomine tenus, Valentinianus Jun. nemo mirabitur qui noverit, nullum eſſe tam egregium corpus in quo non ſit nævus aliquis. Subjungit Spanhemius Auguſti dignitatem in nummis Græcis promiſcue cum Latina ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ. tum Græca ΣΕΒΑCΤΟΥ. voce appellari, adeo ut diſcrimen inter has duas voces ne ſuſpicatus quidem videatur: quoddam tamen fuiſſe *g)* hactenus obſcurum, indicant nummi in quibus Principes Αὔγουστοι Σεβαστοὶ dicuntur, quales nonnullos in ſerie noſtra reperies. In ſequenti vero concertatione de Principum

f) de hoc ſupra num. CLVII.

g) Vix hoc mihi perſvaſerim, quoniam non raro etiam poſt Αὐτοκράτωρ καῖσαρ modo additur Ἄυγουστος vel σεβαστὸς modo utrumque omittitur, nullo ad rem ipſam diſcrimine, ut in nummis Græcis Imperatorum paſſim eſt videre. Et in Latinis nummis jam nomini principis additur *Auguſtus*, jam *Imperator Auguſtus*, jam *Imperator Cæſar*, jam *Imperator Cæſar Auguſtus*.

cipum dignitate, ut nummis magis instructus fuit, ita laudabilior est ejus opera; illicque an quidquam vel ad illustrandum veterum usum, vel ad tuenda, ac inter se & cum nummis componenda scriptorum loca, desiderari possit nescio. Augusti appellationem excipit *Imperatoris* titulus, quem duplici ratione usurpatum à Principibus constat; prima, prænominis ut plurimum vice, ut summum in orbe Romano imperium; altera, vice cognominis, & quidem sæpe iteratum, quo partæ de hostibus victoriæ decus designarunt: sed cum Imperatorem Harduinus eum esse diceret, qui exercitui cuidam summo cum imperio præfectus esset; & cum duo simul Imperatores erant, habuisse unumquemque Imperatorem sub se militantem exercitum: in iis refellendis exultat ac triumphat Spanhemii oratio, cum è nummis ostendat, eos fuisse Imperatores quos ejus adversarius fuisse negabat; Imperatorem eundem esse quem Αὐτοκράτορα, hoc est suprema pollentem in exercitibus & in rebus civilibus potestate; ac denique Imperatores Βασιλεῖς dictos. Alia etiam hic notanda occurrunt, Cæsares aliquot ante dictos Imperatores quam Augustos; primo omnium Julio Cæsari summum illum Imperatoris titulum concessum à Senatu fuisse; Claudium *Imperatorem* XXVII. ob victorias idcirco appellatum, quod præter Romanorum morem sæpius in uno bello nomen illud sumserit, idemque ab aliis Principibus deinceps factum; sed hæc præ iis quæ sequuntur levia sunt, in quibus Spanhemius, ut evincat rationem non habendam ejus opinionis quæ singulorum Principum Imperium intra certum & à Senatu definitum tempus circunscribit, demonstrat, primum ejus opinionis auctorem sibi non constare, deinde nihil ferme ab eo proditum de illis, ut vocat, Triumviris quibus variæ Provinciæ post Neronis cædem commissæ sunt, quod non adversetur, aut nummis ab eo prolatis, aut principiis quæ ipse recepit. Quartus *Pontificis Maximi* titulus Imperatoribus concessus est, quo supremam sacrorum administrationem sibi à Senatu Populoque Romano commissam testabantur: hic vero tria præstat vir eruditione præstans: primum an Christiani Principes Pontificis Maximi titulum sumpserint quærit; in eamque sententiam propendet, quam ipsi amplexi sumus, illud nomen ab iis aliquandiu retentum ut sacra pro suo jure moderarentur: deinde apud varios populos ostendit eosdem sacerdotes fuisse ac summos Magistratus; tertio Imperatores Pontificis Maximi munia

perſæpe obiiſſe. Sequitur *Tribunitia Poteſtas*, de qua cum alia non injucunda cognitu hic indicantur, tum quæ fuerint hanc inter ac Tribunorum Plebis poteſtatem diſcrimina; ſimulque virum quemdam doctiſſimum *h*) fruſtra commentum eſſe geminam Tribunitiam Poteſtatem, aliam in exercitibus, aliam in Provinciis, oſtenditur. Superſunt tres perpetuæ Imperatorum appellationes, *Pii*, *Felicis*, *Patris Patriæ*, de quibus pro more ſuo diſſerit Spanhemius; at iidem *Conſulatum* non διὰ βίου vel perpetuum, crebro tamen, & quidem ſtatis ut plurimum temporibus iteratum ſuſcepere, eorumque proceſſus Conſularis memoria interdum in nummis expreſſa eſt. Hic profecto nollem à Spanhemio mendacii dicam impactam *i*) ſacro primi libri Machabeorum ſcriptori, dum adinventos ab adverſario ſuo duos Orbis & Urbis Conſulatus confutaret; id enim quam maxime alienum eſt ab ea moderatione quam adhibuit cum in aliis rebus, tum in ſequenti concertatione, in qua ſententiam ſuam de *Proconſulari* Principum *Imperio* vindicat, docetque triplicem Proconſulatum fuiſſe, primum Imperatorum, cujus ea vis erat, ut in Provinciis omnibus major iis quam Præſidibus poteſtas eſſet; alterum ejuſdem generis, qui in magna Orbis Romani parte, & ad tempus quibusdam conceſſus eſt, ac intra pomerium deponebatur; tertium eorum qui in ſingulas Provincias cum Imperio ac Proconſulum nomine mittebantur, ut in iis ordinarii Populi Romani Magiſtratus eſſent. Atqui ille Imperatorum Proconſulatus raro in nummis apparet, rarius etiam *Cenſoria Poteſtas*, de qua tamen varia dici poterant, quæ ab aliis prætermiſſa Spanhemius diligentiſſime collegit: ſed qui Imperatoris ac Cæſaris locum in nummis Principum ſequioris ævi obtinuit, *Domini* titulus, maxime obvius eſt: qui quidem jam inde ab Auguſto tribui Auguſtis cœpit, ſed ita ut eum averſati ſint nonnulli, quidam ultro ambierint, plerique tribui ſibi paſſi ſint, nulli tamen ante Philippos, quorum numiſmata Spanhemii diligentiam fugerant, delatus ſit in nummis niſi Græcis, in quibus ipſis cum non Δέσποται, ſed Κύριοι dicantur, hinc apparet cur Julianus ille qui fidem deſeruit Dominus nunquam non dictus fuerit in nummis, cum Δεσπότην ſe à Græculis appellari nollet, cujus rei cauſam à viro ſagaciſſimo repertam non eſſe miror. Aurelianum deinde & Carum Deos ac Dominos

h) eundem Harduinum, Opp. ſelect. p. 699. 756. 773. 774.
i) Spanhem. T. 2. p. 461.

Dominos dictos fuisse monemur dum adhuc viverent, tum Diocletianum & ejus collegam Maximianum Dominos, sed post abdicatum Imperium; itaque honoris hanc esse in illis, non potestatis appellationem; postea perpetuum ferme in nummis titulum hunc occurrere, denique solam Δεσπότȣ appellationem in nummis consignatam esse. Tria supersunt titulorum genera illustranda; primum nescio superbius an vanius, cum Principes vel Dii dicerentur, vel Deorum & quidem Consentium nomina, vel inde deductas appellationes reciperent, ut nihil Deorum honoribus relictum foret; ac Deos quidem in Græcis urbibus dictos Augustos, Augustas, Cæsares ipsos evincunt nummi quam plurimi Augusti, ac Liviæ ejus uxoris, Tiberii, ejusque liberorum Drusi ac Germanici, Messalinæ etiam ac Neronis, ui adhuc Cæsar ΘΕΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ. dictus; at in Latinis nummis Carus *Deus ac Dominus*, Aurelianus vero *Deus ac Dominus natus* appellati sunt, si Spanhemium audis, adhuc vivi; & hic quidem *natus*, quo distingueretur à Sole, velut *Deo ac Domino Imperii Romani*, qui esset ἀγέννητος. Quod spectat ad nomina Deorum recepta, præter Augustas quæ Juniores Junones, ac Juniores Cereres dictæ, præter Caracallam & Getam, qui *novi* vel *Orientes Soles*, Nero etiam Appollo dictus, Hadrianus vero & Commodus, uterque Hercules Romanus: at quod Diocletianum Jovem, Maximianum Herculem appellatos etiam in nummis fuisse hic traditur, verum non est, saltem colligi non debuit è nummis qui hocce loco *t*) exhibentur, in quorum aliis Jupiter quidem & Hercules nominantur, sed ita ut *Augustorum*, non *Augusti* ipsi dicantur; in aliis Principes duo non Jupiter & Hercules, verum primus *Jovius* appellatur, alter *Herculius* Ad appellationes igitur à Deorum nominibus deductas referenda erant, inter quas conspicua est illa *Olympii*, quam primus Augustorum usurpavit Hadrianus, in cujus honorem ludi in Asia instituti sunt Olympii Hadrianei, ac post eum Commodus; item Σωτῆρος, & *Jovis* Φιλίȣ; ac denique *Optimi*, & *Optimi Maximi*. Alterum est titulorum à victoriis, vel devictis gentibus adsumptorum genus, quos dum recenset vir præstanti ingenio ac doctrina, simul quædam minus obvia docet de Alemannia: postremum eorum, quibus adfinitas & origo, veræ vel adfectatæ designabantur, quive parandæ benevolentiæ causa, aut in grati erga decessores animi significationem suscipiebantur: de quibus breviter, nisi obscure dici non potest. In titulis Diocle-

t) p. 494.

Diocletiano & Maximiano poſt abdicatum Imperium tributis deſinit Diſſertatio duodecima.

Quod ad *decimam tertiam* ſpectat, in ea demonſtrat Spanhemius multo plura in nummis rerum quæ ad Hiſtoriam Imperii Romani ac Imperatorum pertineant, quam in Scriptoribus monumenta conſignata occurrere; pietatis quidem Principum, Sacerdotia ab illis ſuſcepta, inſcriptiones quibus ſe in tutela Deorum eſſe declarant, vota nuncupata ac ſoluta, templa erecta, refecta, dedicata; eorundem munificentiæ ac Providentiæ, Congiaria populo Romano data, & inſtar perpetui congiarii Εὐθηνίαν, ſive affluentiam Annonæ, Alimenta pueris puelliſque ingenuis præſtita, remiſſas à Caio Ducenteſimam, à Galba Quadrageſimam, Italiæ vehiculationem à Nerva, reliqua vetera HS. Novies Millies ab Hadriano abolita, ſublatam à Nerva Fiſci Judaici calumniam; quæ omnia vir doctiſſimus non recenſet ſolum, ſed pluribus verbis explicat, ac tenebras quæ iis obductæ erant à nonnullis, diſcutit. Sequuntur quæ ad Romani Orbis adminiſtrationem propius ſpectant, conſtitiſſe eum é Provinciis, Urbibus liberis & Regnis: ut libera Republica, ita poſtquam omnia unus ſub imperium accepit, fuiſſe Reges qui Imperii majeſtatem comiter colerent, eoſque in tutela fuiſſe Auguſtorum, quorum effigies in nummis ſuis exhibuerunt: Reges aliquot gentibus à Principibus datos, á Trajano Parthis, ab Antonino Pio Armeniis & Quadis: libertatem Urbium ejuſmodi fuiſſe, ut earum ſtatum Auguſti per Legatos ordinarent; in Provincias vero miſſos fuiſſe vel Præſides vel Proconſules, de quibus non pauca obſervari potuerint in nummis, quibus præclara lux ſcriptoribus affunderetur, quæque hic colliguntur. Ad eandem Romani Orbis adminiſtrationem referri debent Coloniæ, quas ad centum & viginti à Principibus deductas, pleraſque à ſcriptoribus prætermiſſas, ſibi notaverat Spanhemius; ſed quod idem argumentum Vaillantius occupavit, perpauca de illis, hoc eſt, ea quæ in ſuperiori editione ſcripſerat, nova tamen luce perfuſa, repræſentat: perinde atque de Ὁμονοίᾳ Urbium, de qua jam multa in priori volumine, quaque vel ſacrorum communio indicatur, vel hoſpitii, aut commercii, aut connubiorum jus. Quæ etiam diurnias actis mandari ſolebant, Adventus ſcil. ac Profectiones Auguſtorum, in nummis perſæpe conſignata ſunt, ac præterea elogia quibus Urbem

Urbem, & Orbem, varias Provincias & urbes, exercitus, Monetam restituisse dicuntur; indeque facile intelligitur omissa in illis non esse belli acta, hoc est adlocutiones Augustorum, victorias, triumphos, trophæa, præterea virium Imperii, legionum, cohortium, exercituum commendationem; sed horum tantam esse copiam perspexit vir bono literarum natus, ut inde justum opus confici posset; quamobrem pauca quædam de his à vulgi cognitione remota indicasse contentus, enumeratione templorum quorundam celeberrimorum, quæ vel ab Imperatoribus extructa, vel in eorum honorem, cum in urbe, tum in Provinciis condita sunt, absolvit immortale opus, cui cum addere vellet in tertio volumine quæ ad Religionem Gentilium, Consecrationem, supellectilem veterum spectabant, fato functus est, & quidem ita immaturo, ut ne hoc quidem volumen polire potuerit, in quo ut non plus eruditionis, ita orationem magis tersam ac limatam profecto desideramus.

Alia Ill. Spanhemii opera nunc recensenda sunt, inter quæ eminet illud, quo Juliani *u*) Apostatæ Cæsares illustravit, Gallice scriptum,

3. *Les Cesars de l'Empereur Julien, traduits du Grec, avec des remarques, & des preuves illustrées par les Medailles, & autres anciens monumens*, Paris 1696. 4.

& auctoris fama dignissimum; qui cum intellexisset, homines ita esse comparatos à natura, ut libris in scientiarum commendationem scriptis minus moverentur, novam hæc studia promovendi rationem inire voluit, scriptorem nobilem arripiendo, in quo quidquid obscurum, aut obiter ac, velut in transcursu dictum, aut ab aliorum denique scriptorum sententia dispar ac dissentiens animadvertitur, id omne é veteribus nummis illustraret, & incertis quidem fidem confirmaret, ac falsis demeret; obscuris lucem affunderet; in his vero quæ auctores in diversum trahunt, quid potissimum sequendum sit, demonstraret. Hinc profecto intelligis, nihil ferme hic reperiri aut à Juliano scriptum, aut à Spanhemio adnotatum, quin illud continuo certissimis numismatum testimo-

u) Non raro etiam nummos advocat Spanhemius illisq; lucem affert in Commentario luculento ad primam Orationem Juliani, quæ ad calcem editionis emendatissimæ operum Juliani legitur, quam eidem illustri Viro debemus, curatam Lipsiæ 1696. fol.

teſtimoniis confirmarit; verum in hoc Commentario commendando haud opus eſt ut diutius immoremur; quippe in quo eandem ſecutus eſt ſcribendi rationem, quam in cæteris lucubrationibus, inquibus omnibus, ut id ſemel dicamus, mirari ſubit ſingularem quandam, atque omnia complexam eruditionem, prætereaque prope incredibilem memoriæ felicitatem cum acri & certo judicio conjunctam: quippe cui ſcribenti ita ſemper opportuna adfuere cum veterum ſcriptorum loca, tum etiam maxime appoſita numiſmata, ut in ſtatione quadam parata, atque illum expectaſſe, quo juberet prodire loco aut tempore, videantur.

Nec vero aliter ſentiendum de ea quam tamen inter alias curas effuderat,

4. *De Nummo Smyrnæorum, ſeu de Veſta & Prytanibus Græcorum Diatriba,*

quæ Selectis Seguini Numiſmatibus *x*) ſubjuncta eſt anno 1684. in hac enim

x) de his ſupra cap. LXXXVIII. Sed illa diatriba Spanhemii longe auctior & elaboratior recuſa exſtat Tom. V. theſauri Antiqu. Rom. Græviani p. 659. Traject. 1696. fol. Quamplurima etiam nummis qua editis qua ineditis lux à doctiſſimo Viro allata in Exercitationibus duabus de civitatis Romanæ jure, paucioribus primum tempore liberæ Reipubl. atque pluribus ſenſim ſub primis Imperatoribus, deinde omnibus in toto orbe Romano per celebrem Antonini Caracallæ legem data. Hæ exercitationes in eodem theſauro Græviano primum Tom. XI. ſed longe locupletiores deinde ſeparatim Londini 1703. 4. ſub Orbis Romani titulo lucem viderunt. Etiam nummis rarioribus pulcherrimisque paſſim diſtinctæ ſunt ejuſdem ſummi Viri obſervationes in Callimachum, vulgatæ Trajecti 1697. 8. Neque illius notæ in tres Ariſtophanis Comœdias ab hoc eruditarum deliciarum genere deſtituuntur, in quibus p. 289. oboli Attici cum noctua, & p. 283. Epheſiorum nummus Antonini Pii honori tributus ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΕΙΩΝ, ut Dracones in nummis p. 262. deſcriptis prætercam. Ornant hæ Spanhemii obſervationes præclaram Ariſtophanis editionem quam Amſtelædami 1710. fol. curavit Vir & ipſe doctiſſimus Ludolphus Kuſterus.

enim primum de Amazonibus & Sophistis Smyrnæ in honore habitis disputat; mox de Vestæ cultu intra parietes privatos & in Prytaneis plurima congerit antea obscura & sparsa: eam primam fuisse Dearum in Græcis & Asiaticis Civitatibus; sacra huic primum, deinde Jovi facta; huic primum initiatos fuisse Græcos, cultam fuisse in Prytaneis ejus imaginem, sive statuam, cujus signa accurate describit: eandem denique præsertim nummorum ope demonstrat, & Rheæ filiam, & Rheam, & Cererem, & Tellurem, & ignem fuisse. In Prytaneis illustrandis haud minus accuratus & elegans, ita appellata fuisse ostendit loca, in quibus bene de Republica meritis, Hieronicis, Legatis urbium alimenta è publico præbebantur: eadem ob Vestæ cultum & æternum ignem frequens supplicum asylum, & sacra habita fuisse; ac denique eorum curam pertinuisse ad eos qui summum gerebant in urbibus magistratum, atque idcirco Prytanes variis in locis dicti sunt.

5. Ejusdem Spanhemii Dissertationes quinque extant, Morellii Specimini rei nummariæ *y)* subjunctæ. *Prima* explicat nummos duos Ancyræ, in quibus ludi memorantur Asclepii Soterii cum Isthmiis & Pythiis conjuncti: ac primum quidem docet, eos ludos Æsculapio, quem vulgo Servatorem appellarent, factos; deinde varia congerit ad Isthmiorum & Pythiorum originem, solennitatem, & loca in quibus edebantur pertinentia: tum qua de causa Asclepiis conjungantur, aperit; & Pythiorum quidem rationem constare, quod Apolline natus ferretur Æsculapius; Isthmiorum vero Asclepios veluti continuationem fuisse. His addit observationes de vasis diversi generis, quæ in nummis, quibus ludorum memoria consignata est, visuntur cum insertis singulis, pluribusve palmæ ramis: mox num peculiaris quædam ratio Ancyranos impellere potuerit, ut in Æsculapii honorem ludos instituerent aut renovarent, disquirit: postremo quæ ad Ancyram ipsam spectant, illustrat.

Altera Dissertatio est de nummo Nysæ in Caria, in quo occurrunt ΘΕΟΓΑΜΙΑ, ludi in honorem feralium Plutonis & Proserpinæ nuptiarum: in ea vero de quatuor potissimum capitibus disputari adnotavimus;

y) de quo supra num. CXLIX. Prodiit Lipsiæ 1695. 8. Epistolarum ad Begerum à Spanhemio scriptarum meminit erudit. Banduri-us infra, CLXII, 2.

vimus; de ipsa eorum ludorum appellatione; de Scribis, quod genus Magistratus in Asia Proconsulari frequens fuit; de Oecumenici voce; de ludis Iselasticis. In *tertia* Dissertatione nulla causa est cur immoremur; in qua Spanhemius Morellii consilium commendat, & quam lætos & uberes, ipse gloriæ, alii scientiæ & eruditionis fructus ex ejus opere, si aliquando perficiatur, percipere possint, ostendit.

In *quarta* Dissertatione duo Pergamenorum nummi illustrantur. In primo stat Æsculapius in thensa, quam duo Centauri δᾳδῦχοι trahunt: hunc Spanhemius fuisse docet patrium & præsidem Pergamenorum Deum, deinde de baculo serpente circunvoluto, de pompa sacrorum, de Centauris variorum Deorum thensæ jungi solitis, de facum usu in mysteriis varia colligit, simulque cur Æsculapium Centauri vehant, eique faces præferant, solerter investigat. In altero nummo stat Jupiter juvenis cum fulmine & hasta: hinc Solis caput, inde Lunæ; in imo fluvii duo, de quibus, postquam cætera enarravit, sententiam suam profert; hos Selinum & Cetium esse, nisi Selini loco Caicum malis; arreptaque inde occasione, topographiam Pergami, atque universi illius tractus, accuratam exhibet.

Quinta Dissertatio est de ludis in honorem hominum institutis, cujus generis cum plurimos recenset, tum maxime immoratur in iis qui Alexandro, Augusto, Severo, Antonino & Getæ, qui Philadelphii dicebantur, ac denique Antonino soli facti sunt.

CLXII. LAURENTIUS BEGERUS.

LAURENTIUS BEGERUS, *z)* natus Heidelbergæ anno 1653. primum Ser. Electoris Palatini, deinde Ser. Electoris Brandenburgici, sive Regis Prussiæ Consiliarius, ut vocant, ab Antiquitatibus & Bibliotheca, plurima edidit opera ad rem nummariam pertinentia, quorum primum sic inscriptum, 1. *The-*

z) De clarissimi hujus Viri vita & scriptis fuse nuper disseruit Carolus Ancillonius in Vitis quorundam eruditorum Gallice editis Amstelod. 1709. 12. Viri illi eruditi quorum vitas describit sunt præter Begerum nostrum Valentinus Conrartus, Barthol. Herbelotus, Urbanus Cheuræus, Henricus Justellus, Hadrianus Baillet, Jacobus, Benjamin & Ludovicus uterque nec non Joannes & Claudius Auberii & Jo. Baptista Cotelerius.

1. *Thesaurus è Thesauro Palatino Selectus.* Heidelbergæ 1685. fol.

duas in Sectiones tributum est, quarum una gemmas, altera nummos elegantiores Palatinæ gazæ complectitur. Ac de gemmis quidem nihil attinet dicere; nummos vero tribus capitibus illustrandos suscepit vir doctissimus. Primo capite exhibentur numismata Regum aliquot Macedoniæ, Asiæ, Syriæ, Ægypti, Bithyniæ, Ponti, Tyrannorum Siciliæ, ac Philistidis Reginæ, Herodis φιλοκλαυδίε, Batti & Nymphæ Cyrenes, Arati Poëtæ, Hecatomini cum Jove Labranteo, Philetæri, Euphemi Argonautæ cum monumentis Argonauticæ expeditionis, & Cadmeis Serpentibus, Phidonis Argivi cum mensuris suis, Patræi & Taurionis; iisque notæ adjunguntur haud multum uberes quidem, non contemnendæ tamen. Alterum caput repræsentat numismata urbium & populorum, ita disposita, ut primum locum teneat Magna Græcia cum Roma, Cosa & Massilia; alterum Sicilia, Creta, & cæteræ Mediterranei maris Insulæ: has ubi absolvit Begerus, tum Peloponnesum, Græciam, Macedoniam, Thessaliam, Epirum, Thraciam percurrit; mox Bosporum transgressus, Asiæ & Syriæ urbes collustrat, easque, perinde atque superiores, à via, ut ita dicam, salutat; trajecta denique Ægypto Cyrenen revisit, & Carthaginem usque pervadit. Tertio capite breviter enarrantur Numismata Græca & Latina Imperatorum, Augustarum, Cæsarum & Tyrannorum, à Julio Cæsare, bene multa quidem ad Heraclium; ab Heraclio viginti circiter usque ad Manuelem Calo-Joannis filium. Porro nummi hoc in opere cum integri omnes, tum etiam ad unum exemplum incisi in ære sunt, præter admodum paucos qui magnitudine sua præcellebant; adjectæque literæ & numerorum notæ, quæ singulorum metallum & magnitudinem nos docerent.

Alterum Begeri opus hunc titulum præfert:

2. *Observationes & Conjecturæ in Numismata quædam antiqua.* Coloniæ Brandenburgicæ 1691. 4.

& nonnulla complectitur ad Romanas origines spectantia, variaque Romanorum decora in nummis depicta demonstrat: quæ scil. ab Historicis de Herculis in Italiam adventu; quæ de lupa & aquila ab Ænea Lavinium condituro conspectis, quæ de Tulli Hostilii fœdere cum Albanis,

banis, & pace ab eodem Fidenatibus conceſſa narrantur, horum memoriam in nummis conſignatam fuiſſe: in iiſdem commendatas, prudentiam ejus Fabii qui cunctando Romanam rem reſtituit, victorias Sulpicii de Philippo Macedonum Rege, Scauri de Areta, de Bacchio Plautii: ne omiſſam quidem legationem, aut Aburii ad Carthaginenſes & Maſaniſſam, ad auxilia contra Perſeum roganda, aut Syllæ ad Bocchum, ad Jugurtham repetendum: denique cum haud pauca alia in Familiarum Romanarum nummis indicat ab eruditis nondum obſervata, tum Cæſarem juvenem, cum commendatione originis à Venere, & civis ab eo ſervati; item Indutiomarum Trevirum, Auguſti victorias de Sexto Pompejo, ac poſtremo vota ob fratrum concordiam ſuſcepta in nummo Getæ, in quo Janus expreſſus. Nec vero ibidem defuit Begero induſtria aut ſtudium ad illuſtrandos nummos Græcarum urbium, imo forte ſuperfuit; cum enim præter alia Apollinem pileatum in nummis Ætolorum & Cyrenæorum ac Vejovem in Abderitarum nummo videre ſibi viſus fuiſſet, leniter per Epiſtolam caſtigatus eſt à *Spanhemio*, quod à vulgari opinione, quæ in eorum nummorum primo Meleagrum, in altero unum è Battiadis, in tertio denique Apollinem ſtatuebat, deſciviſſet; ac ne ſic quidem ſententia ſua dimoveri ſe paſſus, alteram *Spanhemii* epiſtolam elicuit, in qua perinde atque in priori, & in ea Begeri, multa præclara occurrunt de Apolline, de pileis, de galeis, de Abdera, &c. Sequitur

3, *Spicilegium Antiquitatis, ſive variarum ex Antiquitate elegantiarum, vel novis luminibus illuſtratarum, vel recens etiam editarum faſciculi*, Coloniæ Brandenburgicæ 1692. fol.

quo in opere, cum gemmæ & ſtatuæ haud paucæ, tum in primo faſciculo permulti nummi Græci illuſtrantur: Biſaltiorum cum Minerva Hippia, Caryſtiorum cum Mercurio & Gallo, Samiorum cum Venere, & Veneris concubitu: Syracuſanorum cum Iceta Leontiorum Tyranno, Agrigentinorum cum Acragante Nympha, Buthrotiorum cum Nauplio, necnon Phintiæ Regis, & Herois, ut quidem Begerus opinabatur, Εὐμενὺς: alii è quibus diſcimus, Amorgum deductam fuiſſe coloniam à Samiis, Chium à Cretenſibus, Coum ab Argivis, Chalcedonem à Megarenſibus: præterea Epiri cum bobus, Rhodi cum uvis & ollula, Cythni cum caſeis, Opuntis cum hydria argentea quam Apollini conſecraverant:

rant:

rant: quos nummos omnes, item eum in quo Jovis Casii templo insistit aquila, & nonnullos Syriæ urbium cum ariete, accurate explicat.

Porro ut superioribus operibus haud ineruditi, ita eruditissimi & diligentissimi Antiquarii famam consecutus est eo opere, quo reclusit Brandenburgici Thesauri opes; quibus, cum per se magnæ sint, tum haud vulgaris è Commentario quo veluti ambiuntur, commendatio accessit:

4. *Thesaurus Brandenburgicus Selectus*. Coloniæ Marchicæ 1696. fol.

5. *Continuatio*. Ibid. 1699. fol.

6. *Volumen tertium*. Ibid. 1701. fol.

Quatuor numismatum genera hi libri complectuntur, Regum & Illustrium virorum; Provinciarum & Urbium in quibus nummi Græci cusi sunt; Familiarum Romanarum, ac denique Imperatorum; sed de singulis differendum est. Igitur in primo capite occurrunt Numismata aliquot Mecedoniæ Regum, Archelai, Amyntæ, Philippi, Alexandri: hunc sequuntur quidam ex iis qui heredes ejus vulgo dicuntur, Macedoniæ, Asiæ, Syriæ, Ægypti; necnon Ponti & Bithyniæ Reges, cum Pyrrho Epirota, Siciliæ sive Tyrannis sive Regibus, & utroque Juba: adjunguntur his cum cæteri clari & illustres viri qui in Thesauro Palatino prodierant, præter unum Euphemum Argonautam, tum etiam Posidippus, Posidonius, Nicoclia Heroina, Audoleon Pæoniæ Rex, cujus nummum antea Phidolæ adjudicarat, Diocrates exulum Dux sub Agathocle, Commius Atrebas, Indutiomarus Trevir, Donnus Alpium Regulus, Ninnius Marrucinus; ac denique Ulatus Ateula, cujus nummum referre solent ad Attilam Hunnorum Regem. Non omittenda sunt quæ in primo tertii voluminis capite visuntur numismata, bene multa quidem plerorumque Syriæ Regum & Reginarum, nonnulla vero & ea quidem rarissima variorum Regum Ægypti, Cappadociæ, Ponti una cum vetustissimo Amynta, Pixodaro Cariæ Dynasta, & duobus, ut quidem opinatur, Arvernorum Regibus Bituco & Bitovio: sed ut rara & insignia pleraque sunt, ita in his explicandis ea est Begeri accuratio, qua nulla major esse queat; de singulis enim symbolis in iis expressis ita diligenter disputat, atque ille qui prope justam ad ea Dissertationem conscribere

 vellet;

vellet; & num ad hiſtoriam illuſtrandam conducere poſſint, ſolertiſſime inveſtigat.

Haud minus ad illuſtrandos Urbium nummos ſtudium adhibuit Begerus; nihil enim cujus quidem memoria in eximiis illis antiquitatis monumentis conſignata ſit, ad earum originem, ſitum & ſoli ingenium, decora, ſacra, & varios caſus pertinens, inexplanatum relinquit. Nec vero unum aut alterum cujusque loci nummum, ſed quotquot in ampliſſima gaza ſervantur, tam in primo volumine, quam in tertio protulit: ſed quia eundem ordinem, quem in Palatino Theſauro inſtituerat, ſecutus eſt; hoc eſt, Italiæ primum, & Magnæ Græciæ; deinde Liparæorum, Siciliæ, ac cæterarum Mediterranei Maris Inſularum; mox Græciæ, & populorum huic circunjectorum; poſtea Aſiæ, & Syriæ; denique Ægypti, Africæ, & Hiſpaniæ numiſmata exhibuit, nulla cauſa eſt cur hic immoremur; niſi forte monendus ſit lector, qui nummi antea Tarſi Hiſpaniæ adjudicati à Begero ipſo fuerant, eos nummos Tarſo Phœniciæ reſtitutos eſſe.

Ut in ſuperioribus capitibus & in poſtremo Theſauri Palatini numiſmata cum aliis pluribus publicata ſunt, ita in tertio capite, quod antiquiſſima Romanorum ex ære gravi, Familiarum, & incerta quædam numiſmata complectitur, iterum, ſuis quæque locis, prodeunt ea, quæ in Spicilegio, illuſtrata antea fuerant: verum hujus Commentarii longe alia ratio quam ſuperiorum eſt; tametſi enim omnia hujuſcemodi numiſmata quæ in Brandenburgico muſeo ſervantur, exhibet, non omnia tamen explicat; ſed ſi quæ in Patino deſint, aut ſi in iis quæ habet, ejus aut Urſini diligentiam, acumen, judicium deſideret, in iis ſeſe exercet Begeri induſtria, cætera obiter duntaxat recenſet.

Supereſt poſtremum caput, quo prodeunt Numiſmata Imperatorum, Auguſtarum, Cæſarum & Tyrannorum à C. Julio Cæſare ad Alexium Angelum, non Romæ ſolum, ſed etiam in Coloniis, in Urbibus Græcis, in Ægypto cuſa, & eruditis, tametſi plerumque brevibus notis illuſtrata; ſed earum ratio intelligi non poteſt, niſi univerſæ lucubrationis ratio deſcribatur; quod quidem aliquandiu jam lector à nobis expectat. Non enim eo more quem didacticum appellant, ſed in Dialogorum formam ſcripti ſunt libri iſti: finxit enim Begerus adfuiſſe ſibi amicum quendam antiquitatis amatorem, nec mediocriter eruditum; cui

ſe qui-

ſe quidem Brandenburgicas opes ordine pandiſſe, eum vero ad ſingulas aut ſuam opinionem protuliſſe, aut auctorem ut ſuam proferret rogaſſe: & ſi quidem ipſi conveniret cum cæteris Antiquariis qui eadem monumenta illuſtranda ſuſceperunt, in iis ſe plerumque immoratos non fuiſſe: ſi vero veteres opiniones convellere, novaſque inſerere vellet, tum ut utriuſque partis argumenta facilius inter ſe compararentur, finxit ab amico, cui Archæophilo nomen dedit, illas ſtrenue propugnatas, has gnaviter oppugnatas fuiſſe; eademque ratione ubi monumenta hactenus ignota publicavit, ſuam ſententiam poſuiſſe non contentus, num etiam alia in alterius mentem venire poſſet, anxie quæſivit, eique Archæophilum patronum dedit. Atque hæc ferme dicenda habebamus de præſtanti opere, in quo Numiſmata omnia ita ſcalpta ſunt ut in Theſauro Palatino, cuique ſubjuncti ſunt indices locupletiſſimi.

Sunt & alia Begeri eaque erudita opera *a*) quorum duo,

7. *Cranaë Inſula Laconica, eadem & Helena dicta, & Minyarum poſteris habitata.*
8. *Meleagrides & Ætolia ex Numiſmate* Κυριέων. Coloniæ Brandenburgicæ 1696. 4.

ſimul edita ſunt; ſed hoc brevius, ſingulari diſſertatione conſtat in nummum, quem Lud. Nonnius Cyrii in Cypro Inſula cuſum exiſtimaverat, ipſe ad Cyrium Ætoliæ urbem pertinere demonſtrat, nec Cygnos in eo aut anſeres, ſed meleagrides aves expreſſas eſſe; ejuſque typi ænigma explicat: altero vero, quod prolixius eſt, numiſmata Κραναατῶν & Ελενιτῶν illuſtranda ſuſcepit; primumque ea numiſmata probavit cuſa fuiſſe in Inſula non Artica, verum Laconica, quæ Cranaë, eademque Helena dicta

a) Spectat & huc Begeri ‖ *Contemplatio gemmarum quarundam Dactyliothecæ Gorlæi ante biennium* (Jac. Gronovio editore) *& auctæ & illuſtratæ* Colon. Brandenburg. 1697. 4. In hac enim nummos quosdam jucunde etiam illuſtrat vel cum gemmis veteribus componit; Nam numiſmata Pontificum Romanorum à Begero ex Cimeliarchio Berolinenſi edita & illuſtrata Ao. 1704. fol. velut recentioris ætatis, de induſtria Bandurius prætermiſit, Nec non Begeri Alceſtim pro marito morientem, & pœnas infernales Ixionis, Siſyphi, Ocni & Danaidum ex delineatione Pighiana, ibid. 1703. fol. in quibus de nummis nihil.

dicta est, quod illic stuprum fecerat Paris cum Helena: deinde de symbolis in iis expressis disputavit, ac potissimum de vespertilionibus, in quorum formam mutatas fuisse Myniæ filias, veteres finxere. Hic etiam occurrunt velut corollaria, nummi Gythei, in quo Victoria Actiaca celebratur; Nysæ, in quo Begerus videre sibi visus est umbram cymbæ Charontis insistentem, & ferali illi portitori naulum porrigentem; Athenarum, & Eresii, in quibus varia symbola. An eo loco mentio facienda sit de opere inscripto,

9. *Bellum & Excidium Trojanum ex Antiquitatum reliquiis.* b) Berolini & Lipsiæ 1699. 4.

haud equidem satis scio; in eo enim occurrunt perpauci nummi, duo Hectoris, & totidem Eurypyli, singulares Achillis & Thetidis cum armis, Ajacis manus sibi inferentis, Nauplii facem sceleratam attollentis, Ulyssis domum reducis, prætereaque ille in quo depictum judicium Paridis; qui nummi haud semel antea, vel à Begero ipso, vel ab aliis publicati fuerant, nec observationibus indigebant. At piaculum esset omittere

10. *Regum & Imperatorum Romanorum Numismata &c. à Romulo & C. Julio Cæsare ad Justinianum Aug. cura & impensis &c. Caroli, Ducis Croyaci & Arschotani, &c. olim congesta &c.* Coloniæ Brandenburgicæ 1700. fol.

Tametsi enim nihil in tabulis numismatum immutarit, nec magis constet, quæ aurea fuerint, quæ argentea & ærea; tamen de iis qui ad hæc studia animum appellere volunt optime meritus est, dum in Adnotationibus, quæ ab Alberto Rubenio c) minus recte scripta erant, emendavit, quæ obscure, explicavit; his enim effecit, ut nullus esset tyronibus utilior Commentarius. Begeri fama dignissima etiam est

11. *De nummis Cretensium serpentiferis disquisitio antiquaria.* Coloniæ Marchicæ 1702. fol.

in qua nonnullorum opinio, Cretenses ex Asiaticis, hos è serpentibus ortos fuisse, confirmatur; indeque explicantur numismata Antonii, Augusti, aliorumque Principum in quibus cista depicta est inter serpentes duos. Levior est, quæ eodem anno prodiit,

12. *Colloquii*

b) tabula præsertim quam Raphael Fabrettus illustravit Iliaca. De illa supra, num. CXXXII. c) Vide num. LXXVI.

12. *Colloquii quorundam de tribus primis Antiquitatum Græcarum voluminibus ad eorum Authorem relatio.* Anno 1702. fol.
hanc enim idcirco duntaxat scripsit Begerus, ut suas nummorum quorundam interpretationes adversus Gronovium *) tueretur: quod quidem ita præstitit, ut nec prorsus inutilis sit ea lucubratio, & haud paulo jucundior futura fuisse videatur, si eruditissimum virum minus inclementer exagitasset. Nonnulla etiam ad hanc Bibliothecam Nummariam pertinentia complectitur

13. *Examen dubiorum quorundam.* Berolini 1704. fol.
nam & ad nummum C. Memmii, num ipse Quirinus dictus fuerit investigat, & dictum fuisse asserit, perinde atque in aliis nummis Petillium Capitolinum, & L. Antonium Pietatem: præterea quæ fuerit corona Isthmica? eamque docet contextam olim fuisse è semine & cauliculis, deinde é foliis Selini, eandemque piceam interdum fuisse. Atque hæ quidem sunt Thesauri Brandenburgici veluti appendices: postremum Begeri opus,

14. *L. Annæi Flori Rerum Romanarum libri duo priores ex Criticorum observationibus correcti.* Coloniæ Marchicæ 1704. fol.
eodem consilio editum est, quo Juliani Cæsares ab Ill. Spanhemio: ut enim ab hoc Imperatorum Romanorum, ita ab illo Romanæ Reipublicæ historia brevissime scripta est; plurimaque in utroque scriptore reperias aut obscura, aut à cæteris scriptoribus dissentientia, quibus præclara lux affundi è nummis poterat: quamobrem nullam auctorem suum nummis illustrandi *d)* occasionem amisit Begerus in notis, quas uberrimas ad eum scripsit; prætereaque huic præfixit Italiæ historiam à Jano

* De Gronovii thesauro Antiqu. Græc. dictum n. CLV.

d) Non alienum fuerit ab hoc loco Lectorem monere, quod Francofurti ad Mœnum apud Amplissimum Virum D. Zachariam Conradum ab Uffenbach exstant Julii Cæsaris & T. Livii scripta quæ similiter nummis DCCCCLXXXIII. & Inscriptionibus antiquis DXLII. illustravit Henricus von der Borcht, Comiti Arundelio familiaris, cujus filius Henricus von der Borcht Electori Palatino Carolo Ludovico ab Antiquitatibus fuit. De Floro Clarissimi Grævii industria similiter ex nummis illuminato dictum supra num. CLIV.

ad Romam conditam, eamque ipſam nummis haud paucis Italiæ, Tiberis, Jani, aliisque diſtinxit. Mortuum hunc ajunt Berolini anno 1705. die 20 Februarii.

CLXIII. JOANNES CHRISTOPHORUS BATTELLUS.

Viri Illuſtriſſimi JOANNIS CHRNSTOPHORI BATTELLI Diſſertatio prodiit anno 1702. ad nummum Heraclii Imperatoris, qui tametſi nihil in ſe continet admodum eximii & ſingularis, occaſionem tamen dedit eruditiſſimo viro, plurima notandi plane ſingularia:

Expoſitio Numiſmatis Heracliani, Romæ 1702. in 12.

Videri poſſunt quæ de illa Diſſertatione ſcripſerunt auctores Diarii Trivultiani. *e)*

CLXIV LUDOVICUS DE VALLEMONT.

Eſt in Theſauro Regio nummus Gallieni inſcriptus, VBIQVE PAX, cum Victoria in biga: in adverſa parte Gallieni corona ſpicea, vel potius graminea redimitum caput cælatum eſt, cum hoc elogio, GALLIENAE AVGVSTAE. Plerique hunc nummum cuſum fuiſſe in ludibrium Gallieni contendebant; nec improbabilis eorum opinio videbatur, cum & ignavia illi objiceretur à Treb. Pollione, & ſatis conſtaret nunquam minus prædicari potuiſſe pacem & tranquillitatem Imperii, quod tyranni & barbari certatim dilacerabant. Altera erat acutiſſimi Harduini *f)* opinio, qui, cum nihil in nummis ludicrum, aut ſcurrile, nihil Romana majeſtate & gravitate indignum occurrere exiſtimaret, GALLIENAE AUGUSTAE. ſcriptum eſſe dicebat, pro GALLIENE AUGUSTE. in vocandi caſu; monebatqne nullum fuiſſe Auguſtum Gallieno, ſi nummos teſtes audimus, vel in bello magis ſtrenuum, vel magis acceptum Populo Romano Galliiſque: ſimul quod nonnullos movere poterat corona graminea, docebat è Plinio lib. XXII. Sect. IV. nullam coronam ea fuiſſe nobiliorem.., cæteras militibus Imperatores dediſſe, hanc ſolam militem Imperatori, &c. Sed eundem nummum LUDO-

e) Ao. 1704. p. 1343. Vide ſis etiam Diarium Venetum *Giornale d' Italia* T. XXII. p. 73. ſeq. ubi Battellus à cenſura in priore Diario adverſus ipſum lata defenditur.

f) de numiſmatis ſæculi Conſtantini p. 448. Opp. ſelect.

LUDOVICUS DE VALLEMONT nova ratione explicare aggressus est, peculiari dissertatione g);

1. *Nouvelle explication d' une Medaille d' or du Cabinet du Roy, sur laquelle on voit la tete de l' Emp. Gallien avec cette legende* GALLIENAE AUGUSTAE. Paris 1698. in 12.

Scil. narrat Pollio h) Celsum quendam, olim Tribunum, cum in Africa degeret, Imperatorem factum fuisse auctoribus Proconsule Africæ, & Duce Limitis Libyci; additque: *Quare creatus per quandam mulierem, Gallienam nomine, consobrinam Gallieni, septimo die interemptus est.* Atqui eum Pollionis locum omnes ita intelligebat, per factionem Gallienæ Celsum creatum fuisse Imperatorem; sed ea impellente cæsum fuisse contendit Vallemontius, ideoque cusum fuisse in ejus honorem nummum, in quo caput suum Gallienus consobrinæ nomine cingi, ac veluti corona redimiri voluit. Porro argumentis, quibus novam hanc opinionem stabilire conatus est, vel in hac ipsa Dissertatione, vel in Epistola ejusdem argumenti i) quam anno sequenti edidit, vel in ea quæ in Diariis Eruditorum Ao. 1701. k) publicata est, recensendis aut confutandis, nihil causæ est cur immoremur, cum utrumque abunde præstitum sit à viris doctis: l) sed hæc breviter monere necessarium visum est, quia varias eruditorum de Gallieni nummo opiniones indicare in notis, præter morem nostrum supersedimus. Altera est ejusdem Vallemontii Dissertatio in nummum *Alexandri* Macedonis, quem nonnulli falsum; alii veterem quidem, sed Alexandro recentiorem esse existimant; ipse Alexandri ipsius ætate cusum, fideique Q. Curtio confirmandæ maxime appositum esse contendit; atque ita explicat, ut nihil vero similius excogitari posse videatur, modo hoc unum concedatur, fuisse illa ætate Monetarium ita acri ingenio præditum, ut futura, non conjectura solum, eaque cum præsentibus copulando augurari, sed etiam certo velut divine prædicta scire potuerit. Ejus Diatribæ titulus hic est:

Z 2 2. *Disser-*

g) Hæc è Gallico Italice versa legitur in Diario Veneto *Galleria di Menerva* T. IV. parte 2. p. 17-29. Latine in Christoph. Wolterecki electis rei nummariæ p. 168.

h) in XXX Tyrannis c. 29.

i) Journal des Savans Ao. 1699. p. 647. edit. Amst.

k) p. 557. edit. Amst. l) Carolo Cæsare Baudelot & Antonio Gallandio, Infra, num. CXCVI. & CLXXIV.

Dissertation sur une Medaille singuliere d' Alexandre le Grand, par laquelle on justifie l' Historie de Quinte-Curce. Paris 1701. in 12.

quam deinde adversus tres viri docti, qui ἄδηλος esse frustra voluit, epistolas, fortasse paullo acrius propugnavit in libello inscripto:

Reponse à M. Baudelot, ou se trouve detruit tout ce qu' il a avancé contre l' antiquité de la Medaille d' Alexandre le Grand, & contre la Dissertation faite sur cette Medaille singuliere. Trevoux 1706, in 12.

CLXV. JOANNES ANTONIUS MEDIOBARBUS.

Joannes Antonius Mediobarbus, Clericus Regularis, eruditi patris non ineruditus filius, *m*) novam rationem nummos commendandi iniit, ex his nimirum contexendo Panegyricum Principi vere Magno, quem ante hos tres annos tam pia mors, quam mirabilis vita fuerat, cœlo reddidit. Ejus Oratio titulum hunc præfert:

Ludovico Magno Panegyricus Imperatorum Romanorum nummis contextus, in Gallicum à Car. Cæs. Baudelot de Dairval, in Italicum ab ipso Auctore translatus. Paris. 1703. 4.

Ejusdem Mediobarbi dissertatio extat in diariis Trivultianis mense Decembri 1703. *n*) in nummum Sept. Severo cusum ab Acrasiotis in Lydia, quæ Dissertatio in Begerum potissimum scripta est, quod Harduino male lecto, Acrasum alteram in Lybia posuisset.

CLXVI MICHAEL ANGELUS DE LA CHAUSSE.

Michael Angelus de la Chausse, Parisiensis, qui Romæ sedem fixit, Dissertationem elegantem scripsit in nummum Constantini M. in-

m) Ab hoc Tomum Græcorum numismatum, cui Parens immortuus fuit, exspectare jussi pridem sumus in Memoriis Trivultianis A. 1701. mense Sept. & Octobr. p. 364. edit. Amst. De Patre, Francisco Mediobarbo dictum n. CXIII.

n) edit. Trivoltianæ. Nam in Amstelod. occurrit A. 1705. mense Januar. p. 29. & Latine ex Gallico versa in Christoph. Wolterecki electis rei nummariæ p. 142.

M. inscriptum, GLORIA EXERCITVS GALL. quo in nummo de cæso Maxentio, ac liberata Roma exercitui gratulatos fuisse monetarios contendit, eademque ratione intelligendam censuit alteram epigraphen VIRTVS EXERCITVS GALL.

Aureus Constantini nummus, de Vrbe, devicto ab exercitu Gallicano, Maxentio, liberata explicatus. Romæ 1703. 4. *o)*

Ejusdem est Dissertiuncula de signis militaribus, quæ prodiit volum. x Antiquitatum Romanarum. *p)*

CLXVII. N. GENEBRIER.

N. GENEBRIER, Doctoris Medici, duæ extant Dissertationes; prima de *Magnia Urbica*, cujusnam Principis uxor fuerit? Hanc Occo Magnentio nuptum collocaverat, Tristanus Maxentio; utrumque in eas opiniones impulerat sola nominum affinitas & similitudo: at hic scriptor demonstrat, literas quæ in in imo nummorum Magniæ margine leguntur, nec ante Aurelianum, nec fere post primos Diccletiani annos occurrere in cæteris numinis, quorum præterea artificium simillimum est ei, quod in nummis Principis feminæ animadvertitur; quamobrem eam intra decennium illud vixisse, quod inter Claudii mortem & Diocletiani initia intercessit: quoniam vero duorum liberorum matrem eam fuisse constat è nummo maximæ formæ, in quo pudicitia, aut verius fecunditas ejus commendatur, Cari, quam alterius cujusquam eorum Principum quos interea terris fata ostenderunt, conjugem fuisse, propius vero videri.

Altera Dissertatio est *de Nigriniano*, quem Occo Constantii ætate rebellasse, Tristanus Alexandri Africæ Tyranni filium fuisse conjecerant, tametsi ipsa nummorum fabrica, & literæ in eorum imo margine expressæ, Divum illum Magniæ Urbicæ coætaneum fuisse indicarent. Sed quanti facienda sit docti viri conjectura, Nigrinianum ex Aureliani familia,

o) Recusa hæc diss. in iisdem electis p.283.

p) Alia Causei scripta in eodem Grævii thesauro T. V. &. XII. obvia, ex ejus Tomo I. Musei Romani sive thesauri eruditæ Antiquitatis edito Rom. 1691. fol. & Tomus secundus Ao. 1700. excusus nec non Gemmæ antiquæ, eodem anno Rom. 4. vulgatæ, velut ab suo argumento aliena de industria à Bandurio prætereuntur,

familia, & quidem vel ipſius, vel ejus ſororis, fratriſve filium fuiſſe videri, quod in Domitia gente fuerit olim Nigrinus Conſul Ælii Cæſaris pater, peritiores viderint; profecto eâ ſibi ipſe adeo non ſatisfecit, ut alteram deinde proferret, Numeriano forte natum fuiſſe. Nec vero aſpernanda eſt hujuſce Commentarii longitudo, quæ nonnullis immodica viſa eſt: ex hac enim vel illum fructum percipere licet, ut ne in re incerta, & quam nulla vis ingenii explicare queat, operam deinceps conteramus: prætereaque delectat auctoris acumen in interpertando Probi nummo inſcripto, ADLOCVTIO AVG. Hi ſunt Diſſertationum tituli: *p*)

Diſſertation ſur Magnia Vrbica, &c. Paris 1704. in 12.

Diſſertation ſur Nigrinianus, &c. Paris 1704. in 8.

ſed in poſteriori alia quædam occurrunt haud injucunda cognitu; primum enim huic præfixit velut alteram Diſſertationem, in qua ſuam de Magnia Urbica opinionem adverſus doctum quendam virum *q*) tuetur; deinde in ipſo Commentario demonſtrat, qui Maximianus Jun. in aliquot nummis dicitur, eum eſſe Galerium Maximianum Conſtantii Collegam; item recte ſcriptum ab Erud. Harduino fuiſſe, Conſtantium Jun. eundem eſſe quem auctores Gallum appellant, eique adſcribendos eſſe nummos omnes, quotquot Cæſarem nudo capite, virili vultu, naſo longiori ac pene adunco exhibent. Utrique Diſſertationi adjuncta eſt tabella una ænea Numiſmatum.

CLXVIII. CLAUDIUS GROS DE BOSE.

Has Diſſertationes brevi intervallo excepere duæ Diatribæ, Gallico ſermone ſcriptæ à viro eruditiſſimo CLAUDIO GROS DE BOSE, Perpetuo Regiæ Inſcriptionum Academiæ Secretario, de *Jano* veterum, ac de cultu *Salutis* Deæ. In utraque eruditio certat cum elegantia; ac prima quidem hunc titulum præfert,

Diſſertation ſur le Janus des Anciens, & ſur quelques Medailles qui y ont rapport. Paris 1705. in 12.

in eaque cum variæ de Jano opiniones diſcutiuntur, & quæ ad ejus cultum

p) utramque è Gallico verſam latine legere licet in electis rei nummariæ Chriſtoph. Woltereckii p. 215. & 246.

q) Nic. Henrionium.

tum pertinent mirifice illuſtrantur, tum etiam numiſmata haud pauca accurate ſcalpta explicantur: altera vero cum hocce titulo comparet:

Diſſertation ſur le culte que les anciens ont rendu à la Deeſſe Santé. r) On y a jointles Medailles, &c. qui ont rapport à cette matiere. Paris 1705. in 12.

qui titulus cum perſpicue doceat quod fuerit doctiſſimi auctoris conſilium, ut ſingula indicemus, minus nobis laborandum eſt; maxime cum nihil in illa Diſſertatione, haud magis quam in ſuperiori, luxuriet, argumentumque à ſe ſuſceptum vir eruditiſſimus tam breviter, quam plane & aperte tractaverit.

Ejuſdem elegantiæ eſt, quæ in Diariis Trivultianis anno 1706. menſe Auguſto *s)* prodiit Diſſertatio *de Termino Deo*, cujus cultum ut illuſtraret, numiſmatis potiſſimum uſus eſt.

CLIX. N. * OUDINET.

Nuper in Hiſtoria Regiæ Inſcriptionum Academiæ *t)* editæ ſunt viri humaniſſimi N. Oudinet, dum viveret Regiorum Numiſmatum cuſtodis, duæ Diſſertationes, quæ in Academia lectæ fuerant annis 1705. & 1706. Prima eſt de nummis Athenienſium, inter quos nullus ad hanc ætatem uſque repertus eſt, qui Principum Romanorum effigiem referret, nullus contra quin Minervæ cultum exhiberet, aut ſolum, aut cum Jovis cultu conjunctum. Altera Diſſertatio

r) Cum hac eleganti diſſertatione Lectorem conferre juvabit exercitationem *de Dea Salute* quam Londini A. 1717. 4. edidit vir doctiſſimus *Guilelmus Musgrave.*

s) p. 1380-1395. His addere licet ejuſdem Boſiii Obſervationes *de nummis Crotoniatarum* quæ occurrunt T. I. p. 290-294. præclari operis quod Pariſiis primum A. 1718. in 4to. deinde Amſtelod. hoc ipſo anno 1719. 12. Gallice lucem vidit, & quatuor Voluminibus conſtat, hoc titulo: *Hiſtoire de l'Academie Royale des Inſcriptions & belles lettres depuis ſon établiſſement jusqu' à preſent.* Etiam diſſertatio de Deo Termino legitur in Tomo II. hujus Hiſtoriæ p. 63. edit. Amſtelod. * Antonius.

t) Ambæ exſtant Tomo primo p. 270. & 280-290.

tatio eſt de nummis Lacedæmoniorum: in illis plerumque Dioſcuri depicti ſunt, interdum Lycurgus, etiam in nummis Imperatorum; quibus de cauſis, nemo neſcit, quas vir doctus cum enarraviſſet, alias etiam adjunxit, quæ nobis quidem paulo ſubtiliores videntur; ita enim comparati ſumus, ut ultra illud quod indubitanter verum eſt nihil quæri velimus; itaque in nummis Urbium, ſi quis Triſtani more numina expreſſa ad res Imperatorum geſtas referre velit, eruditionem ejus, diligentiam, acumen mirari ſolemus, ſed eam tamen ſequi malumus nummos explicandi rationem rudiorem & minus ornatam, quæ certa numina idcirco in nummis, puta Lacedæmoniorum inſculpta eſſe docet, quod in horum tutela eſſent Lacedæmonii, illave maxime coierent.

CLXX R. P. BERNARDUS DE MONTFAUCON.

R. P. BERNARDI DE MONTFAUCON, Monachi Benedictini, nobilibus orti parentibus in Occitania, quanta ſi eruditio, quæ diligentia, quod denique acumen, nemo ignorat qui literas norit. Cum ferme omnia quæ ad memoriam inſignia ſunt in Italia, oculis ipſe ſuis colluſtraſſet, quæ ab aliis prætermiſſa erant collegit in eo libro, quem inſcripſit:

Diarium Italicum, ſive Monumentorum, Bibliothecarum, Muſeorum, &c. notitiæ ſingulares in Itinerario Italico collectæ. Pariſiis 1702. 4.

qui liber cum varias antiquitates quibus nummi illuſtrentur complectitur, tum etiam nummos aliquot rariſſimos. Sunt etiam quædam in eximio de Palæographia Græca opere *u*) libri ſecundi capita, in quibus vir eruditus de vetuſtiſſimis Græcorum literis diſputat, non ſolum Inſcriptionum ope verum etiam numiſmatum, in quibus cum monogrammata plurima lectu difficillima occurrant, eorum aliquot ad ſpecimen interpretatur. Plura *x*) intra biennium expectamus, quæ dignisſima erunt ejus fama.

CLXXI.

u) Prodiit Paris. 1708. fol.

x) Reſpicit Bandurius Opus pulcherrimum complexurum veterum omne genus monumentorum, quod propediem præla & cælatorum manus evadet, & ſub titulo *Antiquitatis explanatione & ſchematibus illuſtratæ* Latine & Gallice eruditorum uſibus ab accuratiſſimi Montfauconi induſtria adornatur, quinque Volum. in fol.

CLXXI. SPIRIDION POUPART.

Vidimus etiam R. P. SPIRIDIONIS POUPART, ex Tertio Ordine Pœnitentium S. Francisci, vulgo *Piquepus*, y) libellum inscriptum,

Reflexions sur la science des Medailles. Paris 1705. in 12.

in quo vir doctus demonstrare instituerat, nummos libris scriptis ad perdiscendam historiam veterem non minus utiles esse, in iisque contrectandis majorem percipi voluptatem, quam in evolvendis libris.

CLXXII. MOREAU DE MAUTOUR.

Inter cætera literaturæ monumenta, z) in Regia Inscriptionum Academia olim lecta, edita est viri docti MOREAU DE MAUTOUR, Regiorum Computorum in Curia Pariensi Auditoris, Dissertatio de Deo *Bono Eventu*, ac de nummis in quibus depictus est: qua in Dissertatione quæ sint Boni Eventus attributa, quæ illius cultus origo, perspicue docet; deinde numismata ejus omnia jam inde à Galba ad Gallienum usque ita explicat, ut singularem quandam uniuscujusque Imperatoris felicitatem iis prædicatam fuisse appareat. Erudita Dissertatio est, ac diligenter scripta: paulo tamen obscuriora sunt, quæ de Bono Eventu inter Consentes Deos a) relata in principio leguntur.

Aa CLXXIII.

y) *On apelle à Paris ces Religieux* Pique-puces *du nom d' un petit village qui est au bout du Fauxbourg saint Antoine, & qu' on nomme Pique-puce.* Hæc Richeletus.

z) Histoire del' Academie Royale des Inscriptions & belles lettres Tom. IV. p. 78-111.

a) Saltim à Consentibus urbanis *Bonum Eventum* diserte distinguit Varro lib. 1. cap. 1. de re rustica. *Et quoniam, ut ajunt, Dii facientes adjuvant, prius invocabo eos: nec ut Homerus & Ennius Musas, sed duodecim Deos Consentes. Neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum accuratæ exstant, sex mares & feminæ totidem* (Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.) *Sed illos duodecim Deos qui maxime agricolarum duces sunt.* Jovem & Tellurem, Solem & Lunam, Cererem & Liberum, Robigum ac Floram, Minervam & Venerem, Lympham & Bonum Eventum.

CLXXIII. JOANNES NICOLAI.

JOANNES NICOLAI; Antiquitatum Professor, *b*) & Contub. Tubingensis Rector, in tractatu *de siglis veterum* Lugduni Batavorum edito anno 1706. in 4. duobus capitibus XXI. & XXII. numismatum sigla explicare conatus est; qua de causa ejus mentio facienda erat.

CLXXIV. PAULUS ALEXANDER MAFFEI.

PAULUS ALEXANDER MAFFEI, Patritius Volateranus, eximii Operis *c*) quod inscripsit,

Le Gemme Antiche figurate. In Roma 1707. 1708. 1709. 4. vol. in 4.

tertiæ parti unam, quartæ quinque in rarissimos nummos dissertationes subjunxit. Prima est in nummos duos maximos Antonini Pii & Faustinæ: & in illius quidem nummo, in quo stant, hinc Jupiter dextra hastam, sinistra fulmen tenens; inde Atlas cœlum gerens humeris; inter utrumque ara, sive cippus, in cujus basi Gigas fulmine postratus jacet: cum Antonini prudentiam & virtutem his symbolis commendari arbitratus est, tum etiam victorias de Barbaris, quas quia non suo ductu, sed per Duces retulit, idcirco Jovem habitu pacifico repræsentatum fuisse; præterea ne quid in nummo inexploratum relinqueret, etiam illa vulgaria congessit de statura Deorum & Heroum humana majori, de Gorgonis effigie in Jovis fibula, de Consulatu, de Tribunitia Potestate, de titulis Augusti, Imperatoris, Patris Patriæ. Quod vero ad Faustinæ nummum spectat, quia in illo Diva est, de Consecratione disputavit, ejus originem demonstravit eandem esse quam idololatriæ, progressionem accurate, præsertim in Romano Imperio persecutus est; minus recte tamen Constantinum & ejus successores ad Justinianum usque eadem propemodum ratione qua superiores Principes consecratos fuisse conjecit; denique cur Diana Lucifera cælata sit in hoc nummo quem illustrandum susceperat, investigavit.

Altera Dissertatio est de nummo M. Antonii & Cleopatræ, in qua Triumviri illius, & Bibuli Præfecti, aut potius Prætoris historiam illustrare conatus est eruditissimus vir: tertia vero de numo maximo Com- modi

b) defunctus est A. 1708. 9. August.

c) De hoc opere consules ubi lubebit Acta Eruditor. T. IV. supplementi p. 301. & Ao. 1713. p. 300.

modi ſacris Neptuni operantis, juxta quem Pharus, & naves duæ velivolæ, cum lemmate VOTIS FELICIBUS. quem nummum ſcripſit monumentum eſſe vel expeditionis Britannicæ, vel potius Africanæ Claſſis à Commodo inſtitutæ, ut ſubſidio eſſet, ſi quando frumenta ex Ægypto haud ſatis opportune in Urbem Æternam adveherentur.

In quarta Diſſertatione nummus maximus Treb. Galli qui in noſtra ſerie deeſt, illuſtratur: hunc Erudit. Maffæus ſic deſcripſit; IMP GALLUS AUG. IMP VOLUSIANUS AUG. Treb. Galli & Voluſiani capita laureata adverſa.

PON MAX TR P II COS II ET COS. Imperatores duo togis pictis induti in curru ſex equis juncto à Victoria coronantur; currum prætoriani quatuor, hinc & inde duo, comitantur. In ejus vero explicatione pleraque collegit, quæ de Principum Romanorum triumphis notata à viris doctis & animadverſa ſunt; ſed ut hæc exſcribere animus non eſt, ita neceſſarium videtur monere, quod conjectura vix aſſecuti eramus, id firmiſſimis argumentis demonſtratum ab illo fuiſſe, Hoſtilianum ſcil. anno 352. *d*) & quidem ante Kalendas Auguſti aut peſte abſumtum, aut veneno occiſum fuiſſe, Voluſianumque continuo Auguſtum factum: id enim cum ex hocce nummo ſingulari conſtat, tum etiam ex inſcriptione quam pag. 65. exhibuimus.

Quinta Diſſertatio eſt de nummo maximo Diocletiani, in quo ſolitus typus Monetarum trium, ejuſque explicatio tota conjecturalis eſt, & vulgari opinioni innixa, Principem illum divinos honores uſurpaſſe, & pro Jove præſenti haberi voluiſſe; idcirco enim & ejus caput nudum eſſe, & in averſa parte expreſſam eſſe Monetam, quæ haud diverſa eſſet ab Æquitate, quam Sophocles Ζηνὸς σύνεδρον eſſe dixit. Sexta de nummo item maximo Val. Maximiani, quem, quia in ſerie deeſt, hic ex ipſo Maffæo exſcribere juvat: IMP C M AUR VAL MAXIMIANUS P F AUG. Caput Val. Maximiani leonis exuviis tectum.

JOVI CONSERVATORI AUG. Templum, in cujus atrio ſtat Jupiter, fulmen dextra, haſtam ſiniſtra tenens; ad pedes aquila: in templi epiſtylio JOVIUS AUG. *è Muſ. Sabbatini.*

Enim vero non JOVIUS AUG. ſed JOVIOMUC. hoc eſt, *Jovi Optimo, Maximo,*

d) error typographi pro 252. ut recte excuſum in Bandurii nummis Imperatorum T. 1 p. 65.

mo, Victori, Conservatori. legi hoc in nummo debuisse constat ex altero Diocletiani simillimo: ideoque existimo, expressum hic esse templum quoddam, quod Jovi suo Diocletianus construi jusserat: sed tametsi hanc opinionem haud improbabilem esse, illudque templum vel Jovi & Herculi in Capitolio, vel soli Jovi, quo loco modicum huic sacellum, aramque Domitianus posuerat, ædificari potuisse agnoverit Clar. vir, maluit tamen cusum fuisse nummum in honorem Diocletiani, Jovis personam jam ferentis; templumque illud non templum fuisse, verum ædiculam, quales ad ludos solennes, Theatri Circive ornandi causa effingi solebant; ideoque monumentum hoc esse ludorum quorumdam, quos Maximianus ediderit in honorem Diocletiani, quem Jovis habitu repræsentari, dubitanter tamen, scripsit; indeque arrepta occasione de sigillaribus, sive ædiculis, quæ vel in privatis armariis & larariis, vel in ædibus sacris, vel in publicis locis servabantur, & à Græcis Ναΐδια & Θησαυροὶ vocabantur, accuratissime disseruit.

CLXXV. PAULUS PEDRUSI.

Paulus Pedrusi, è Societate Jesu, Numismata Musei Farnesiani, sivi Serenissimi Parmæ Ducis*) publicavit: primum quidem aurea à Pompeio ad Constantem II. deinde argentea à C. Julio Cæsare ad Heraclium; maxima ex ære; atque horum pleraque ex eorum genere sunt, quæ vocant conturnitata; nonnullaque ibidem illustrium virorum Imperatoriis præfixa visuntur: postremo ærea primæ formæ à Julio Cæsare ad L. Ælium. Si singulorum numerum scire juvat, in octo & viginti æneis tabellis cælata sunt Numismata ex auro ducenta triginta: multo major est argenteorum copia, quippe quæ ad nongenta numero complexæ sint una & septuaginta tabulæ: at quos *Medaglioni* vocant, haud plures centum & sexaginta sunt, eosque in septem & viginti tabulis exhibuit Pedrusius: ærea vero primæ formæ numero trecenta viginti in tabulis quadraginta incisa sunt. Nummis adjunctus est perpetuus Commentarius, novo prorsus stylo conscriptus; in quo si quis reconditam eruditionem quæsierit, fecerit contra mentem Pedrusii, qui hoc unum sibi proposuisse videtur, ut arrepta è nummis occasione, Nobilium adolescentum, qui in Parmensi Collegio humanioribus literis operam

*) Francisci I.

operam dabant, animos ad virtutem inflammaret, & à vitiis quæ Romani in plerisque Principibus deteſtati ſunt, averteret. Sed librorum tituli exſcribendi ſunt:

1. *I Ceſari in oro raccolti nel Farneſe Muſeo, e publicati colle loro congrue interpretazioni.* In Parma 1694. fol. *c)*
2. *I Ceſari in argento, da Giulio Ceſare ſino a Eraclio. d)* 3. vol. fol.
3. *I Ceſari in Medaglioni.* In Parma 1709. fol. *e)*
4. *I Ceſari in Metallo grande, da Giulio Ceſare ſino a L. Elio.* In Parma 1704. fol. *d)*

CLXX. NICOLAUS CHEVALIER.

NICOLAUS CHEVALIER, Gallus, cum cætera veteris ævi monumenta, quæ Ultrajecti in Muſeo publico ſervantur, ederet, numiſmata non omiſit, eaque ter centena numero in quinque & viginti æneis tabulis incidi curavit ad unum exemplum; ſed cujus metalli modulive fuerint cur non monuerit neſcio; quod enim nullas ad ea notas ſcripſerit, minus mirum videtur, cum ea ſciret à viris doctis illuſtrata jam eſſe: haud enim eximios quoſdam & ſingulares nummos hic quæras cenſeo, familiarum omnes ſunt, aut Imperatorum ad M. Aurelium uſque, ſæpius publicati; niſi rari habeantur, qui revera adulterini ſunt, & recentes conficti, cujuſmodi nonnullos in eo libro deprehendi, quos profecto alterius cujuſvis, quam auctoris hujus conſilio editos credere malim. Operis titulus hic eſt:

Recherches curieuſes d' Antiquitez, &c. que l'on voit dans la Chambre des raretez de la ville d' Vtrecht. Utrecht 1709. fol. *e)*

CLXXVII. INCERTUS.

Extat ab Anglo quodam, qui nomen ſuum non prodidit, concinnata

c) Vide Acta Eruditor. Ao. 1696. p. 57.

d) Parmæ A. 1701. 1703. & 1704. Vide Memorias Trevoltianas Ao. 1708. p. 210. 431. Acta Eruditor. Ao. 1706. p. 427.

e) Vide Acta Eruditor. Ao. 1713. p. 294 Giornale d' Italia T. X. p. 23. *d)* Giornale d' Italia T. XXII. p. 167.

e) Journal des Savans 1709. menſe Junio p. 496. edit. Amſtelæd.

Numiſmatum Antiquorum ſylloge, Populis Græcis, Municipiis, & Coloniis Romanis cuſorum. Londini 1708. 4. *f)* In ea ſunt Numiſmata Imperatorum à C. Julio Cæſare ad Carum, non pauca, ſed obvia, præter admodum viginti quæ in ære inciſa ſunt. Notæ raræ, quæ lectorem haud multum juvent, & parum morentur. Subjuncta eſt Appendix Numiſmatum quorundam Regum Syriæ, Ægypti, & Urbium Græcarum.

CLXXVIII. INCERTUS.

Sunt etiam in Diariis Trivultianis anni 1709. Epiſtolæ novem à viro quodam pereruditō, & acris ac limati judicii ſcriptæ de optima nummos explicandi ratione: in quibus poſtquam regulas duas *g)* ab errore tutiſſimas ſtatuiſſet; ab hiſtorica veritate nunquam eſſe recedendum; in nummorum explicatione id potiſſimum ſequendum, quod frequentatum fuiſſe conſtat, docuiſſetque in utramque regulam conſulto ac per imprudentiam ſæpiſſime peccatum eſſe noſtra ætate à viro acuto & docto; * tum literas quæ in imo nummorum margine & in area, ac numerales notas interpretatus eſt, demonſtravitque à vero alieniſſimas eſſe quas idem excogitaverat literarum ac numerorum explicationes.

CLXXIX. ANTONIUS GALLAND.

Varia extant Antonii Galland, *h)* opuſcula, quæ nobis indicanda

f) Acta Erud. A. 1710. p. 22. Memoires de Trevoux A. 1709. p. 270. & 1237.

g) menſe Aprili A. 1709. p. 694. & 706. Cæteræ Epiſtolæ leguntur in menſe Junio p. 1024. Exſtant & eodem anno quæ huc ſpectant alia ut p. 93. *Suite de la diſſ.* (Ao. 1707.) *ſçavoir ſi les Medailles ont eſté des monnoyes ou non?* P. 644. *Explication d'une Medaille de Neron.* P. 467. *Lettre au ſujet d'un threſor de* (36000) *medailles qu'on a trouvé.* P. 1237. *Lettre ſur quelques articles des Memoires ou il eſt parlé de Medailles.* P. 2164. *Explication d'une Medaille de Tetrique.* * Jo. Harduino

h) In Maſſoni Hiſtoria Critica Reip. litterariæ T. IX. p. 331. diem obiiſſe traditur menſe Martio A. 1715.

canda sunt; sed alia seorsim, alia variis in libris prodiere. In Miscellaneis Gallicis Sponii *i*) xv. Dissertatio de nummo Treb. Galli à Colophoniis cuso, in quo tredecim Ioniæ urbes Apollini Clario sacrificant: seorsim, Epistolæ tres prima de nova quatuor Gordianorum Historia, quam vir doctus *k*) scripserat, ut auctores à Capitolino laudatos inter se conciliaret; altera de nummis quatuor Juliæ Mamææ, Marinianæ, Pacatiani, Postumi utriusque, à R. P. Steph. Chamillart *l*) publicatis: tertia de ea quam Vallemontius *m*) excogitaverat nova explicatione nummi Gallieni, in quo Gallienam Augustam exhiberi arbitrabatur.

1. *Lettre touchant l' Histoire des quatre Gordiens.* Paris 1696. in 12.
2. *Lettre touchant quatre Medailles antiques publiées par le P. Chamillard.* Caën 1697. 8.
3. *Lettre touchant la nouvelle explication d' une Medaille d' or du Cabinet du Roy.* Caën 1698. in 12. *n*)

præterea de nummis Tetricorum, & aliis à V. C. Georgio de Ballonfeaux comparatis, ac de variis cum ipsius viri docti, tum maxime Harduini in illos nummos conjectationibus.

4. *Observations sur les explications de quelques Medailles de Tetricus le pere, & d' autres tirées du Cabinet de M. de Ballonfeaux.* Caën 1701. in 12.

In Diariis Trivultianis, mense Julio anni 1701. de nummis Gratiani, *o*) in quibus AVG G AVG. dicitur; eodem anno, mense Septembri, de nummo Caracallæ in quo Βασιλεὺς dicitur, frustra reclamante viro doctissimo, quem Gallandius refellit: anno 1702. mense Maio, excerpta è literis ad Morellium, occasione Epistolæ quam ad Perizonium scripserat de nova Consularium nummorum editione *p*): item mense Septembri,

i) editis Lugd. 1683. 4. supra num. CXVII.
k) Jo. Baptista du Bos, de quo num. CL.
l) vide num. CXCIII. *m*) de quo num. CLXIV.
n) Hæc Latine versa una cum Vallemontii diss. occurrit in electis rei nummariæ Christoph. Woltereckii p. 189.
o) Duæ Gallandii de numis Gratiani diatribæ, cum Anonymi contrariis Latine exstant in iisdem Woltereckii electis p. 331. & 339.

bri, de nummo Augusti, *q*) in cujus aversa parte columna visitur cum epigraphe CC AVGVSTI. quas literas cum vir doctus ita interpretatus esset *Circenses Augusti*, Gallandius argumenta quibus illa interpretatio nitebatur solvere conatus est, & alteram protulit, *Caii Cæsaris Augusti* nummumque prodidit cusum fuisse in monumentum columnæ Milliariæ: anno 1714. mense Januario *r*) de nummo Hadriani, in cujus aversa parte legitur REISTITUTUS AUG.

In Historia Regiæ Inscriptionum Academiæ *s*) Dissertationes variæ: prima de Domitio Domitiano, quem quidem demonstravit, non Aureliani, verum Diocletiani ætate imperavisse, sed alia simul de Achilleo prodidit quibus assensum præbere non passumus: altera de nummis Constantii Galli, *t*) qui diu inter nummos ejus patruelis Constantinii, filii Constantini M. delituerunt: tertia de nummo Helenæ cujusdam *u*) quæ HELENA N F. dicitur: hanc esse Constantini matrem contendebat Gallandius, quod ut probaret, varia scripsit quæ cum historica veritate minus congruunt: quarta denique de formulis S C & GX S C. *x*) quas inter se diversas esse arbitratus est; ac formula quidem S C. moneri nos, nummum ex auctoritate Senatus cusum fuisse; alteram vero indicare, certos quosdam honorum titulos Principi, vel illustri viro qui illis ornatus est, concessos fuisse à Senatu.

CLXXX.

p) in iisdem electis p. 67.

q) Alia Gallandii dissertatio de hoc nummo extat in Massoni T. II. Hist. Criticæ Reip. litterar. p. 1-41. in qua eandem interpretationem suam tuetur etiam contra Vaillantii Doctoris quondam sui opinionem qui CC. intellexerat de ducentis millibus Civium Romanorum, quibus annonam dividendam largitus fuerit Augustus, nec non adversus sententiam V. C. Jo. Caroli Schott, qui legit *Ducenarii Augusti*, de qua infra num. CLXXXV.

r) p. 104-108. *s*) T. I. p. 311. seq. edit. Amstelod.

t) id. p. 316. *u*) id p. 308.

x) id. p. 321. Ad eodem Gallandio promissum *Lexicon Numismaticum*, quo nomina Deorum Dignitatumque & alia in nummis occurentia illustrare instituit & descriptionem dare selectorum numismatum Musei Foucaltiani cujus custos fuit intelligentissimus. Vide Acta Eruditor. A. 1713. p. 240. 480.

CLXXX. CHRISTIANUS FRIDERICUS RUHE.

Christianus Fridericus Ruhe, Arnſtadienſis, laudabilem operam impendit in illuſtranda, veterum nummorum ope, γραμματικῆς Latinæ arte. Ejus ſunt

Specimen Philologiæ Numismatico-Latinæ primum. *Et Specimen Philologiæ Numiſmatico-Latinæ ſecundum.* Francofurti & Lipſiæ 1708. 4.

in quibus literarum figuram & permutationem examinat, de digammate Claudiano, *y*) ac de more vocales longas delineandi diſſerit, διφθογγολογίαν, ut vocat, veterum numiſmatum, ac veterum variationem in aliquot vocibus ſcribendis demonſtrat, alia denique colligit quæ ad ſcribendi artem pertinent, tam utilia, quam jucunda cognitu.

CLXXXI. CHRISTOPHORUS WOLTERECK.

Eſt etiam Christophori Woltereck* mentio facienda hoc loco, quod anno 1709. triginta quinque eruditorum virorum *z*) diſſertationes quibus nummi illuſtrantur, ſparſas collegit, & eas quæ Gallico ſermone ſcriptæ erant, in Latinum vertit. Libro titulum hunc tribuit:

Electa rei Nummariæ, ſive Selectæ Diſſertationes de rarioribus nummis antiquis tam Græcis quam Latinis Hamburgi 1709. 4.

has inter primum locum obtinent, quæ Deos ſpectant, ſequuntur eæ quibus nummi Conſulares exponuntur: poſtremo exhibentur qvæ ad nummos Imperatorum pertinent: ad calcem additæ ſunt in quinque æneis tabellis numiſmata, quæ ſinguli auctores diſſertationibus ſuis adjunxerant.

y) De hoc conferendi Viri docti ad Suetonii Claudium c. 41. & Tacitum XI. 13. Annal.

* Gluckſttadienſis Holſati, de quo ſupra p. 139. & 80.

z) Illi ſunt præter *Anonymos* quosdam, *Claudius Gros de Boſe, Stephanus Chamillard, Mich. Angelus Cauſeus, Anton. Gallandus, N. Genebrierius, Franciscus Graverolius, N. Grainvillius, G. G. Leibnitius, Jo. Antonius Mediobarbus, Jo. Meierus, N. Moiſſonierius, Andreas Morellius, Jo. Chriſtoph. Olearius, Andr. Erasmus Seidelius, Renatus Joſephus Turnemine, Jo. Foy Vaillant*, & *Lud. de Vallemont.* Singulæ diſſertationes ſuo quælibet loco ſunt à Bandurio memoratæ.

CLXXXII. R. P. JOANNES HARDUINUS.

R. P. Joannis Harduini, è Societate Jeſu, compluria extant Opera, in quibus ſingularem eruditionem cum miro quodam ingenii acumine conjunctam deprehendere licet; ſed quæ ad hancce Bibliothecam pertinent, cum variis temporibus ſeorſim, tum inſimul cum aliis operibus edita ſunt, cum hoc titulo:

Jo. Harduini &c. Opera Selecta, tum quæ jam pridem Pariſiis edita nunc emendatiora & multo auctiora prodeunt, tum quæ nunc primum edita. Amſtelodami 1709. fol.

In iis, quæ ad prima Numiſmatum ſcientiæ rudimenta ſpectent, duæ Diſſertationes ſunt: prima *a)* pag. 185. *De Re Monetaria Veterum Romanorum ex Plinii Secundi ſententia,* in qua Sectionem XIII. libri XXIII. Plinii ita explicat; ante Pyrrhum devictum fuiſſe aſſem ex ære, librali pondere, ſive duodecim unciarum, ſignatumque eſſe nota pecudum: argentum ſignatum eſſe quinque annis ante bellum primum Punicum, & placuiſſe denarium pro decem eſſe libris æris, quinarium pro quinque, ſeſtertium pro aſſibus binis cum dimidio aſſe. Aſſis deinde pondus imminutum bello Punico primo, conſtitutumque ut è libra una ſeni aſſes conflarentur, quorum nota eſſet ex altera parte Janus geminus, ex altera roſtrum navis, trientium vero, & quadrantium ratis. Poſtremo aſſes unciales factos, quo tempore Minucium urgebat Hannibal; eodemque tempore antiquatam veterem pecuniam ex argento, & novam conflatam cujus notæ fuere bigæ atque quadrigæ; ac tum demum denarium ſedecim aſſibus permutari cœpiſſe, eaque ratione dimidium lucratam eſſe Rempublicam; cum enim pro argenteo denario vetere, qui ad ærarium deferebatur, ſedecim duntaxat aſſes unciales daret, quaternos; eandem deinde aucto novi denarii pretio ad ſedecim aſſes, iterum ſenos lucrifeciſſe. Addit Harduinus ex Plinio, ſemunciales etiam aſſes factos, ac deinde octavam partem æris argento miſtam, quæ quidem levia ſunt; ſed hoc maxime memorabile, auri infecti ſcrupulum fuiſſe antequam nummus aureus percuteretur, quindenis ſeſtertiis permutatum; cum vero percuti cœpit, hoc eſt decimo tertio anno belli Punici ſecundi, placuiſſe

a) Hæc diſſertatio primum lucem vidit ad calcem operis quod Pariſiis 1684. 4. ab Harduino in lucem emiſſum inſcribitur: Numi antiqui urbium & populorum illuſtrati p. 539.

cuisse ut idem vicenis sestertiis valeret; itaque in singulas auri libras Rempublicam lucrifecisse sestertios MCCCCXL. ratione scil. eorum sestertiorum qui duobus assibus ac semisse æstimabantur, quales semper intelligi debent, quod hi fuerint antiquissimi sestertii, nisi aliter eam vocem accipiendam esse moneant auctores; sive sestertios DCCCC. ratione eorum sestertiorum qui tunc erant, hoc est, quatuor assibus æstimabantur. Hæc pluribus exequi libuit duplici de causa; prima quod harum rerum cognitio maxime necessaria sit ei qui in hisce studiis versari velit; altera, quod in ipso limine juvabat eximium singularis Harduini subtilitatis & judicii specimen præbere in ea re, ad quam velut ad scopulum doctissimi viri adhæserant.

Altera Dissertatio extat pag. 506. in qua hoc probare nititur Harduinus, monetæ loco ac vice non fuisse per se nummos Imperatorum memoriæ, honori, ac venerationi destinatos, indulgentia tamen Principum pecuniam publicam fuisse.

Quod ad nummos ipsos, sive ea quæ in illis exhibentur spectat, totam de iis disputationem tres potissimum in partes distribui oportere arbitratus est, quarum prima Symbolica appellaretur, altera Historica esset, tertia Geographica. De Symbolica Dissertationem singularem exhibuit pag. 183. cujus duæ partes sunt: prima complectitur non quidem omnia, sed insigniora, ut ipse monuit, symbola vocalia, Gallice, *Armes parlantes*, cujusmodi haud pauca in nummis Familiarum occurrunt: an hæc inter referenda fuere, aut Siren in Petronio Turpiliano, aut Stymphalis avis in L. Valerio? Illam quidem in virum ad femora nudum, pedibus, alis, & cauda avis; hanc in noctuam galeatam mutavit vir singulari acumine præditus; sed ne sic quidem avis *Petronium* videtur exhibere, quod *de medio petrarum dare voces* dicatur in Psalmis; * aut noctua *Valerium*, quod sacra sit Palladi Deæ virtutis, sive *valoris*, cum eo intellectu valoris vox à scriptoribus non sit usurpata. Altera pars exhibet symbola, quæ aliis fabulosa, ipsi ænigmatica videntur, Pegasum, Gryphum, Spingem, Chimæram, Centauros, Minotaurum, Capricornum: horum omnium rationem à fabulis accersendam esse hic negatur, quippe quibus dotes opesve populorum, aut hominum quorundam virtutes ac res gestæ repræsententur.

* Psal. CIII. 12.

In altera parte, Hiſtorica, potiſſimum deſudavit Harduini induſtria; ad eamque pertinent opera quatuor,

1. *Chronologiæ ex Nummis antiquis reſtitutæ Proluſio, de nummis Herodiadum b)* pag. 328.
2. *Chronologiæ ex Nummis antiquis reſtitutæ Specimen primum. c) Nummismata Sæculi Conſtantiniani.* pag. 419.
3. *Chronologia Veteris Teſtamenti ad Vulgatam verſionem exacta, & Nummis antiquis ſubinde illuſtrata. Chronologiæ ex Nummis antiquis reſtitutæ ſpecimen alterum.* p. 513.
4. *Hiſtoria Auguſta ex Nummis antiquis, Græcis Latinisque illuſtrata.* pag. 681.

quæ ſingula ut ſuo ordine exequamur, de Chronologia Veteris Teſtamenti primum dicemus. In hac Harduinus deſcriptionem temporum per annos ſingulos ab iis rerum initiis ad annum Chriſti 70. contexere inſtituit; ac ne profanorum ſcriptorum varietas, inſcitia, perpetuaque inter ſe pugna ac diſſenſio, præterea Codicum Græcorum Veteris Teſtamenti à Latinis Græciſque, in ipſis annorum notis diſcrepantia, labori ſuo, ac veritati detrimento forent, (ipſiſſimis ejus verbis utimur) primum ſolam ſequutus eſt Verſionem Vulgatam; deinde è ſcriptoribus antiquis Herodotum unum, Pliniumque in medium teſtes adduxit; adjecitque ſubinde veteres nummos, ac cœleſtes obſervationes à ſe probe exploratas. Hinc facile intelligitur, quid vel de Rationariis temporum à * recentioribus concinnatis ſentiat vir præſtanti ingenio atque doctrina; de iis tamen planius etiam variis in locis loquitur: qui veteres ſcriptores inter ſe conciliare volunt, eos ex vetuſtis fabulis novas cudere; ſe vero non quid ſcriptores referant, ſed quid nummi veteres ac probi, ex quibus emendari pleroſque omnes ſcriptores oporteat, repræſentare; nec recentiores etiam ſcriptores appellare, à quibus in ſingulis fere ſententiis diſſidet; ne ex aliena clade palmam quærere videatur.

His

b) Prodierat ſeparatim Pariſ. 1693. 4. recuſa eodem anno Lipſiæ.

c) Hoc primum vidit lucem A. 1696, ut Specimen alterum A. 1699. Pariſ. 4. Sed variis acceſſionibus locupletata eſt hæc nova in ſelectis Harduini operibus editio, in quibus Hiſtoria Auguſta ex nummis nunquam antea typis exſcripta primum prodiit. * Petavio.

His accedit, veteres ſcriptores nonnunquam ſuſpectos huic eſſe, ut pag. 547. & 573. ſi diverſam à nummis in urbium ac Principum nominibus, ſcribendi rationem ſequuti videantur; ſed hæc, & cætera hujusmodi libenter prætermittimus, ut moneamus, in Amynta, quem ſextum Macedoniæ Regem fuiſſe exiſtimat Harduinus, ejusque coætaneo Polycrate Samiorum Tyranno incipere ſeriem Numismatum, quæ deinde hic bene multa deſcribuntur. In his maxime conſpicua ſunt Numismata Ægypti ac Syriæ Regum, quorum etiam novæ ſeries hic inſtituuntur, uno potiſſimum argumento ſubnixæ, qui ΘΕΟΙ. dicuntur in nummis Ægypti ac Syriæ, eos fuiſſe patre, avo, proavo, abavoque Regibus editos; hancque propriam eſſe vocis Θεȣ̃ ſignificationem, perinde atque Επιφανȣ̃ς & Κλεοπάτρας. Hinc ſcil. colligitur, eum Ptolemæum qui ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ ΘΕΟΣ in nummis dicitur, fuiſſe quintum Ægypti Regem, Ptolemæi Soteris abnepotem; ipſum cui M. Lepidus à Senatu datus eſt tutor; ejus ſororem & conjugem fuiſſe Cleopatram, quippe, ut ex nomine ipſo intelligitur, quatuor ſaltem regibus ortam, eoſque Θεȣ̀ς Αδελφȣ̀ς eſſe in rariſſimis quibusdam nummis: ex eo matrimonio natam alteram Cleopatram, quæ Alexandro primum, deinde Demetrio, Syriæ Regibus nupſit; aliam deinde Cleopatram fuiſſe nullam, præter illam notiſſimam, quæ *Regina meretrix* Plinio dicitur; hanc vero Θεὰν Νεωτέραν idcirco dici, quod una tantum prius fuiſſet Regina Ægypti Cleopatra Dea; eandemque *Reginam Regum Filiorum Regum* appellari, quod filia eſſet Regum duorum, qui & ipſi Regum duorum filii erant; hoc eſt, eam ante ſe habuiſſe Reges quatuor, ex quibus recta linea ortum duceret; non tamen plures, quod *filius* nonniſi de filio ac nepote dicatur; quamobrem ejus atavum Regem non fuiſſe, ſed Ptolemæi Philometoris fratrem, patrem Evergetæ, ipſum Epiphanem dictum. In ſtemmate Regum Syriæ aliquanto plura occurrunt, in quibus Harduinus à cæteris diſſentit; primum enim ut Antiochum Magnum quintum Regum cum Plinio ſtatuat, Antiochum Θεὸν & unum è Seleucis expungit, hisque ſubſtituit Prolemæum Antiochi filium, Seleuci Nicatoris nepotem, quem Plinius profecto Regem appellat, ſed vivo adhuc ejus patre, cui ſuperſtitem eum fuiſſe non ſcribit; deinde tres ſtatuit Antiochi Magni filios, Seleucum *Epiphanem Nicatorem*, Antiochum *Deum Epiphanem*, & Demetrium *Deum Nicatorem*; hos nimirum eadem ratione *Deos*, qua Se-

leucum *Epiphanem*, dictos. Quæ deinde cæterorum Regum cognomina nummi repræſentat, non arbitraria eſſe monet ut vulgus exiſtimat, aut temere accepta; ſed hereditaria, quæ Regum originem, ſtirpemque ac ſeriem certiſſime indicent; quamobrem ex iis conſtare, Antiochi Dei filios fuiſſe Antiochum *Eupatorem*, & Alexandrum *Theopatorem*, qui patrem haberet *Deum*; Alexandroq; natum Antiochum *Epiphanem Dionyſum*: inde etiam liquere Demetrio *Deo Nicatore* natos, Demetrium *Deum*, Antiochum *Epiphanem*, Philippum *Epiphanem* omnes *Philadelphos*: poſtremo Antiochi Evergetæ, qui Demetrii *Soteris* filius, Seleuci *Epiphanis* nepos fuit, haud dubium, quin filii fuerint Demetrius *Philometor Evergetes*, & Antiochus *Philopator Epiphanes*, uterque *Callinicus*. Ingenue fatemur, quæ perſpicua Harduinus eſſe exiſtimat, eadem nobis obſcuriſſima videri; necdum à nobis intelligi potuiſſe, ſi certa ſit, eaque quam vir acutiſſimus reperit, horum cognominum ratio, cur Demetrii *Dei* filius natu maximus *Deus* fuerit, alii liberi *Epiphanes*: Antiochi liberorum primus *Eupator* tantum, alter *Theopator*: in Seleuci vero poſteris, unus ſit tantum *Epiphanes*, & quidem ejus abnepos Antiochus *Philopator*, cum vel illius Seleuci filius Demetrius *Soter*, aut *Deus*, aut *Epiphanes* dici debuerit. Cætera hujusmodi, veluti Mithridatem dici *Eupatorem*, quod ante ſe quintum numeraret in ſua familia, eundemque atavum Regem: Reges quosdam, veluti Parthorum, idcirco Αὐτοκράτορας appellatos quod in eorum Imperio multæ erant liberæ civitates, quorum copiis præfuerunt, &c. recenſere, aut perpendere longius foret: quamobrem hæc pauca, ut de cæteris judicet lector, indicare ſuffecerit; hocque unum quod ad Romanam hiſtoriam pertinet, addemus, Harduino Cæſarem videri, non Gallos devicisſe, ſed Parthos ex Aſia, una cum Antonio, pepuliſſe; eundem deinde interfectum, ſed nec Idibus Martiis, nec à Bruto & Caſſio; & iis nummis, in quibus EID. MAR. leguntur, cum pileo inter pugiones duos, *Regifugii* memoriam renovari, cujus decus ad Bruti familiam pertineret: quo in argumento ut Harduino aſſentiri nequimus, ita artem ejus, ac diligentiam in omnibus ſuſpicionum latebris peragrandis libentiſſime prædicamus. Hoc etiam pene imprudentes omiſeramus, plerarumque urbium quæ æras conſignaverunt, numiſmata hic exhiberi; ſed in ærarum initiis ſtatuendis auctorem à cæteris nusquam non diſſentire.

Superioris

Superioris Operis veluti segmen est Dissertatio *de nummis Herodiadum*, in qua Harduinus Regum ex Herodis familia delineationem instituit, quæ ipsi tam sacris Codicibus, ac nummis antiquis consentanea videtur, quam revera est à Josepho aliisque Annalibus dispar ac dissentiens. Primum enim scribit, Herodem Judææ principatum Ethnarchæ nomine iniisse anno V. C. 723. quo M. Antonius & Octavius Cæsar, fugatis Parthis, Asiam receperunt, huicque successisse Archelaum filium, qui anno Christianæ æræ octavo obiit; ac tum Judæam factam esse Augusti Provinciam: Herodis fratrem fuisse Zenodorum, qui Galilææ simul & Ituræ ac Trachonitidis Tetrarcha fuit: Zenodori filios fuisse Herodem & Philippum, è quibus hic Cæsaream Paneadem condidit anno V. C. 751. ille Tiberiadem anno quarto Tiberii Imp. ac post fratris mortem Regio donatus est titulo à Claudio Imp. cum Ituræam & Trachonitidem Galilææ adjunxisset; & φιλοκλαύδιος dictus est, ac Cæsaream Palæstinæ condidit anno Christi 42. quo ejus urbis æra incipit: Philippo vero natum Agrippam, qui patruo successit anno 51. ac Μέγας Βασιλεὺς dictus est; ejusque ætate capta esse Hierosolyma; postremo Agrippæ filium Agrippam non Regem fuisse, sed vice Cæsaris Præfectum rei militaris in Judæa & Palæstina, cujus rei symbolum esse tentorium in ejus nummis. His adduntur quamplurima de aliquot civitatum æris, quæ profecto miram scriptoris subtilitatem declarant, quibusque ostendit singula à se in nummis diligenter investigata prius fuisse, quam de his pronunciaret: sed hæc prætermittenda sunt, ut moneamus Josephi libros Harduino pag. 339. videri ea mente scriptos ut sacri scriptores non tam rerum gestarum historicam narrationem, quam allegoriam secuti esse existimarentur; ideoque sedulo operam dedisse eos qui veteres plerasque Historias concinnarunt, ut nunquam cum sacris scriptoribus congruerent tempora & narrationes Josephi annalium. Qua observatione cum plerosque historiarum scriptores νοθείας insimulare videatur, tum de iis conjecturam amici cujusdam sui affert pag. 343. cœtum certorum hominum ante sæcula aliquot *d*) extitisse, qui historiæ veteris

d) tempore *Principis* inquit Harduinus p. 572. Opp. select. *cujus nomen, ut Sibyllice loqvar, fuit tetrasyllabum, decem litterarum, quarum essent quinque vocales, summa ex iis Græce 1599.* Hoc est (Φειδέριχος) Friderici II. Imp. ut acute conjecit Vir eruditiss. Mat. Veys-

teris concinnandæ partes ſuſceperunt, qualem nunc habemus, cum nulla tunc extaret: in eam rem iſtis ſubſidio fuiſſe Tullium, Plinium, Maronis Georgica, Flacci Sermones & Epiſtolas, quæ ſola ſupererant ex omni Latina antiquitate ſincera monumenta, præter Inſcriptiones admodum paucas: majori etiam fuiſſe adjumento magnam nummorum antiquorum, quam diligentiſſime congeſſerant, ſupellectilem; horumque poteſtatem imprimis fuiſſe penes totius conſilii principem, ac primarium operis architectum, cui, propterea quod nonniſi parce admodum eorum uſum conſpectumve cæteris impertiret, jocoſe ſodales geminum SEVERI ARCHONTII nomen fecere. Duas in partes diſtributa eſt Diſſertatio: in prima exhibentur per ſingulos annos digeſta numismata Græca Herodiadum & aliquot urbium, usque ad Nervam, à quo Fiſci Judaici calumnia idcirco ſublata dici videtur Harduino, quod Judæa fiſco Auguſti addicta poſt Archelai obitum, Nervæ Imperio Senatui Populoque Romano reddita ſit; altera pars notas uberiores exhibet, quarum nonnullas delibavimus.

Sequitur *Hiſtoria Auguſta*, *e*) quæ ex plurimis Epiſtolis ad virum doctum ſcriptis conſtat. In hac Harduinus tria à ſe præſtanda intellexit, 1. Ductam per ſtirpium ſeriem deſcriptionem generis ſingulorum Auguſtorum, 2. Deſcriptionem temporum per annos ſingulos, annorumque per nummos antiquos, 3. Explicationem denique præcipuarum rerum à ſingulis Auguſtis geſtarum. Singula vero qua ratione præſtiturus eſſet, ipſe docuit: ſe, non quid ſcriptores prodiderunt, traditurum, ſed quid nummi, in quibus principia à ſe deprehenſa eſſe, é quibus aliam fuiſſe conſtet Reipublicæ Imperiique Romani formam, quam quæ ſcriptis

ptis

Veyſſerius la Croſe in Vindiciis veterum ſcriptorum contra Harduinum editis Roterodami 1708. 12.

e) Ut Harduini de Herodis ſtemmate hariolationes confutavit *Chriſtophorus Cellarius*, de quo ſupra n. CXLIV. Et Chronologiam Vet. Teſt. *Alphonſus des Vignoles* V C. in Epiſtola Chronologica adverſus Harduinum, quæ M. Veyſſerii la Croſe Vindiciis veterum ſcriptorum ſubjicitur: Sic Hiſtoriam ejus Auguſtam nec Veteribus ſcriptoribus neque ipſis ad quos provocat nummis conſentaneam eſſe docuit *Ezech. Spanhemius* in ſecundo tomo operis de uſu numismatum, edit. novæ, diſſertatione inprimis Duodecima.

ptis libris continetur. Principia ſi cognoſcere velis, hæc ferme ſunt: ſupremam ſemper fuiſſe Senatus Populique Romani poteſtatem, cui obnoxia fuit poteſtas Auguſtorum. Fuiſſe in Senatu Principem, cujus, dum in Urbe fuit, jus omne non exceſſit fines Italiæ, quæ tamen ipſa non Principi, ſed uni Senatui Populoque Romano obnoxia fuit; in Provincias vero miſſos à Senatu Auguſtos, qui res civiles adminiſtrarent; qui & Imperatores fuerunt, hoc eſt exercitum ſub ſe militantem habuerunt; & Principes in Provinciis appellati ſunt, quod illic Principum jus haberent. Unicuique Principi poſt Neronem definitum à Senatu fuisſe tempus gerendæ poteſtatis; nam etiam poſt Cæſarem Auguſtum pœnituiſſe Senatum Perpetui Imperatoris à ſe olim creati; itaque nullum deinceps per annos quadringentos, aut rarum fuiſſe; ac ne Auguſtum quidem, usque ad liberos Conſtantini, perpetuum fuiſſe aliquem; ſed alios ad annum unum & alterum, ad tres, quinque, ſeptem, decem; vix certe ultra annos novendecim & viginti quemquam: nugas vero eſſe & fabulas, cædes Auguſtorum, quas artifices Romanæ hiſtoriæ comminiſcuntur. Fuiſſe Cæſares omnes inter ſe cognatione conjunctos, idque ex ipſis, quæ Nummi præferunt, nominibus cognominibusque conſtare: nam Cæſaris domum & nomen ingens Romanos adeo dilexiſſe, ut Auguſtos ex ea gente genitos vellent ſuccedere prioribus; itaque ſanxiſſe Senatum Populumque Romanum ſub ipſo Auguſto Cæſare, ob egregia tum ipſius, tum parris, Cæſaris nimirum Dictatoris, in Rempublicam merita: quos igitur fabularum conditores tyrannos appellaverunt, eos fuiſſe Auguſtos perinde atque cæteros, ſed haud ferme ultra tres, aut quatuor, aut quinque annos Provinciæ vel exercitui præfuiſſe: quo tempore exacto, à ſcriptoribus iisdem hiſtoricis, qui non invenirent quid illis facerent, aut quid illis fieret, omnes fuiſſe interemptos. Ne tamen hereditarium prorſus Imperium in exercitibus cenſeretur, aut in Provinciis Auguſta poteſtas, nunquam hunc alterutrum honorem poſt filios tranſiiſſe ad nepotes; ſed lege cautum fuiſſe, ut ſi quis Auguſti filius patri ſuccederet, vel cum patre imperaret, non ulterius in ea ipſa domo aliquis Imperator vel Auguſtus eſſet; ſed transferretur Principatus ad eos, qui eſſent in transverſo cognationis gradu, reddendus ei familiæ poſt annos ſorte viginti. Poſtremo in nummis Latinis annos Tribunitiæ Poteſtatis initium ſemper ducere à die Natali Urbis; in nummis

vero Græcis annos Auguſtorum ſemper incipere à Septembri conſequente Natalem Urbis. His principiis adduntur alia quibus innititur Harduinus ad conſtituendam ſeriem gentium familiarumque ſingularum: quæ omnia cum recenſere longum foret, duo tantum indicabimus: nomina in *ianus* deſinentia, à conjuge primum eſſe, ut *Domitianus* à Domitia; eademque transferri ad primogenitum ſaltem è liberis; poſtea autem recipere formam primigeniam: quod ſi nomina duo ex una gente, quorum alterum in *ius* deſinat, alterum in *ianus*, conjungantur, ut *Domitius Domitianus*, ſententiam eſſe, è Domitia familia aliquem, exempli cauſa, gentis ejusdem, ſed alterius familiæ heredem habuiſſe conjugem, ea lege, ut nomen à conjuge alterum acciperet, poneretque priore loco familiæ celebratioris nomen. Utrique nimirum duo objici poſſunt, de quibus celari lectorem, iniquum ducimus: primum, veroſimile non videri, illud nomen quod quis à conjuge accepit, ad ejus liberos ex altera conjuge procreatos translatum fuiſſe, quod incommodum vitari in hac Hiſtoria Auguſta non potuit, ut in ſtemmatibus Veſpaſiani & Valeriani videre licet: alterum, ſi Harduinum ipſum in ſtemmate Metellorum audimus, maritum nomen, nonniſi ab ea uxore, quæ unica heres & ex aſſe foret totius familiæ ſuæ, accepiſſe, eamque non gentis nomen tranſtuliſſe, ſed tantum familiæ, niſi totius gentis heres ipſa fuerit; quamobrem non liquere, qui fieri potuerit, ut gentile Domitii nomen, exempli cauſa, Domitius Domitianus acciperet ab uxore, quæ unica non eſſet gentis Domitiæ heres, cum ipſe ex eadem gente ſupereſſet: nec magis perſpici, cur tres Aurelii Cæſaris filiæ Aureliæ, Probo, Caro, & Carino nuptæ, quæque matres fuerunt, prima Probi, Juliani, & Maximiani Auguſtorum, altera Cari Auguſti, tertia Carini pariter Auguſti, Aureliæ gentis nomen ac prænomen maritis & nepotibus dedere; quippe quæ non poſſent eſſe ſingulæ Aureliæ gentis ex aſſe heredes, ſed ad ſummum ex triente; quæ difficultas eo gravior eſt, quod aliæ antea fuerunt feminæ Aureliæ gentis heredes, avia ſcil. Severi Alexandri & Elagabali, duæque, ut videtur, ſorores, ſaltem Commodi neptes, quarum una Claudii Gothici mater fuit, altera Marii; è quibus tres Aurelias ſuperiores ortum non duxiſſe hic ſtatuitur. Alia ſunt in ſtemmatibus quæ nobis perobſcura videntur, veluti cur ex Principibus

bus quidam paternum duntaxat nomen habuerint, ut Otho, Vitellius, Trajanus, & originem ſuam ab Auguſti ſorore & filiabus, ſolis Cæſaris, Auguſti, Germanici cognominibus, quæ hic hereditaria eſſe dicuntur, deprædicarint; alii paterna ſimul & materna nomina conjunxerint; nonnulli denique maternum duntaxat tulerint nomen, veluti Domitius Aurelianus, & Domitius Domitianus, à Domitiani filia longa avorum ſerie exorti; ſed hæc & cætera hujuſmodi aliis colligenda libentiſſime relinquimus; hoc unum, ut univerſum Harduini ſyſtema intelligatur, addidiſſe ſuffecerit, Pii titulum Harduino non videri merum laudis titulum, ſed cognomen hereditarium, ab illo tranſmiſſum, qui primus illud merito ſuo adeptus ſit, hoc eſt à Metello Pio, cujus filiam cognomen illud tranſtuliſſe ad maritum ſuum Pompeium Magnum, à quo ortum duxiſſe Antoninum Pium, cujus poſteros *Pios* fuiſſe, perinde atque Commodi, *Felices*; nam hoc quoque hereditarium eſſe cognomen. Epiſtolæ omnes, quibus conſtat hoc opus, eadem forma ſcriptæ ſunt, hoc eſt Numismata ſingulorum Principum exhibent accurato & eleganti ſtylo deſcripta, cum notis in quibus plerumque principia ab auctore poſita explicantur, argumentiſque ex nummis ductis confirmantur. Metellorum & Pompeii Magni Numiſmata in ſecunda Epiſtola exhibentur, in aliis Cæſarum uſque ad Numerianum.

In *Hiſtoria Seculi Conſtantiniani*, quæ Numiſmata exhibet à Diocletiano ad Jovianum, haud opus eſt ut immoremur, quod iiſdem principiis, quibus Hiſtoria Auguſta, innititur; nam ſingula quæ in utroque opere erudite & acute obſervata ſunt, ſunt autem plurima, illic legere malet lector; ſed Numiſmatum ſeriei præfixæ ſunt Diſſertationes, eidem aliæ ſubjunctæ, de quibus breviter dicendum eſt. Prima eſt de nummis Gratiani, GRATIANVS AVG G AVG. quem *Auguſti Generum Auguſtum* fuiſſe ſtatuit Harduinus, diverſumque à Valentiniani filio; cum deinde idem argumentum retractaret pag. 503. unum eſſe ſcripſit è poſteris Peſcennii Nigri, Honorii Auguſti generum, Juſtæ Gratianæ Honoriæ patrem: cujus in nummis deprædicata eſt GLORIA NOVI SAECVLI. quod Auguſti Gener & Auguſtus fuit anno CCCCI. à reſtituto genere humano. Altera Diſſertatio eſt de nummo, D N. ZENO ET LEO NOV CAES. tertia de nummo quodam Theodeberti, de quo, perinde atque de Conſulatu, nova traduntur: in ſequentibus

ſtemma Flaviæ gentis exhibetur, quam vir doctiſſimus exiſtimat adoptionis jure inſertam fuiſſe in tergeminam gentem aliam, Valeriam, Juliam, Claudiam, & è tribus hiſce familiis prodiiſſe Conſtantinos ſex, & alios pleroſque Conſtantiniani ævi Principes; ſimulque explicantur literæ CONOB. & adfines, ac cæteræ, quæ vel in area, vel in imo nummorum margine leguntur, ex iiſque colligitur nummos omnes in Galliis, aut in Pannonia cuſos fuiſſe; præterea aliæ quibus ſignificari Indictio dicitur. Atqui hactenus ita exiſtimatum fuerat, literis CONS. & ſimilibus ſignificari Conſtantinopolim, Imperii in Oriente ſedem, ac Novam Romam; nequaquam civitates Narbonenſis Provinciæ; cui ſententiæ cum favere viderentur nummi inſcripti *Conſtantinopolis*, de his peculiari diſſertatione egit Harduinus pag. 493. ac primum quidem, quod nulla Conſtantino, aliiſque Principibus Inſcriptio Græca Latinave poſita in Oriente reperitur, negavit in Oriente eos imperaſſe; deinde in nummis aliquot mentionem Orientis urbium maritimarum, Cyzici, Nicomediæ, Alexandriæ, Carthaginis idcirco fieri prodidit, quod ut merces ex Oriente tuto adveherentur mari, naves bellicas ſubminiſtrarent Auguſti, quibus tributum eo nomine Mercatores pendebant; poſtremo in nummis inſcriptis *Conſtantinopolis* Lugdunum ſe agnoſcere profeſſus eſt, urbem ſcil. addictiſſimam Familiæ Claudiæ, é qua fuit Conſtantinus Jun. cujus extat nummus ita inſcriptus: in priori editione eos nummos ad Arelatenſem urbem retulerat. Inde porro colligitur Byzantium liberæ conditionis oppidum fuiſſe, diuque habuiſſe Αρχοντας; longo deinde poſt intervallo, ſæculo nimirum undecimo ſeneſcente, factos eſſe Thraciæ Deſpotas, in quorum nummis character eſt conſtantiſſime, æque ac ſermo, Græcus. Ab his vero diſtinguuntur qui Βασιλεῖς Ρωμαίων dicuntur, in quorum nummis Græca oratio eſt, Latini characteres; item qui Βασιλεῖς tantum dicuntur, characteres autem in nummis adhibent fere Latinos, Græcos ſubinde: hi enim Theſſalonicæ, illi Romaniæ minoris Reges videntur Harduino, qui de illis alias ſe apertius dicturum ſpondet, hic ſingulorum exhibet numiſmata. Haud omittenda hic eſt, quæ extat pag. 507. Diſſertatio de nummis inſcriptis hac voce REST. qui quidem omnes accurate deſcripti ſunt: cum enim vulgo exiſtimaretur Auguſtorum aliquis in his prioris Auguſti reſtituiſſe monetam; contra

Hardui-

Harduinus censuit, hanc esse excogitatam Principes commendandi rationem, insculptis in ipsorum numismatis insignium virorum, vel Principum, vel feminarum etiam de Republica bene meritarum nominibus; quorum, qui laudarentur Augusti, restituisse, hoc est desideratas jamdudum in Republica virtutes, ac dotes, aut res præclare gestas, repræsentasse sive exhibuisse, & viros illos insignes, qui periisse videbantur, veluti regenerasse dicerentur.

Restant p. 645. Epistolæ sex, in quibus Harduinus respondet quatuor Epistolis Georgii De Ballonfeaux amici sui ex intimis, & eruditi viri: in his numismata aliquot rariora Tetrici Senioris, Aureliani Jun. Maxentii, ac Diocletiani illustrantur; sed quod illic ex literis singularibus nova argumenta deducantur ad eadem principia, quæ exscripsimus, confirmanda, nihil causæ esse videtur, cur de singulis operosius dicamus; nisi forte monendus sit lector, quintam Epistolam tam Gallico, quam Latino sermone scriptam esse; & in sexta, totum ferme esse Harduinum in tuenda adversus Gallandium sua de Constantinis sex opinione.

Quod ad tertiam totius de nummis concertationis partem, scil. Geographicam spectat, hanc Harduinus uno opere *f)* absolvit, ita inscripto

Nummi antiqui Populorum & Urbium illustrati. pag. 1.

quo in opere quid præstitum sit ut lector intelligat, hæc ferme monendus est: in hoc studiorum genere quæri solere, & ab Harduino quæsita, Populorum & Urbium situm, æras, originem, prærogativas & Magistratus: deinde nulla in disciplina graviora admissa esse σφάλματα, quam in hac parte admissa viro eruditissimo videantur, etiam ab iis quos magnum in his studiis merito suo nomen habere agnoscit, quamobrem eorum hic detegi errores singulis fere paginis; hoc est, ut neutram in partem propendeamus, in singulis fere sententiis Harduinum à cæteris, qui rem Geograhicam illustrandam susceperunt dissentire, postremo ex duabus aliis rei Nummariæ partibus, historica & symbolica, aspersa esse non

f) illud primum lucem viderat separatim Paris. 1684. 4. nisi quod in nova editione multa mutavit addiditque Harduinus, alia omisit. Pars nummorum Historica p. 250. promissa, illa ipsa est quam in scriptis paullo ante memoratis exhibuit.

pauca, quæ videbantur imprimis neceſſaria ad Γεωγραφικὰ νομίσματα illuſtranda; & ſymbola quidem, præter ea, quæ ſingulari diſſertatione explicantur, * ac pluribus urbibus & populis communia ſunt, nulla eſſe prætermiſſa, quod in iis maxima pars Geographicæ eruditionis lateret; hiſtorica vero cum alia *g)* hic occurrere, tum ſeries Regum *h)* ac Tyrannorum Cappadociæ, Siciliæ, Mauretaniæ, Ponti Paphlagonici, ac Thraciæ, ex nummis reſtitutas.

Ad Geographiam etiam pertinebat

7. *Antirrheticus de Nummis antiquis Coloniarum & Municipiorum.* Lutetiæ Pariſ. 1689. 4.

in quo ſuas de nummis triginta ferme ſupra centum, qui illic in tabulis æneis ſculpti ſunt, opiniones vir præſtanti ingenio tuebatur adverſus Vaillantium *i)* ac cæteros Antiquarios; ſed quæ in illo utiliſſima exiſtimabat, in magnum opus deinde tranſtulit.

Sunt etiam in Diariis Trivultianis, menſe Majo 1711. menſe Majo 1712. menſe Auguſto 1713. Harduini Diſſertationes Gallico ſermone ſcriptæ, in quibus nova quædam deprehendas; ſed tandem aliquando manus de tabula tollenda eſt, & concludendum caput, in quo, tametſi, perinde atque in Notis ad Numiſmata, quædam variis Harduini opinionibus

g) ut de bello Judaico ſub Hadriano p. 75. ſeq. * p. 138. ſeq.

h) Bithyniæ p. 34. Cappadociæ p. 41. Siciliæ p. 153. Mauretaniæ p. 102. Ponti p. 139. Thraciæ p. 168.

i) vide Acta Erud. T. I. ſupplem. p. 475. & ſupra num. CLIX. 7. Etiam de adventaria ſub *Eunomii Pacati* nomine ab Harduino vulgata cui reſpondit Emin. Noriſius', dictum ad CXXXIII. 3. Cæterum quæ de nummo Ludovici XII. Galliæ Regis cum inſcriptione *Perdam Babylonis nomen*, diſſeruit Harduinus, ut per Babylonem, Romam non notari contra Thuanum evinceret, in Epiſtola Gallice inſerta Ephemeridibus litterariis Pariſ. A. 1707. p. 195. edit. Amſtælod. & Latine Operibus Harduini ſelectis p. 905. illa ut ab argumento quod tractandum ſuſcepit aliena Bandurius commemorare de induſtria prætermiſit, confutanda ſuſcepere Rev. D. Salomo Deylingius Obſervatt. ſacr. parte 3. p. 399. ſeq. & accuratiſſime Chriſtian Sigismund Liebe V. C. in Roma Babylone è nummis, Lipſ. 1718. 8.

nibus objecta sint, vere tamen profitemur, ejus viri eruditionem & subtilitatem plurimi à nobis fieri.

CLXXXIII. GEORGIUS DE BALLONFEAUX.

Cum selectis Operibus Harduini *k)* extant editæ Epistolæ quatuor Latinæ à viro nobili & eruditio Georgio De Ballonfeaux, Consiliario Regio in Senatu Luxenburgico, ad Harduinum ipsum scriptæ; quinta etiam Gallica ad Antonium Galland, in qua diluere conatur, quæ Harduini opinioni de Constantinis sex objecta fuerant.

CLXXXIV. N. DE GRAINVILLE.

R. P. N. De Grainville, è Societate Jesu, extant in Diariis Trivultianis Dissertationes aliquot, in quibus summa industria, nec minori modestia & humanitate confutat acutissimi sodalis sui * paradoxa, rationemque ostendit, qua veteres scriptores ac numismata conciliari inter se possint. Prima, mense Martio 1703. *l)* ad nummum Gal. Maximini, Principem hunc Filium Augustorum demonstrat non ea de causa dictum fuisse, quam Harduinus finxit, sed ea quam prodidit L. Cæcilius. *) secunda, mense Aprili, nummum Vitellii inscriptum, VICTORIA AVGUSTI. *m)* ejusque historiam mirifice illustravit: tertia, mense Octobri 1709. idem præstitit in Sept. Severo, quem, cur Pertinax & M. Aurelii filius dictus fuerit, præclare docuit: quarta, mense Decembri, in Tetrici nummum haud minus commendabilis; ibi enim de Æternitate Augustorum, ac de Principis Juventutis titulo ita disseruit, ut nihil vero similius excogitari potuisse videatur. Quinta, mense Martio 1710. nummi Valeriani, Gallieni, Saloninæ, Postumi, Victorini, Claudii, Quintilli, noviter reperti descripti

k) p. 646. seq. * Jo. Harduini

l) edit. Trevoltianæ. Nam in Amstelædamensi exstat A. 1704. mense Januar. p. 54. & Latine in electis rei nummariæ Clarissimi Woltereckii p. 276-282.

* Lactantius de mortibus persecutor. c. 29.

m) Alia Grainvillii Epistola in Vitellii nummum cum inscriptione Adventus Augusti. legitur in Memoriis Trevoltianis A. 1704. edit. Amstælod. p. 145. & Latine versa occurrit in electis rei nummariæ p. 86--90.

scripti sunt, nec pauci numero, & plerique rari, aliquot etiam singulares, cum brevibus, sed eruditis notis. Sexta, mense Junio 1712. tota versatur circa nummos Gallieni, in quibus doctissimus vir ironiam, ut vocant, sive χλευασμὸν videre sibi visus est, simulque occasionem sibi oblatam ratus, in Principem illum acrius invectus est. Septima, mense Julio 1714. numismata quædam Sept. Severi, Mamææ, Gallieni, Saloninæ, rarissima & ante hac ignota descripsit, ac breviter illustravit. Octava denique, mense Augusto 1715. Sacrorum librorum veritatem nummis confirmari posse demonstravit exemplis.

CLXXXV. JOANNES CAROLUS SCHOTT.

In Miscellaneis Berolinensibus *n)* anno 1710. editis in 4. prodiit JOANNIS CAROLI SCHOTT, Begeri sororis filii, *o)* & Regiæ Brandenburg. Bibliothecæ custodis, *Disquisitio de Nummo Phidonis argenteo in Regia Brandenburg. asservato*, in qua vir eruditus adversus Otthonem Sperlingium* demonstrare conatus est, nummum de quo agebat, Phidonis ævo sculptum fuisse. Argumenta desumpsit ex argenti synceritate, ex nummi pondere, ex ipso Phidonis nomine, quod in aliis nummis alioqui similibus desideratur: simul quod Sperlingius objiciebat ancile in nummo expressum Phidone multo recentius esse, ita diluit; non ancile in nummo, sed scutum Bœoticum sculptum esse, constare ex aliis nummis in quibus ancilia & scuta Bœotica comparent, quos nummos Schottus in æs incidi curavit. Ejusdem est Dissertatio in celebrem Augusti nummum, cujus aversa pars columnam exhibet, sive cippum, in quo scriptum CC AVG. sed ejus Dissertationis titulum exhibuisse sufficiet.

> *Explication d'une Medaille enigmatique d'Auguste, p) sur laquelle d'habiles Antiquaires ont diversement prononcé.* Berlin 1711. 4.

Ab

n) p. 33-59. * Sperling. de nummis non cusis p. 11.

o) A. 1717. 12. Decemb. ætat. 45. defunctus est Berolini.

p) Hanc Clarissimi Schotti dissertationem confutandam sibi sumsit Antonius Gallandius Vide Acta Eruditor. A. 1713. p. 480. nec non Anonymus in doctiss. Massoni Historia Critica Reip. litterariæ T. IX, p. 129. seq. In eadem exstant quæ pro sua sententia Schot-

Ab eodem edita est nova marmoris antiqui, in quo Homeri consecratio sculpta est, explicatio, quo in opere Apollinem muliebri habitu exhibuit è nummis; huicque adjunxit unam Dissertationem de usu tripodis, nummis distinctam, & alteram de nummo maximo Homeri,

Explication nouvelle de l' Apotheose d' Homere, representée sur un marbre ancien; de l' usage du trepied, &c. Amsterdam 1714. 4.

CLXXXVI. JOACHIM MEIERUS.

JOACHIM MEIERUS, J. V. D. & Præfectus Gymnasii Gottingensis, hic quoque locum suum obtinet, quod cum aureum Postumi nummum reperisset, in quo Tyrannus ille P M GM T P COS III PP. dicitur, inde arripuit occasionem novam Postumi vitam scribendi: Dissertationis titulus hic est in tertia editione, *q*) quam vidimus,

Dd *Commen-*

Schottus, T. V. p. 1. seq. & contra objectiones in Memoriis Trevoltianis (A. 1713. mense Aprili p. 726. seq.) propositas T. IV. p. 228. seq. Non omittendum quoque quod insignis Jenensium Doctor G. Wolfgangus Wedelius Centur. 2. exercitatt. Medico Philolog. decad. 4. diss. 7. cum Schotti expositionem laudasset cæterisque prætulisset, denique propendere videtur in eam sententiam ut litteras C. C. exponat de numismate census, *Censum Cæsaris Augusti.* Ab eodem doctissimo Schotto nummi etiam nonnulli afferuntur in *expositione veteris gemmæ* virtutes boni Principis adumbrantis quam paullo ante obitum edidit Germanice Berolin. 1717. 4. & prodromi instar præmisit *Centuriæ opinionum & conjecturarum* in gemmas, nummos aliaque vetera monumenta. Jam pridem etiam molitus est *Suetonium* nova ac singulari studio post Caroli Patini industriam è nummis ac jucunda veterum monumentorum supellectile illustrare: sed & hanc spem acerba ejus mors intervertit.

q) Prima editio facta est in Diario eruditorum Hanoverano, monathlichen Auszug cujus postremis mensibus supplendis cum auctor ejus clariss. Joh. Georgius Eccardus iter in ultimam usque Sarmatiam suscepisset, Meierus operam suam addixit, A. 1702. mense Novembr. p. 55. Altera in præstantissimi Woltereckii nostri electis rei

Commentatio de nummo quodam Postumi rarissimo, Historiam & res ab eo gestas copiosissime explicans, &c. Goslariæ 1713. 4.

in eaque de singulis titulis, quos recensuimus, Meierus fuse disseruit.

CLXXXVII. CAROLUS DE VALOIS.

Carolus de Valois, Hadriani filius, è Regia Inscriptionum Academia, excepta ex ore, aut ex adversariis doctissimi patris sui publicam in lucem protulit hoc titulo,

Valesiana, ou les Pensées critiques, historiques & morales, &c. d'Adrien de Valois. Paris 1694. in 12.

quo in opere r) Augustarum aliquot effigies è nummis expressas repræsentavit in tabella ænea, ut inde varia capitum ornamenta perspicerentur. Ejusdem inter Monumenta literaturæ s) nuper prodiit Dissertatio, quæ in Academia lecta fuerat anno 1713. in qua vir doctus demonstrare volebat, eos nummos, in quibus legitur FL CL CONSTANTILUSI VN N C. non ad filium natu maximum, sed ad fratrem Constantini M. referendos esse: quod ut præstaret, numismata Constantini filii cum ejusmodi nummis comparavit, singulisque perpensis, statuit ætatem diversam esse, alia oris lineamenta, artificium diversum: deinde monuit Constantium Chlorum Valerii prænomen accepisse cum Cæsar factus est, illudque ad filium natu-maximum Constantinum transmisisse; cujus Constantini cum mater foret Julia Helena, hinc factum ait, ut ille Julius præterea esset, qui vero ex altera Constantii uxore Theodora nati erant, Claudii dicerentur. Diligenter scripta est Dissertatio, plurimaque continet haud injucunda cognitu, quæ contrahi vix possunt.

CLXXXVIII. PHILPPUS A TURRE.

Ill. Philippus a Turre, Præsul Hadriensis, t) vir præstanti ingenio

rei nummariæ p. 203. Tertiæ præmissa legitur erudita Gerardi Rev. Abbatis Locumensis Epistola, cui Meierus commentationem suam dedicavit.

r) p. 99. seq. editionis in Belgio recusæ A. 1695. 12.

s) Memoires de literature de l'Academie Royale des inscriptions & belles lettres T. 4. p. 246--278. edit. Amstelod.

t) defunctus A. 1717. 24. Febr. cujus etiam insigne opus huc spectat,

Monu-

nio atque doctrina, ut epocham quæ in nummo Græco Anniæ Faustinæ consignata videbatur, explanaret, Dissertationem scripsit, quæ prodiit volum IV. Diarii Italici; *u*) qua in Dissertatione de initio Imperii Elagabali, ac de ejus nummis in quibus TR POT V. dicitur, ita disputavit, ut Pagii opinionem *x*) plurimis, nec contemnendis argumentis firmaret. Deinde vero, cum audiisset nummum Anniæ Faustinæ adulteratum fuisse, *y*) & à R. P. Valsecchio oppugnari Pagium, alteram conscripsit Dissertationem, in qua probare conatus est conjectura aberrare virum doctum, dum Elagabali initium refert ad tempus quo Caracalla cæsus est; simulque suam ac Pagii opinionem, à Kalendis Januarii anni 218. deducendos esse annos Elagabali, fortissime propugnavit:

De annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabali, &c. Dissertatio Apologetica ad nummum Anniæ Faustinæ. Patavii 1713. 4.

Varia sunt hoc in opere perutilia cognitu, de uxoribus Elagabali, de habitu Pacificatoris, de duplici anno apud Ægyptios, de honoribus Augustarum post Principum quibus nupserant, mortem, &c. aliquot etiam nummi illustrati.

CLXXXIX. VIRGINIUS VALSECCHI.

R. P. VIRGINII VALSECCHI à Brixia, Monachi Benedictini, *z*) prodiit anno 1711. Dissertatio, in qua demonstrare volebat initium Elagabali repetendum esse à cæde Caracallæ, nec aliter posse explicari nummos, in quibus TR POT V. dicitur, aut nummos ejus uxorum, in quibus anni ejus Imperii consignati sunt. Lectorem juvabit videre quibus argumentis, vel sententiam propugnavit, vel aliorum, ac præsertim Pagii & ill. Philippi à Turre opiniones oppugnavit: D. M.

Monumenta veteris Antii, & de Aquilejensium Diis atque Coloniæ Forojuliensi dissertatio. Rom. 1700. 4. Nam in his quoque nummi quidam veteres minus obvii haud vulgari luce perfunduntur.

u) Giornale d' Italia T. IV. p. 360-389.

x) Critic. Baron. ad A. 218. n. 4. & 11

y) Pro ejus γνησιότητι vide quæ afferuntur in eodem Diario Veneto, Giornale d' Italia T. X. p. 498-504. *z*) Congregationis Casinensis.

De M. Aur. Antonini Elagabali Tribunitia Poteſtate V. Diſſertatio Hiſtorico-Chronologica. Florentiæ 1711. 4.

quæ quidem argumenta retractavit, ac novis firmare conatus eſt in altero opere, in quo Cl. Vignolii novam de initio Imperii Severi Alexandri ſententiam confutavit.

De initio Imperii Severi Alexandri Aug. Diſſertatio. Florentiæ 1715. 4.

CXC. JOANNES VIGNOLIUS.

In eodem argumento, quod ſuperiores duo viri pertractarunt, verſata eſt induſtria V. Cl. JOANNIS VIGNOLII, *a*) qui exiſtimat nihil in vero Elagabali initio mutandum, nec affingendum illi eſſe anticipati Imperii crimen; in hoc enim uno à vero aberraſſe hactenus viros doctos, quod Dionis locum in quo Elagabalus annos tres, ac menſes novem imperaſſe dicitur, corruptum eſſe non intellexerint; indeque collegerint cæſum hunc eſſe menſe Martio, cum vitam ad Julium usque produxerit:

De anno 1. Imperii Severi Alexandri Aug. quem præfert cathedra Marmorea S. Hippolyti. Romæ 1716. 4.

Illic porro, perinde atque in altera ejusdem Cl. viri Diſſertatione, *b*) eadem numiſmata, quæ in ſuperioribus, ſæpe examinantur, illisque potiſſimum illuſtrandis operam dedere tres viri docti, quibus in hacce controverſia, ut monebat Ill. Præſul Hadrienſis, idem quod Tullio in Diſputationibus Philoſophicis pronuntiare licet: *Nos probabilia multa habemus, quæ ſequi facile, affirmare vix poſſumus.* Ejusdem Vignolii antea prodierat

De Columna Imperatoris Antonini Pii Diſſertatio. Romæ 1705. 4.

quam

a) Bibliothecæ Vaticanæ poſt Laur. Zaccagnium præfecti digniſſimi.

b) Utramq; hanc eruditiſſ. Vignolii diſſertationem integram unà cum excerptis ex ſcriptis Philippi à Turre & Virginii Valſechii S. Hippolytum ſpectantibus recudi curavi in tomo primo Operum ſancti Martyris, Hamburg. 1716. fol. Priorem habeo in manibus excuſam Romæ A. 1712. 4. cui Epiſtola ad Gallandium de nummo Antonini Pii recognita ſubjicitur: & alteram ibid. 1714. 4.

quam aliquot nummis distinxerat, variisque ornaverat antiquæ eruditionis veluti corollariis: ac præterea

Epistola ad Ant. Gallandium de nummo Imperatoris Antonini Pii, qui in tertio ejus Consulatu percussus columnam quandam exhibet. Romæ 1709. 4.

quæ epistola cæteris viri docti operibus non minus erudita est.

CXCI. INCERTUS.

Haud omittendum est opus à viro erudito, qui latere voluit, *c*) scriptum in papaveris laudes, quod in morbo quodam præsentaneum medicamentum expertus fuerat:

Μηκωνοπαίγνιον, sive Papaver ex omni antiquitate erutum, &c. Norimbergæ 1713. 4.

illic enim numismata in quibus papaver depictum est, illustrantur.

CXCII. LUDOVICUS JOBERT.

R. P. Ludovici Jobert, è Societate Jesu, præter epistolam, in qua Vailemontii *d*) opinionem de Galliena Augusta, incertum acutius, an elegantius confutat,

Lettre à M. de Vallemont sur la nouvelle Explication qu'il a donnée à une Medaille d'or de Gallien. Paris 8.

extat etiam nobile opus, quo omnia, quorum cognitio tyroni, vel ad comparanda Numismata, vel ad fructum aliquem ex iis percipiendum necessaria videbatur, congessit. In publicam lucem emanavit hic liber anno 1692. deinde è Gallico sermone in Latinum versus Lipsiæ

 anno

c) Auctor est D. *Mich. Fridericus Lochnerus* Medicus Norimbergensis, rara humanitate & eruditione, insigniq; ingenii sagacitate laudatissimus, à quo & hoc *μηκωνοπαίγνιον* auctius, & Historiam Medicorum ex nummis illustratam, aliaque egregia exspectamus. Exstat & ejus de Nerio sive Rhododaphne, & Daphne Constantiniana diatribe Norimb. 1716. 4. edita, in qua pulchram lucem nummis quibusdam & antiquis monumentis ita fœneratur, ut non minorem ex illis suo argumento conciliet.

d) de quo dictum num. CLXIV

anno 1695. ill. Friderici Benedicti *e)* cura; ſed altero tanto majorem auctor ipſe nuper edidit cum hoc titulo:

> *La Science des Medailles antiques & modernes, pour l'instruction des perſonnes qui s'appliquent à les connoitre.* Paris 1715 2. vol. in 12.

Qua in editione, ſi quædam omnino recudere, quam ita ut erant ſcripta ſub prælum rurſus mittere, & additamentis corrigere, ac ſe ipſum quaſi reprehendere maluiſſet, lectorum non utilitati quidem fortaſſe, ſed tamen voluptati magis conſuluiſſet, nec orationis contextum toties perturbaſſet. Duodecim capitibus univerſum opus conſtat, in quibus primum de nummorum ætate, quatenus horum pretium auget vel minuit, de metallis è quibus conflati ſunt, de varia eorum mole, de effigiebus in iis expreſſis, de averſis partibus, de inſcriptionibus, ac de linguis quibus eæ conſtant, vir eruditus accurate diſputat. Singula deinde vitia percurrit, ob quæ nummi quantumlibet veteres ad aurifices, aut ærarios fabros ablegandi ſunt; ſimul ea, quibus maxime commendantur, vetuſtatis & integritatis ſigna indicat. Mox brevem & accuratam ornamentorum & ſymbolorum quibus numiſmata inſignita ſunt, deſcriptionem exhibet. Sequitur caput longe utiliſſimum, *f)* in quo ſordidas hominum quorundam artes, qui aut adulterina numiſmata fabricantur, & pro antiquis vendunt, aut vetera adulterant, ſolertiſſime detegit. Denique principia quædam ab omnibus ferme Antiquariis recepta recenſet, & rationem oſtendit, qua quis minimo labore poſſit nummorum cognitionem animo indipiſci. Porro materiam libri, cum ipſa per ſe admodum gracilis eſſet, duplicavit; primum, quia omnes per quos profecit, item eos qui noſtra & ſuperiori ætate

e) Ἐργοδιώκτης Latine recudendi Lipſiæ hujus libri fuit Nobiliſſimus Vir Frid. Benedictus Carpzovius: at verſionem non à laudato Carpzovio, ſed à Chriſtiano Junkero τῷ μακαρίτῃ compoſitam eſſe conſtat & notatur in Actis Eruditor. A. 1718. p. 387. Liber Gallice primum Pariſiis A. 1693. 12. editus, mox eodem anno recuſus Amſtelodami eſt. Lipſienſis editio latina 1695. 8. nitore chartæ & typorum vix cedit Amſtælodamenſi. Uberiora ex hoc libro utiliſſimo excerpta in Actis Erud. A. 1694. p. 215. ſeq.

f) caput decimum.

ri ætate his ſtudiis promovendis incubuerunt, recenſuit; deinde quod pleraque argumenta, quæ cum hocce cognationem quandam habere videbantur, tractavit, ſæpe velut in tranſcurſu, nonnunquam tanta induſtria, tantoque ſucceſſu, ut bene nobiſcum actum putemus, quod fines quos ſibi olim præſcripſerat, exceſſerit; varia enim Erud. ſodalis ſui *g*) de literis, quæ vel in area, vel in imo nummorum margine leguntur, paradoxa ita confutavit, ut eruditorum vota impleviſſe videatur. Librum ornant ſexaginta ferme numiſmata undecim æneis tabellis inſculpta. *h*) Huic etiam acceſſit novum veluti opus,

Nouvelles decouvertes dans la ſcience des Medailles.

in quo videtur Jobertus huic uni rei incubuiſſe, ut ſe gratum præberet acutiſſimo ſodali ſuo, cujus curis alteram hanc editionem acceptam debemus; ejus enim ſunt effata pene omnia, quæ commendavit.

CXCIII. STEPHANUS CHAMILLART.

R. P. STEPHANUS CHAMILLART, è Societate Jeſu, cum aliquot Diſſertationes in nummos muſei ſui edi curaviſſet in Diariis Trivultianis, omnes deinde collegit, ſub hoc titulo:

Diſſertations i) du R. P. Etienne Chamillart ſur pluſieurs Medailles & Pierres gravées de ſon cabinet. Paris 1711. 4.

In prima & ſecunda quæritur, num veteres nummi moneta publica fuerint, de eoque diſputatur in utramque partem; argumenta ſic collecta videre juvit. In tertia docemur qui ſint veri Quinarii, & qui ἀναλόγως Quinarii dicantur. In quarta nummorum è terræ viſceribus noviter erutorum deſcriptio exhibetur; at in quinta duo ex his nummis, M. Aurelii unus, alter Fauſtinæ illuſtrantur, & confutantur ii, qui averſas nummorum partes in eos principes quorum effigies exhibetur ſemper convenire negant, illicque opinantur Monetariorum imperitia aut negligentia non raro peccatum eſſe. Sexta eſt de nummo Græco Anniæ Fauſtinæ, in quo Raphaneotarum æra conſignata eſt: in ſequentibus explicantur nummi rariſſimi, Juliæ Mamææ, Marinianæ, Gallieni

g) Jo. Harduini.

h) Epiſtola præfixa ad Bibliopolam, tribuitur C. V. Carolo Cæſari Baudelot infra num. CXCVI.

i) Sunt diſſertationes numero duodeviginti.

Gallieni, Poſtumi & Pacatiani, *k)* quem vir pereruditus à Mariano, cujus extat nummus Philippopoli cuſus, diverſum non eſſe arbitratur. Decima tertia exhibet nummos duos ſupra octoginta, non deſcriptos ſolum, ſed etiam in æneis tabellis ſex inciſos, cum aliquot notis. Decima quarta poſtrema eſt, quæ ad hancce Bibliothecam pertineat: in illa duo Juliani tyranni numiſmata publicantur, ex iiſque colligitur Julianum non in Venetia, ſed in Pannoniis rebellaſſe. Addendæ ſunt, quæ in Diariis Trivultianis poſtea prodiere Diſſertationes duæ: prima anno 1712. menſe Aprili, in nummum Claudii Gothici, cum lemmate VICTORIA GERMAN. in quo GM. dictus eſt; num *Gothicus Maximus*, an *Germanicus Maximus* illic legendum ſit, quæritur: altera 1714. menſe Junio *l)* ad nummos Carini, in quibus eſt IMP. CAES. ac trium Auguſtorum mentio fit; ea de re ſententiam noſtram protulimus, à viri doctiſſimi & humaniſſimi ſententia non abhorentem.

CXCIV. STEPHANUS SOUCIET.

R. P. STEPHANI SOUCIET, è Societate Jeſu, viri doctiſſimi, Diſſertatio edita eſt in Diariis Trivultianis, menſe Decembri anni 1713. ad nummum C. Julii Cæſaris plane eximium & ſingularem; quæ omnino legenda eſt.

CXCV. ZACHARIAS GOESIUS.

ZACHARIAS GOESIUS, *m)* Rector Gymnaſii Oſnabrugenſis, Diſſertationes viginti de variis nummis edidit, quas ita ſcripſit, ut ad ſingula ſymbola, quæ in eorum nummorum quos illuſtrare inſtituit, typis occur-

k) Epiſtolæ Chamillarti duæ, una de Pacatiani ætate & altera de nummis Marinianæ Poſtumorum & Juliæ Mamææ leguntur Latine in Woltereckii electis rei nummariæ p. 350. & 352.

l) In iisdem Memoriis Trevultianis A. 1718. menſe Martio p. 519. & in Ephemeridibus eruditorum Pariſienſibus edit. Amſtelod. menſe Nov. p. 534. occurrit Epiſtola Chamillardi de duobus nummis uno Claudii Gothici de victoria German. ſive adverſus Alamannos cujus meminit Aurelius Victor: & altero Tetrici, quem putat cuſum cum Auguſtodunum ab eo obſideretur.

m) Zach. Gœze, Mülhuſinus.

occurrunt, auctores bene multos indicet, qui de illis symbolis au tconsulto aut in transitu egerunt: præfixa est brevis dissertatio de nummis in universum, cum Indice scriptorum qui varia nummorum genera illustrarunt. Libri titulus est

De nummis Dissertationes xx: antehac in disputationibus solemnibus ventilatæ partim, partim orationibus panegyricis præmissæ. Vitembergæ 1716. 8.

Hæ porro dissertationes, cum auctoris cura ad aliquot in Germania & Batavia viros doctos missæ essent, non paucas ab iis Epistolas elicuere, quæ simul in lucem prodierunt:

Celeberrimorum Virorum Epistolæ de Re Numismatica ad M. Zachariam Goësium. Accessit Museum Goësianum &c. Vitembergæ 1716. 8.

Inter epistolas eminent undecim V. Cl. *Gisberti Cuperi*, *n)* qui tamen monuit eas non tam scriptas fuisse quam effusas, & illa à se notata, quæ festinanti sponte se obtulerunt. Quod ad Museum pertinet, nec dives illud est, nec accurate descriptum: perpauca Familiarum & Imperatorum Numismata complectitur, in iisque nonnulla aut adulterina, aut minimum adulterata sunt.

CXCVI. CAR. CÆSAR BAUDELOT.

Caroli Cæsaris Baudelot, *o)* JC. è Regia Inscriptionum ac Bonarum literarum Academia, aliquot opera extant, quibus hæc studia pro virili promovit. Primi titulus hic est:

De l' utilité des voyages, & de l' avantage que la recherche des Antiquitez procure aux Scavans. Paris 1686. in 12. 2. vol. *p)*

qui maximam quidem partem ad nos non pertinet; sed in altero volumine *q)* capite singulari complexus est ea ferme omnia quæ antiquari-

Ee um

n) Cæteræ sunt *Gerardi Molani* Rev. Abbatis Locumensis, qui & ipse pulcherrimum nummophylacium possidet, tum D. *Jo. Andreæ Schmidii, Jo. Hinsenii, Jac. Perizonii, Burch. Gotthelf Struvii, Jo. Henr. Eggelingii*, & *Jo. Christoph. Olearii.* *o*) de Dairval

p) Est mihi in manibus editio operis hujus varia & exquisita eruditione conspicui facta Paris. 1693. 12.

um informare queant; illic enim primum de tempore quo numiſmata cudi cœpere, diſputavit, deinde de metallis è quibus conflata ſunt, tum de variis eorum nominibus ac modulis. Sequntur quæ ad nummos Hebræos, Græcos, Punicos, Barbaros, ac denique Romanos ſpectant, varias in ſectiones diſtributa; illicque nova prodidit vir doctiſſimus de radiatis coronis in nummis Græcis, in Latinis de Saturnalibus. Subjunctæ ſunt tres ſectiones de nummorum raritate, ac de ratione falſos à genuinis dignoſcendi, eorumque ἐκτυπώματα exprimendi. Poſtremo ſeries illic Regum ac principum Romanorum deſcriptæ ſunt, cum indice muſeorum, quæ illa ætate aliquo in numero erant. Non paucæ ſunt numiſmatum tabellæ in univerſo opere, quod in Anglicam linguam verſum deinde eſt, ac Londini editum anno 1692. in 8.

Ejuſdem anno 1697. prodiit in 12 epiſtola ad R. P. Chamilart, de nummis Pacatiani, Mamææ, Marinianæ, Poſtumorum; ac ſequenti, altera in 8. ad Gallandium Epiſtola de iiſdem nummis: in hac legenda ſunt quæ ad Auguſtarum honores pertinent. Utraque porro Gallico ſermone ſcripta eſt, ac tabella numiſmatum ornata.

Eodem anno 1698. in lucem edita eſt Diſſertatio ad gemmam cælatam è Theſauro Dominæ Regentis Matris, in qua vir doctus cum Ptolemæum Auletem pictum eſſe exiſtimaret, occaſionem arripuit Principis illius, ac tibiarum hiſtoriam ſcribendi. Itaque duæ Diſſertationis partes ſunt; & in prima quidem congeſſit, quæ rebus Ptolemæi illuſtrandis conducere videbantur, novamque Ægyptiorum illa ætate Principum hiſtoriam contexuit; in altera vero de tibiis veterum ac de Φορβεία varia, quæ cæterorum diligentiam fugerant, collegit.

Hiſtoire de Ptolemée Auletes. Diſſertation ſur une pierre gravée antique du Cabinet de Madame. Paris 1698. 8.

Eidem viro docto tribui ſolet, quæ R. P. Joberti Diſſertationi, de qua ſupra r) diximus, præfixa eſt ad Bibliopolam epiſtola, in qua Valemontii conjectationes ad tantopore celebratum Gallieni nummum exagi-

q) p. 554-745. Etiam in priore Tomo p. 72-77. de utilitate quæ ex nummis peti poteſt, & de ſtudio quod olim viri etiam principes in colligendis veteribus numismatibus poſuere. r) num. CXCII.

exagitantur: quod argumentum iterum tractatum eſt anno 1700. in præfatione Epiſtolæ ad Liſterum. *s)*

De Panegyrico Ludovico Magno ſcripto ab Abbate Mediobarbo ſuperius diximus; *t)* hunc anno 1703. è Latino in Gallicum ſermonem vertit vir doctus, præfationemque eruditam adjunxit. Sequenti anno tres Epiſtolas ad Marchionem d' Angeau ſcriptas publicavit, in quibus ſingula quæ ad nummum Alexandri M. tradiderat Vallemontius, expendit:

> *Lettres à M. le Marquis de d' Angeau ſur une prêtenduë Medaille d' Alexandre, publiée par M. de Vallemont, où l' on traite pluſieurs matieres curieuſes d' Antiquité.* Paris 1704. in 12.

in iis Αδηλος eſſe voluerat, *u)* ſed nec adverſarium ſuum, nec cæteros eruditos fefellit. Superſunt tres Diſſertationes, prima anno 1710. ſcripta eſt ad gemmam cælatam è Muſeo Ill. Comitis de Pontchartrain: aliæ duæ ſuperiori anno *x)* ſimul prodiere in 4. prima titulum hunc præfert:

> *Lettre ſur le prêtendu Solon des Pierres gravées.*

in qua non Solonis legumlatoris, ac Sapientis, verum Solonis ſculptoris nomen in aliquot gemmis ſcriptum eſſe demonſtrare conatus eſt: altera

> *Explication d' une Medaille d' or de la Famille Cornuficia.*

duabus partibus conſtat; nam in ea primum Cornuficii Auguris prolixa exhibetur hiſtoria; deinde quodnam numen in una nummi parte pictum ſit, quæritur, eumque non Panem eſſe, ſed Faunum, quem alibi

Ee 2

s) Epiſtola ipſa Joanni Liſtero Medico illuſtri Londinenſi inſcripta alterius argumenti eſt atque inquirit de calculo reperto in corpore equi. *t)* num. CLXV.

u) vide, num. CLXIV.

x) 1717. Præterea quoque Clariſſ. Baudelottus A. 1712. 4. in lucem edidit illuſtrationem eruditam et ingenioſam celebris gemmæ cimeliarchii Regii in qua feſti Attici Pyanepſiorum ſymbola obſervavit. *Feſte d' Athenes repreſentée ſur une Cornaline antique du Cabinet du Roy.* Et A. 1711. 4. *Deſcription des bas-reliefs anciens trouvez depuis peu dans l' Egliſe Cathedrale de Paris.*

alibi etiam agnoſcere oportuerat, ope nummorum veterum demonſtratur.

Haud omittendum eſt in hiſtoria Regiæ Inſcriptionum Academiæ Diſſertationem editam eſſe de curribus *y*) quos in pleriſque nummis Familiarum cernere licet.

CXCVII. R. P. TOURNEMINE.

R. P. TOURNEMINE, *z*) è Societate Jeſu, Diſſertationes quinque in Diariis Trivultianis editæ ſunt, breves quidem, ſed eruditæ & elegantes: prima anno 1703. menſe Februario, ad nummum Fauſtinæ matris, in cujus averſa parte legitur SOVSTI. *a*) altera menſe Junio 1704. ad nummum Gallieni inſcriptum PIET SAECVLI, cum capra puerum lactante: quo typo pietatem erga Jovem puerum commendari contendit: quod cum minus placeret viro cuidam docto, qui Gallieni pietatem idcirco prædicari exiſtimabat, quia pueris expoſititiis alimenta ex ærario præberi juſſerat, ſententiam ſuam novis argumentis firmavit menſe Julio. Quarta anno 1708. menſe Januario prodiit ad nummum Hadriano cuſum Athenis, cujus typum ingeniose explicavit: quinta denique menſe Majo 1710. ad nummum Græcum, quo victor in ludis publicis commendatur.

CXCVIII. MEMORIÆ TRIVULTIANE.

Aliæ ſunt in Diariis Trivultianis eruditorum virorum Diſſertationes, quas recenſere juvat: prima *b*) anno 1701. menſe Martio, ad nummum Argis cuſum, in quo Nero & Agrippina hinc cælati ſunt, inde

y) T. I. p. 249. ſeq. edit. Amſtelæd. In hac probat vir doctiſſimus currus illos non eſſe ſymbola triumphi ſed decurſionum in ludis quos Magiſtratus publice ediderunt. Poſt hanc Baudeloti diſſertationem p. 296. refertur altera *Tilladeti* de allocutionibus militaribus quarum memoria in nummis occurit. Et p. 301. Joannis Foy Vaillant de Congiariis quæ in nummis notantur.

z) Renatus Joſephus Tournemine.

a) Hæc viri doctiſſimi diſſertatio quemadmodum altera quoque in Gallieni nummum Latine verſa exſtat in electis rei nummariæ p. 110. & 165.

inde gryphus: altera c) eodem anno menſe Julio, ac tertia d) menſe Octobri 1702. ad nummum Gratiani in quo AVG G AVG. dicitur, in averſa legitur GLORIA NOVI SAECVLI. utriuſque auctores Harduino adverſantur, ſcribenti legendum eſſe *Auguſti gener. Auguſtus*; ſed inter ſe diſſentiunt; ille enim *Auguſti Germanus Auguſtus* legit, hic mavult *Auguſto genitus Auguſtus*: ille præterea novam æram Diocletianeæ ſimilem in averſa nummi parte conſignatam eſſe conjecerat, hic affirmavit. Quarta prodiit menſe Novembri 1704. ad nummum in quo duarum urbium Fortunæ, ac duæ ſphinges ſculptæ ſunt: in quinta, menſe Decembri, perpenditur, quam recte Harduinus, plures quam hiſtorici tradant, Conſtantinos fuiſſe collegerit ex nummis: ſexta menſe Februario 1708. ſcripta eſt ad nummum Græcum ΚΟΣΩΝ, quem auctor Coſæ in Hetruria cuſum fuiſſe demonſtravit, & Harduinum qui è ſingulis literis vocem conficiebat, confutavit: ſeptima menſe Aprili 1709. ad nummum Neronis, in quo decurſio ſculpta eſt: octava menſe Julio varias continet obſervationes in diſſertationes quas Diarii auctores ab aliquot annis edi curaverant; in nona denique menſe Julio 1716. quæ ſint vera numiſmata maxima, ſive Medaglioni, examinatur.

CXCIX. N. LEMPEREUR.

Ibidem anno 1707. e) prodiit ad nummum ſequioris ævi in quo Leo & Conſtantinus f) picti ſunt, diſſertatio elegans & erudita R. P. LEMPEREUR, è Societate Jeſu.

CC. VARIA VARIOR. DE NUMISMATIBUS.

Poſtremam huic operi manum aliquando tandem admovemus, quod ut perfectum ſit, id unum ſupereſt ut nonnulla doctorum hominum opera quæ diligentiam noſtram fugerunt, recenſeamus. Duo ſunt *Balthazaris Bebelii* g) quæ Olearius in Diſſertationibus laudavit;

 The-

b) Latine in iiſdem electis p. 81. ſeq. c) ibid. p. 327. d) p. 333.

e) Menſe Januario p. 154. ſeq.

f) Leo Baſilii F. cum fratre Conſtantino.

g) Duae hæ diſſertationes breves Academicæ ſunt ſive ſchediſmata quæ *D. Bebelius* ὁ μακαρίτης, magnum poſtea inter Theologos nomen conſecutus in lucem edidit admodum juvenis. Eum conſtat

Theses Philologicæ de re nummaria veterum.
Disputationes Philologicæ de Theologia Gentili ex antiquis nummis eruta. Witebergæ 1658. 4.

neutrum opus noverat Philippus Labbe, à quo laudatus est, quem nescio an unquam prodierit, collectus à Paruta *b*) Thesaurus nummorum

stat obiisse Witebergæ (in quam Academiam ex Argentoratensi in magni Calovii locum coopatus fuerat) A. 1686. Similia schediasmata Academica hoc loco commemorare complura licebit, ut *M. Andreæ Rudolphi* de origine & natura nummi Helmst. 1695. 4. *M. Valentini Alberti* (Theologi postea inclyti meritissimique, defuncti A. 1697.) de nummo in genere Lips. 1667. *Jo. Caroli Albhardti* Dresdensis, de quæstione, majorne sit inscriptionum veterum usus an nummorum in re litteraria, contra Marqu. Gudium inscriptiones præferentem, Witeb. 1696. *Hermanni Ulrici à Lingen* Lubecensis schediasma de origine & inventoribus pecuniæ & numismatum Phœnicibus ibid 1715. *Davidis Hoffmanni*, Vratislaviensis, Deam monetam ex memoria veteri illustratam. Helmst. 1717. *Jo. Christoph. Wagenseilii* diss. eruditam de re monetali Vett. Romanor. Altdorff. 1691. D. *Casp. Læscheri*, Theologi celeberimi Witeb. τȣ̃ μακαρίτȣ qui A. 1718. obiit exercitationē de nūmo scorteo sive coriaceo Lips. 1661. *Christiani Gottlieb Jæcher*, Lipsiensis, Biantem Prienæum in nummo argenteo. Lips. 1715. *Friderici Gotthilff Freytag*, de Alexandro M. cornigero Lips. 1715. *Cornelii Dieterici Koch* programma de Aristotele in nummo aureo, Helmst. 1703. *Jo. Theodori Leubscher*, Briga Silesii ad nummum Agrippinæ (qualem exhibuere Torrentius ad Sueton. Calig. c. 15. & Pignorius p. 430. de servis) Witeberg. 1694. *D. Georg. Wolfgangi Wedelii* propemticum inaugurale de nummis pileatis. Jen. 1695. *Christ. Ehrenfridi Seyfert*, Croebra Misnici de nummis in ore defunctorum repertis (velut naulo Charontis Apulej. VI. Miles.) Lips. 1709. *Petri Zornii* Hamburgensis de missa ex nummis falso probata & illustrata, Rostoch. 1706. in quo mentionem facit etiam libri Gallice editi Paris. 1653. à *Bonefontio* S. I. hoc titulo: *le temple de la Verité, ou sont expliquées size verités Chretiennes & e de plusieurs medailles & Enrichies histoires* &c.

b) error hic non Labbei sed typographi, ut notatum supra ad p. 43. 44.

rum Hiſpanorum: & Hiſtoria Gallica *i)* principum Romanorum à C. Julio Cæſare ad Poſtumum, cum eorum nummis omnibus ex argento. Si huic credas, prodiit opus ipſo titulo inſigne Pariſiis anno 1642. in fol. & quidem apud Auguſtinum Courbé & Stephanum Sommaville; ſed qui de hujuſmodi hiſtoria quidquam audierit, hactenus reperi neminem. Deeſt etiam hac in ſerie Ulrici Obrecht Diſſertatio de nummo Domitiani Iſiaco *k)* quæ Argentorati edita dicitur anno 1657. in 4 necnon Joannis Joachimi Bockenhoffer *l)* Muſeum Brackenhofferianum, quod eadem in urbe, ſed biennio ſerius prodiit, & varia quidem quæ ad Hiſtoriam naturalem pertinent, numiſmata vero haud ita multa complectitur. Haud omittendus liber quo Mediobarbus uſum ſe eſſe profeſſus eſt:

Raccolta di Medaglie Imperiali del S. Pellegrino Aſcanii Pittore, In Modena 1677.

& Joannis Andreæ Schmidii opera duo à Germanis celebrata

Otium negotioſum m) Jenæ 1692. 4.

De nummo Philippeo aureo, Jenæ 1692. 4.

Eodem

i) Vide ſupra p. 57.

k) de hac dictum p. 83.

l) Eliæ Brackenhoveri de quo ad p. 84.

m) In Otio negotioſo Rev. D. *Jo. Andreæ Schmidii,* Theologi hodie in Helmſtad. Academia & Abbatis Mariæ vallenſis doctrina & meritis celebratiſſimi, nihil eſt quod ad nummos ſpectet præter Antiquitates Macedonicas, quas ſub Schmidii præſidio A. 1682. publice defenſitaverat *Jo. Babtiſta Crophius,* ſub cujus nomine illæ memoratæ ſunt ſupra p. 89. 90. Cæterum Epiſtolam de nummo Philippeo aureo in agro Tannenſi invento ſeparatim edidit D. Schmidius ad Henricum von der Tann, & A. 1693. ſchediaſma de nummis cathedraticis. Eodem anno ſub ejusdem præſidio quoque primum in lucem producta ſunt *Jo. Weidneri & Polycarpi Tentzelii* lucubrationes de nummis quas auctius deinde recuſas Erud. Bandurius memoravit ſupra p. 118. Omitto ut ab inſtituto hujus Bibl. alieniora ejusdem Schmidii Epiſtolam de nummis bracteatis Numburgenſibus Cizenſibus & Pegavienſibus, vulgatam Jen. 1695. & diſſertationem de re monetali Hebræorum ſive vera ſive ficta ad res eorum reſpiciente, Helmſtad. 1699. 4.

Eodem anno Amſtelodami prodiit in 8. cum notis Salmaſii, Græviī, & aliorum Florus *n*) aliquot numiſmatum tabellis ornatus: poſt ſexennium vero laudatur Joannis Chriſtophori Olearii

Specimen rei nummariæ. o) Jenæ 1698. 8.

Jacobi Perizonii tres diſſertationes vidimus; ſed ejusdem commendantur

Animadverſiones Hiſtoricæ, p) in quibus quamplurima in priſcis Romanarum rerum utriusque linguæ auctoribus notantur, multa etiam illuſtrantur atque emendantur, varia denique antiquorum rituum eruuntur & uberius explicantur. Amſtelodami 1685. 8.

Diſſertatio de ære gravi; cui ſubjuncta eſt Epiſtola ad Morellium de nummis Conſularibus. Lugduni Bat. 1713. *in* 12.

Utrumque opus evolvere ſane juviſſet, perinde atque aliud Chriſtophori Cellarii, *q*) cui titulum hunc præfixit:

Ortho-

n) De Floro Clariſſ. Grævii cura veteribus nummis illuſtrato ac diſtincto mentionem feci ſupra p. 130. Similis lux è nummorum & aliorum veterum monumentorum penu longe diligentius ab eo tempore allata Floro in primoribus duobus libris duntaxat a celeberrimo Begero de quo p. 177. Nam Begeri pariter & ſororis eus filii Joannis Caroli Schott conatibus, qui poſteriores etiam libros ſimili cura illuſtratos ſtudioſis volebant offerre, fata interceſſerunt.

o) de hoc & aliis Rev. Olearii ſcriptis mentio facta ſupra, p. 119.

p) In his nonnullæ obſervationes inſignes de familiis Rom. unde nummis quibusdam Conſularibus lux. Sed harum & diſſertationis de ære gravi jam facta mentio ſupra p. 88.

q) Hic *Chriſtoph. Cellarii τοῦ μακαρίτου* liber, jam tertium excuſus Hal. 1710. 8. in duas partes diſtibuitur, priore de litteris ipſis & quæ illis accidunt diſſerit, poſteriore per ordineam litterarum perſequitur varias voces in quarum ſcriptura à multis contra veterum morem peccatur. Eodem ſpectat & ſimiliter literarum ordine vocabula ut ſcribenda ſint docet Orthographia Romana ex acroaſibus Eruditiſſ. *Conradi Samuelis Schurzfleiſchii* edita à Jo. Davide Colero, Witeberg. 1707. 8. ſubjunctis præclaris Emin. Cardinalis

nalis

Orthographia Latina ex vetustis monumentis, hoc est, nummis, marmoribus, &c. excerpta, digesta, &c. Halæ Magdeburg. 1703. 8.

necnon qui à Laurentio Begero conscripti dicuntur Commentarii *r)* in nummos maximos Thesauri Regii Galliarum: & Dapperi *s)* Descriptionem numismatum quæ in Insulis Ægæi maris cusa olim fuerunt; & Gleichii *t)* numismatum historiam succinctam: & Ernesti Locheri

Ff Differ-

nalis Norisii ex ejus diatribis ad marmor Pisanum, orthographicis observationibus. Cæterum in hac Orthographia Schurzfleischiana, quemadmodum & in ejus supplementis vulgatis Halæ Magdeb. 1712. 8. rarius ad nummos veteres, frequentius ad priscorum Codicum & Inscriptionum vetustarum fidem provocari videas. Primus vero nummorum veterum ope ad orthographiæ rationes emendandas usus est *Aldus Manutius* Pauli F. tunc admodum adolescens, cujus Orthographia ex Libris antiquis, Grammaticis, Etymologia, Græca consvetudine, nummis veteribus, tabulis æreis & lapidibus amplius M D collecta lucem vidit Venet. 1566. 8. Manutium secuti sunt *Justus Lipsius, Claudius Dausquejus* itemque alii. Sed nummos unice hanc in rem consuluit *Christianus Fridericus Ruhe* qui observationes hujus argumenti quam plurimas & diversam vocum in nummis orthographiam singulari studio annotavit in speciminibus duobus Philologiæ Numismatico Latinæ, de quibus supra num CLXXX.

r) Hos editos esse non memini.

s) In *Ottonis Dapperi* descriptione Asiæ, quæ ex Belgico versa Germanice etiam exstat Norimberg. 1681. fol. video plures inscriptiones veteres memorari, sed nummos pauciores, ut Smyrnæorum Colophoniorum, Ephesionum &c. At plures comparent in descriptione Insularum Archipelagi, Cypri, Rhodi &c. quæ ex Belgico Gallice versa prodiit. Amst. 1703. fol.

t) Rev. *Jo. Andreæ Gleichii* Concionatoris in Aula Regia & Electorali Dresdensi Historia numismatum succincta præmittitur diatribæ ejus de nummis in victorias navales cusis. Utrumque schediasma paucis paginis & una tabella nummorum quinque recentium in victorias navales constat. Lipsiæ 1698. 4.

u) Dissertationes quinque de usu nummorum veterum in Theologia: & J. Groeningii w) historiam numismatico-criticam: & Henrici Bohmer x) Disserta-

u) Rev. *D. Valentinus Ernestus Læscherus* hodie Antistes Dresdensis doctrina & meritis inclytus Jenæ A. 1694. tunc adhuc juvenis edidit schediasma de nummorum veterum in Theologia, explicatione S. Scripturæ & Ecclesiasticæ antiquitatis usu. Et A. 1695. Witebergæ aliud de nummariæ rei usu in Historia Ecclesiastica, item aliud eodem anno de rei nummariæ usu in explicatione sacræ Antiquitatis. Nec plura hoc in genere ab illo edita memini, licet in Conatibus litterariis p. 687. testatus est se aliquando molitum Historiam Augustarum è nummis, & p. 702. Lexicon triplex nummarium, technicum historicum & Geographicum.

w) *D. Jo. Groningius*, Wismariensis, auctor est introductionis duplicis in rei nummariæ notitiam, veteris ac recentis, quæ semel iterumque lucem vidit lingua Germanica in Tomo collectionis variorum utilium librorum de disciplinis & scientiis nobilem virum decentibus sub titulo *palæstræ equestris apertæ* (der geöfnete Ritter-Platz) Hamb. 1702. 1705. 12. Das geöffnete Muntz Cabinet, oder Einleitung wie solche Wissenschafft leicht zu erkennen / was zu Erkäntniß der Antiquen und Modernen Müntzen erfodert werde / und wie solche nützlich zugebrauchen / samt Beschreibung der berühmten Müntz-Cabinetten und Scribenten. Ejusdem Historia Numismatum Critica, oder die neueröffnete Historie der modernen Medaillen, samt einer Liste der bewehrtesten Scribenten / wie auch der vornehmsten Cabinetten und Kunst-Kammern. Ejusdem Philosophia Numismatum nova, oder neueröffneter Tractat von dem Nutzen und Würden der modernen Medaillen. Inter scriptores quos de antiquis nummis commemorat hos duos reperi Bandurio præteritos nec mihi unquam visos: *D. Porporini* de Faënza, Patino pridem memoratam Galeriam Cæsaream. Faenza 1672. 12 & *Schynocki* Münt Cabinet, Amst. 1695. 8.

x) Rev. *Justi Christophori Bohmeri* Theolog. celeberimi Helmstadiensis programmata tria auspicalia junctim prælis data sunt Helmst. 1717.

Dissertationem de Providentia Augustorum in nummis: & Joannis Conradi Schemarts *y*) Miscellanea, quæ Coburgi anno 1716. prodierunt: & Alexandri Wilthemii, *z*) e Societate Jesu, Icones Constantini M. & Helenæ; sed hæc & alia, si quæ forte desint, alter haud fortasse diligentior, sed felicior reperiet; nos enim à lectore, quem jam diu fatigamus, missionem facile imperaturos esse confidimus.

1717. 4. quorum primum est de Providentia Augustorum in veteribus quibusdam Rom. nuñis, & alterum de Principe Oratore, ubi differit de nummis in quibus conspicitur AD LOCUT.

y) V. Cl. *Jo. Conradus Schwarze* qui cum magna laude humaniores litteras docet in Gymnasio Casimiriano, Coburgi 1715. 8. novæ editioni Germanici poetæ notis virorum doctorum illustrati subjunxit Miscellanea, in quibus præter expositionem amuleti cujusdam Basilidiani aliasque eruditas lucubrationes occurrit Epistola ad Nobilissimam D. Godofredum Thomasium in qua diversus abit in quibusdam veterum monumentis explicandis à clarissimo Begero, & in nummo Chiorum non ut ille T. 3. thesauri Brandenburg. p. 46. Herculem, sed Chiorum conditorem Egertinum videre sibi videtur. Deinde in eodem nummo legit ΕΠΙ ΑΡΧ ΚΟ ΟΥΑ ΠΡΕΙΜΟΥ.

z) *Alexander Wilthemius* S. J. in expositione Diptychi Leodiensis capite V. p. 18. seq. (Leodii 1659. fol.) nummos consulares Theodosii, Valentiniani & Leonis confert cum diptychis. Sed idem etiam separatim edidit icones Constantini Maximi & D. Helenæ Augustissimæ Matris ejus, parvo paucarum paginarum schediasmate. in 4.

Hisce porro addi possunt Eruditiss. Bandurio præteriti

Ad pag. 127.

FRANCISCUS BLANCHINUS.

Franciscus Blanchinus Veronensis, & ad S. Mariæ ad Martyres Romæ Canonicus, Italica lingua edidit & Emin. Cardinali Petro Othoboni inscripsit opus summa compositum cura & multiplici exquisitaque eruditione refertum, quo à primis rerum initiis ad Assyriaci usque

imperii excidium, rerum antiquiſſimarum memoriam, origines & fata regnorum & rerump. nec non inventa varia & geſta illuſtria ex reliquiis veterum monumentorum omnis generis, marmoribus, gem̃is, ſigillis vaſis & nummis antiquis illuſtrat jucundiſſime, quibus per capita XXXII. deſcriptis, obſervationes eruditas adjungit. Præter tabulas æneas ſingulis capitibus præmiſſas, in quibus aliquot paſſim nummi, etiam capite trigeſimo primo exſtat tabula numismatum in Aſia minori percuſſorum quorum pleraque producta ex Muſeo Othoboniano. Titulus operis eſt:

La iſtoria univerſale provata con monumenti, e figurata con ſimboli de gli antichi, in Roma 1699. 4. pagg. 572.

Ad pag. 208.

N. TERRIN.

In memoriis Trivultianis A. 1711. p. 484. & in Ephemeridibus Pariſienſibus A. 1711. menſe Majo p. 582. edit. Amſtelod. occurrit explicatio nummi Macedonici in quo caput Alexandri, in averſa parte AESILLAS.

Diſſertation ſur une medaille des Macedoniens par Mr. Terrin, Conſeiller du Roy à la Senechauſſée d' Arles.

Jo. CRAFTO HIEGELL.

Aliquot nummi familiarum Rom. Imperatorum & Auguſtarum, licet vulgares plerique, breviſſime deſcribuntur in libello cui titulus:

Muſeum Higellianum, ſive deſignatio generalis Naturæ, Artis & Antiquitatis collectaneorum, quæ Confluentiæ aſſervat Joannes Crafto Hiegell M. E. T. Confluentiæ 1714. 4. libellus pagg. 20.

FINIS.

SCRIPTORUM DE RE NUMMARIA Syllabus PER NATIONES.

GERMANI.

Christo-

Andreas

II. Index scriptorum de re nummaria per Classes rerum digestus.

II. IN

* In præsenti quoque Bibliotheca illustrium Museorum & numophyla-

V. MORALIS & CIVILIS DOCTRINA, EX NUMMIS ILLUSTRATA.

VI. HISTORIA CIVILIS ILLUSTRATA.

SINGULORUM IMPP.

* Solenne Erizzo, nobili alias antiquario, graviter in citandis Græcis quos affert nummis hallucinari, ut notat illustris Spanhemius. T. 1. edit. Lond. p. 339. Idem alibi negat Occoni, Goltzio aliisque illius ætatis temere mancipandam fidem, ubi Græcos nummos attigere.

VII. CHRONOLOGIÆ RATIONES NUMMORUM OPE ILLUSTRATÆ.

VIII. GEOGRAPHIÆ VETERI E NUMMIS LUX.

Galatiæ

XIII. GRAMMATICÆ ET PHILOLOGICÆ OBSERVATIONES IN NUMMIS.

XIV. COLLECTIONES MISCELLANEÆ NUMISM. VETERUM, & Variæ in eas observationes.

INDEX SCRIPTORUM

QUORUM OPERA IN BIBLIOTHECA NUMMARIA VEL IN NOTIS AD EAM RECENSENTUR.

Crophius

Petavius

Turre

ERRATA.

p. 12. pro *Verſalienſis* lege *Veſalienſis.*
13. Cæſaris vita & numiſmata. *ibid.* Julii Cæſaris avia
27. pro *ludiis* lege *ludis.*
44. *Auguſtinus Inveges* lege pro *Juveges.*
59. pro *Joanne* lege *Jacob. Rhenferd.*
65. *ad calcem opuſculi*, pro *ad calem.*
179. *Minerva* pro *Menerva.*
192. *Maſſoni Tom. VII.* lege pro *T. II.*



PRAEFATIO.



QVod illis omnibus, qui antiquitatis vero ſtudio ducuntur, neceſſe ſit præ aliis quibuſcunque monumentis numos cum primis diligenter rimari atque conſulere, haud quiſquam amplius niſi leuiter vel de litteris tinctus, negare poterit, poſtquam vir & numerum ſplendore & exquiſita eruditione celebres tantam in iis collocarunt operam. Quem enim fugit, vt e recentioribus tantum modo perpaucos nominem, præſtantiſſimum illud, tantiſq; eruditorum elogiis celebratum neq; vnquā ſatis celebrandum opus Illuſtris Spanhemii? Quis ignorat Patinum, Valentem, Mediobarbos alioſq; in hoc ſtudiorum genere clariſſimos Italos atq; Gallos? Ad quem etiam non peruenit notitia operum eruditiſſimi Begeri, in quibus veterum hiſtoriarum monumenta ex numis, inſcriptionibus, aliiſque remotiſſimæ antiquitatis reliquiis, & numos viciſ-

sim ex historicorum atque poetarum scriptis mira sæpius felicitate illustrat? Hinc ab aliis etiam ingeniis tot elegantes subinde Dissertationes, tot exquisitæ eruditionis epistolæ prodierunt, quæ partim ex instituto, partim incidenter veterum ritus, Deorum cultus, Imperatorum, Regum aliorumque Principum res bene maleque gestas describunt, ac denuo vel plane neglecta historicis, vel leuiter etiam aut satis sæpius obscure ab iis commemorata ex solis numis restituunt, oculisque nostris non siue voluptate spectanda offerunt. Quo cum primis spectant tot egregiæ obseruationes, quæ post institutam a Rege Ludouico XIV. Academiam inscriptionum atque numorum in Gallia passim lucem adspexerunt. Sed vti sors est rerum istarum, quæ argumento licet insignes, mole tamen exiguæ sunt, vt adspectui nostro nimis facile subducantur; sic & hisce accidit, adeo vt nulla fere, aut sane per quam difficillima inquisitione a curiosis harum deliciarum extra Galliam versantibus comparari possint. Hanc ob causam iam ab aliquot annis cœpi illas quam potui diligenter colligere, gallicas subcisiuis horis transferre, eo quidem consilio vt eas aliquando iunctim emitterem in publicum. Hoc meum animi propositum confirmauit insigniter, cum Hamburgi Memorias Triuultinas mecum communicaret præclarus Præceptor olim meus Jo. ALB. FABRICIVS. In iis multa ad institutum meum perquam facientia deprehendi, quæ eo lubentius latine reddere aggressus sum, quo magis iucundas variasque insignis momenti obseruationes continent, istæque etiam Memoriæ eruditissimorum Jesu Sociorum paucis in Germania

nostra

nostra notæ sunt, & paucioribus adhuc in conspectum veniunt. Ego sane neque Hamburgi, neque hic Lipsiæ plures quam quatuor priores annos integros cum quinti dimidio ex editione, qua vsus sum, Amstelodamensi apud quenquam inuenire potui. Interim dum e Gallia exspecto reliquos harum Memoriarum annos, periculum hocce in vnum nuper collcto volumine selectarum de re numaria diatribarum facere constitui, adeoque primum nunc TIBI, beneuole lector, fasciculum sisto. In illo indicaui semper suo loco, quando & in quanam vrbe atque forma scriptum, quod exhibeo, prodierit, vbinam illud alterius forte argumenti libris ante me insertum exstet. Præterea paginas prioris editionis, vbi necessariam hanc curam esse duxi, ad marginem collectionis meæ apposui, ordinemque illum tenui, vt quæ Deos ethnicorum veterum respiciunt scripta, eorumque cultum ex numis illustrant, præmiserim, non acsi falsa ista & putida semper ethnicorum commenta veris historiarum monumentis præferrem, sed quoniam hoc dandum esse putaui veterum superstioni, vt illi, quos hominibus præstantiores iudicauerit antiquitatas; & hic quoque primum locum occuparent.

Numos Deorum statim excipiunt numi, quos vocant, consulares, & quæ in eos incidenter quidem, sed erudite commentati sunt Morellus æque ac Gallandus, quorum hic cum primis in omnibus scriptis multa præclare monita, multasque obseruationes quæ maximo vsui criticis & numorum ruspatoribus esse possunt, passim inspergit, solide plerumque &

accurate refutat alios, erudite diſputat, inquirit, & examinat omnia. Doleo interim vehementer quod celeberrimi Viri Jac. Perizonii epiſtolam ad Morellum de eodem argumento nondum hactenus comparare adeoque nec primæ huic parti inſerere potuerim. Equidem fidem nobis faciunt Collectores Memoriarum Triuultinarum, (*) quod Morellii & Perizonii epiſtolæ mutuæ de numis conſularibus gallice emiſſæ ſint ab homine, qui nec latine ſatis ſciuerit nec gallice, prætereaque rerum hiſtoricarum atque numorum cognitione haud admodum inſtructus fuerit; ſed nec illam quoque editionem oculis luſtrare mihi contigit.

Poſt conſulares locaui numos Imperatorum Romanorum græcos latinoſque ſeruato quantum licuit ordine, qui haud dubie hic optimus chronologico. Agmen denique claudunt diſſertatiunculæ, in quibus certa quædam antiquitatis capita expenduntur, aliaque, quæ ad generaliorem hiſtoriarum & numiſmatum cognitionem faciunt quam maxime, proponuntur. Hiſce autem omnibus duplicem in fine indicem adieci, primum auctorum priſcæ pariter ac recentioris ætatis, qui in Electis ipſis vel illuſtrantur, vel refutantur vel etiam notantur; aut de quibus alia ſcitu & notatu digna referuntur; alterum rerum, quæ in iis occurrunt, maxime numorabilium. Atque hic eſt ordo, quem Deo annuente in altero faſciculo itidem obſeruaturus ſum, niſi vbi defectus vel aliæ cauſæ ab eo me quodam modo recedere iubebunt.

Supereſt tantum modo, vt, quod æquitas poſtulat, illorum quoque mentionem factam, qui nonnullas hic inſertas Diſſertationes beneuole mecum communicarunt. Et hic primo loco nominandus mihi eſt, Vir non minus exquitiſſima ſua eruditione quam ſingulari humanitate notiſſimus iamdudum omnibus, illuſtris LEIBNITIVS, qui gallicæ editionis epiſtolarum

(*) *An. MDCCII. Part. I. p. 473.*

rum Vallemontii atque Gallandi, quæ ſub num. XIX. & XX. reperiuntur, & eruditiſſimarum Animaduerſionum in numos Tetrici aliorumque contra Harduinum copiam mihi fecit. Alter eſt celebris ille Vratislauienſis Gymnaſii Profeſſor, ibidemque Bibliothecæ Rehdigeriane Præfectus Jo. Gotl. Krantzius, qui per amicum meum, præſtantis ingenii virum Jo. Gottl. Krauſium rariſſimam Seidelii epiſtolam de numo Vetranionis Tyranni mihi tranſmiſit, nonnullaque ad eam monuit, nimirum, quod Haunoldus iſte cuius Seidelius, ante annos aliquod viuis ereptus p. 2. meminit iam Senatus Vratislauienſis Præſes ſit, vir meritis erga patriam atque litteras illuſtris, & annum nunc agens ſeptuageſimum ſeptimum proſpera adhuc ſemper valetudine. Deinde quando Cl. Seidelius ſcribit, Bibliothecam Magdalenæam recentioribus libris auctiorem eſſe Rehdigeriana, illud de veteri eius ſtatu intelligi iubet Cl. Krantzius, quoniam in præſenti Rehdigeriana ex liberali donatione variorum tam virtute quam doctrina conſpicuorum inſigniter eſt adaucta, adeo vt licet Magdalenææ quod ad ſpatium & copiam attinet, primus locus concedendus ſit, alteri tamen ratione cimeliorum Rehdigeriana longe debeat præferri. In ipſo autem auerſo numo Vetranionis deprehendet lector vocem REPVBLICAE pro REIPVBLICAE, quam mutare nolui, certior quippe redditus quod eum iuxta impreſſum exemplar accurate delineauerit inſignis iſte & ſummus merito, qui vmquam hac in arte caput extulerunt, viris adſcribendus artifex BIBERVS.

Si iam Electa hæc paululum ipſa introſpicere TIBI placet, LECTOR BENEVOLE, experturus es, quod in illis hiſtorici, critici, grammatici & cum primis antiquitatis ſtudioſi inuenient quamplurima, quæ cura ipſorum & vlteriori inquiſitione digna ſunt, quæque amplam iis occaſionem præbere poſſunt, varia eruditionis capita partim illuſtrandi & confirmandi, partim etiam refutandi errores hallucinationeſque virorum doctiſſimorum.

ELENCHVS

Scriptorum in hoc volumine comprehensorum.

I. Cl. GROS-

I.

Cl. GROSEI de BOSE

Dissertatio

de

JANO VETERUM:

Et

De numis nonnullis eum respicientibus.

Prodiit Gallice

PARISIIS An. M DCC V. in 8.

ILLUSTRISSIMO DOMINO p. 1.

DN. FOCALTO,

Marchioni Magniacensi, à Consilio Status, Præfecto inferioris Normandiæ, & Regiæ Academiæ Inscriptionum atque Numorum Honorario membro.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

PRimos hic Tibi offero fructus studii, ad quod Tu mihi animum addidisti, cui propterea debeo quos in eo feci qualescunque progressus. Numi enim veteres nobilis saltim otii materia mihi visa est ab eo tempore, quo delectum a Te locupletissimum tuum Numophyla- p. 2.

 cium

cium oculis luſtraui. Animus meus, fateor, tot egregiorum monumentorum aſpectu fuit commotus. Examini illa ſubiicere, & admirari hinc illa cœpi; cuius rei etiamnum frequenter cum inſigni voluptate memini. Senſi impetum eo vſque mihi ignotum, ſimillimum furori poëtico, admiratione in hos verſus ſtatim erumpente:

Inſignes quoſcunque tulit per ſæcula tellus,
Vna rediuiuos hæc tenet arca viros.

Tu ſolus, Illuſtriſſime Domine, pondus adhuc addere poteras meæ animi inclinationi, quam ſane vehementer auxiſti colloquio tuo, quo dignatus me es non ſemel apud Illuſtrem Epiſcopum Baiocenſem, & poſtea in loco iucundiſſimo, vbi non minori ſucceſſu Naiades quam Muſas ad Te conuocabas; (*a*) ac denique cariſſimis mihi & tuæ in me voluntatis pleniſſimis litteris.

Obſeruationes has de Jano veterum neceſſarias eſſe iudico, ad faciliorem reddendam explicationem numorum infinitorum, in quibus iſte inſigni diuerſitate repræſentatus cernitur. Hoc argumentum; primo quidem intuitu ſatis obuium, ab Antiquitatis peritis hactenus fere ne-
p. 3. glectum fuit, necdum ſatis excuſſum, quamobrem libera per vacuum ponere mihi veſtigia licebit; felici futuro, ſi tua approbatio fato operis mei præiudicauerit.

Scriptores antiqui tot fabulas de origine Jani ſui nobis referunt, vt quibus fides habenda ſit vix noueris. Beroſus & Cato filium Cœli & Hecates eum faciunt; Dionyſius autem Halicarnaſſeus Victorque Aurelius diuerſimode de eo loquuntur, ac Victor quidem hiſtoriam ſiue fabulam ſic prodidit: (*b*) *Ferunt Creuſam: Erechthei Regis Athenienſium filiam ſpecioſiſſimam, ſtupratam ab Apolline enixam puerum, eumque Delphos olim educandum eſſe miſſum; ipſam vero à patre, iſtarum rerum neſcio, Xipheo cuidam comiti collocatam. Ex qua cum ille pater non poſſet exiſtere, Delphos eum petiiſſe ad conſulendum oraculum, quomodo pater fieri poſſet: Tum illi Deum reſpondiſſe, vt quem poſtero die obuiam habuiſſet, eum ſibi adoptaret. Itaque ſupra dictum puerum, qui ex Apolline genitus erat, obuiam illi fuiſſe, eumque adoptatum.*

Hæc

(*a*) Gallis ille locus *le Canal de Magny.* (*b*) Aurel. cap. 2. *de Origine gentis Romanæ.*

Hæc sunt disertissima fere, quæ scriptores veteres de Jani origine nobis reliquerunt, quamquam nec ipse Aur. Victor hæc pro veris ac certis venditare audet. Sed parum refert, quantumcunque sit incerta ori- p. 4.
go eorum, qui per magnitudinem rerum gestarum tam illustres se reddiderunt, vt pro lubitu possint vel è Deorum numero, vel Heroum parentes sibi atque maiores deligere.

Frustra adeo his auctor generis Deus esse negatur:
Nam si non fuerit, debet at esse pater. (c)

In hoc fere conueniunt historici, Janum fuisse Græcum, & ex incredibili studio suam demonstrandi virtutem, duxisse manum iuuenum palantium, mareque traiecisse & appulisse in Italia, cuius sibi incolas barbaros subiecit, primusque fuit Rex Latinorum sive potius Aboriginum, à quibus descenderunt Latini. Prudenter quoque studuit perpetuam legibus suis auctoritatem conciliare, quam ex armorum vi sibi comparauerat. Mores veterum incolarum feroces expoliuit, & vt iis amorem societatis inspiraret, templum in monte exstrui iussit, qui in hunc usq; diem nomen retinuit Janiculi. Circumduxit etiam pomerium, hoc est sepimentum magna sollicitudine multisque cerimoniis, vt locus hic sacer esset atque inuiolabilis. Plutarchus refert, Romulum, cum Romanam vrbem condere vellet, Tuscos ad se conuocasse, qui insigni cura conser-
uauerant tradita hæc mysteria, vt ea in iaciendis primis Imperii sui fun- p. 5.
damentis obseruaret. Janus autem in villa sua nuper condita templa arasque Diis exstrui curauit, sacrificia, quorum rationem ipsemet præscripsit, in ipsorum honorem instituit, & in solum hunc finem populos suos panis vinique vsum docuisse dicitur. (d) Omnia denique hæc instituta sua confirmauit prudenter cauendo, ne profanationi templa exponerentur, & vt in sua quisque domo tutum inuenire posset asylum ope portarum, claustrorum, & clauium, quarum ei tribuitur inuentio. (e) Sic *Januæ* & *Janitores* certissime nomen suum à Jano traxerunt, qui vtrorumq; erat Deus tutelaris. Hinc factum videtur, quod nonnunquam ille scipionem clauem-

(c) Sunt verba celeberrimi Gallorum Poëtæ Des preaux Sat. V. ita canentis:
En vain un lâche esprit voudroit vous démentir,
Et si vous n'en sortés, vous en devés sortir.

(d) Fab. Pictor *lib. 1. de aureo sæculo.* (e) Macrob. *Saturnal. aureo sæculo.*

clauemque manu tenens conſpiciatur. Hinc ortum etiam cognomen *Cuſtodis*, à Poëtis ei datum, *Nec cuſtos abſiſtit limine Janus*, (*f*) vt canit Virgilius, quæ ſane non eſt appellatio fortuito nata, cum & inſcriptiones antiquæ cum ſic nominent, vti in præſenti, ex Gruteri (*g*) collectione depromta, cernere licet.

CVS. JANO. SAC
L. OCTAVIVS
C. F. CRASSVS
L. C. OCTAVI L. F.
MARTIALIS ET
MACER.

p. 6. Saturnus a Joue filio Arcadia pulſus, apud Janum Regem refugium ſibi petiit, (*h*) qui non tantum benigniter eum ſuſcepit, ſed cum illo quoque omnes ſuas diuiſit opes. Lubens perſuaderem mihi, auream in terris ætatem ſub Imperio horum Principum viguiſſe, niſi celebres auctores teſtarentur, primos hoſce numorum vſum introduxiſſe, certis in metallo notis, quæ ſingulare ei pretium conſtituerent, impreſſis; neq; enim conſtat, vtrum ars hæc humano generi vtilior fuerit an pernicioſior. Plinius (*i*) omnia fere vitia generis humani ei impingit, quem primum aureos numos cudi feciſſe notat; Ouidius eius vſum cum ferro in armorum vſus acuminato comparans, aurum ferro eſſe nocentius affirmat:

Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum. (*k*)

Et Virgilius (*l*) infortunium Polydori Juuenis deplorans, mirabundus exclamat

\- - - - *quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames? - - - - -

Sed ad Janum reuertamur. Princeps iſte magno & amore & honore à ſubiectis ſuis affectus, primus Rex fuit, quem populus poſt mor-
p. 7. tem conſecrauit, cum nil niſi diuinum in vita ipſius obſeruaſſet. Initium precum

(*f*) Virg. *Æn. lib. VII.* (*g*) Gruter. f. XCVI. (*h*) Virg. *Aeneid. l. VIII.*
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jouis fugiens & regnis exul ademptis.
(*i*) Plin. *Hiſt. Natur. l. XXXIII. c. I.* (*k*) Ouid. *l. I. Metam.* (*l*) Virg. *l. 3. Æneid.*

precum suarum omnium ad eum dirigebant,*(m)* persuasi, per hunc solum sibi accessum ad reliquos Deos concedi, *(n)* & eius in honorem primum libabant, quoniam illos reliqua Deorum, quos inuocabant, sacrificia docuerat. Denique vt memoriam insignis huius Euergetæ eo facilius conseruarent, faciem ipsius numis impresserunt, atque hac ratione repræsentarunt. Tab. I. num. I.

Duo hæc postica parte iuncta capita per se vigilantiæ & acris ingenii symbolum nobis sistunt, virtutes haud dubie Jano singulariter competentes, qui ex cognitione rerum præteritarum exacte de futuris iudicabat; Vnde amœnum acumen Ouidii de Jano ita canentis. *(o)* p. 8.

Jane biceps anni taciti labentis origo,
Solus de superis qui tua terga vides.

Equidem duplicis huius capitis quamplures aliæ rationes arcanæ ac mysticæ proferuntur; at enim studium, quod plerosque tenuit, singularem reddendi causam à se excogitatam, nonnullas risu produxit dignissimas. Haud sane existimo, quemquam sani iudicii posse cum Rhabano Mauro sibi imaginari, Jani imagines ideo sic fuisse efformatas atq; effictas, quod viri suas ad eum preces ab vna parte, feminæ vero ab altera funderent. Alii, qui omnia ad ideas naturæ rerum congruentes reducere volunt, ex duobus hisce capitibus vnum Jani esse contendunt, alterum Saturni, hanc ob causam ita iuncta numisque insculpta, vt æternum monumentum exstaret arctæ horum Principum concordiæ, qui coniunctim vno populo imperarunt. Hæc sententia, licet perquam ingeniosa, suis tamen difficultatibus laborat, quas inter hæc magni mihi videtur esse momenti, quod ita signum Jani quadrifrontis, quod in pluribus monumentis antiquis repræsentatum cernimus, explicari vix ac ne vix quidem possit. Feruntur enim Romani, *(p)* expugnata Tuscorum vrbe Valeria, eiusmodi Jani statuam illic inuentam inde Romam deportasse, aut saltim ei similem Romæ fecisse, vbi sub hac forma illum inuocarunt. Augustus splendidissimum ei templum figura quadrata, & à quolibet latere ianua instructum ædificari curauit. Cuius pretiosa lipsana & statuæ quadrifron- p. 9.

(m) Martial. Epigr. lib. X. *Publica quem primum vota precesque vocant.* *(n)* Ouid. Fast. lib. I. *vt possent aditum ad quoscunque vellent habere Deos.* *(o)* Ouid. *Fast. lib. I.* *(p)* Seru. *in libr. VII. Æneid.*

drifrontes iuxta pontem, olim *Fabricium* dictum, hanc vero ob causam hodie *Quatuor capitum* vocatum, Romæ etiamnum cernuntur. Ex Hadriani denique numo hic subiecto, de cultu, quo Janum Romani sub Quadri-
Tab.I. n.2. frontis nomine prosequebantur, deq; figura ei assignata certissime constat.

Cui itaque attribuenda sunt quatuor hæc capita? Nonne dices, illas esse Jani, Saturni, Romuli, Numæque facies? Etenim secundum hanc hypothesin quatuor celebres viros inquirere oportet, vt quatuor capita, quod hoc loco fieri necesse est, vni corpori imponantur. Nonne verius, aut certe verisimilius videtur, Janum hic Symbolum esse totius vniuersi, quatuorque hæc capita quatuor denotare elementa, quæ mundum consti-
p. 10. tuunt. Si certe modo constaret, Veteribus quoq; quemadmodum nobis quatuor eius partes cognitas fuisse, allusio esset multo speciosior. Nec minori veritatis specie quatuor denotant anni tempora, quibus Janus apud Romanos præerat. *(q)* Duodecim quoque aræ, quæ totidem menses referunt, in templo huius Dei dedicatæ erant, & digiti statuæ Jani ita erant dispositi, vt numerum 355. explerent, quot diebus annum Numa composuerat. *(r)* Alioqui Cornificius *(s)* apud Macrobium post Ciceronem *(t)* Jani nomen ab *Eundo* deducit, vnde formatus est Janus quasi *Eanus*, neq; *Anni* aliud etymon quærendum.

Sic Janus quadrifrons in auersa numi Hadrianei parte repræsentatus, felicitatem eius Imperii, *Felicitatem Sæculi*, *Felicitatem temporum*, & *felicia tempora* egregie exprimit, quæ aliis in numis per genios quatuor an-
Tab. I. n.3. ni tempora symbolice referentes indicantur.

p. 11. Nullum memoriæ Hadriani elegantius dicari poterat monumentum, quod nos inuitat, vt eius laudes in gloriosa cum Jano comparatione inuestigemus. Successor enim bellicosi Principis contentus fuit fructu ex prouinciis bello acquisitis in pace frui, absque vllo fines diutius proferendi studio; vt qui magis gestiebat animos Regum vicinorum beneuolentia sibi conciliare, quam illorum spoliis suum augere imperium. Nam quod exercitus eius non illustres se reddiderint multis reportatis victoriis & vrbibus expugnatis, sola ipsis defuit occasio. Siquidem Imperator, qui semper illos in armis exercebat, & exactam obseruare disciplinam in

(q) Varro *Rer. human. lib. V.* (r) Plinius l. *XXXIV*, *c. 7.* (s) *lib. III. Etymol.* (t) *lib. I. de Nat. Deor.*

in media & pingui pace iussit, omnia ab illorum virtute periculosissimis temporibus sperare poterat. Hoc numi ipsius nos edocent, in quibus Imperator exercitum ducens repræsentatur, addita inscriptione: DISCIPLINA, siue DISCIPVLINA AVG. Ac forsan ad hanc media in pace ab eo obseruatam disciplinam militarem respicit, quod Janus pacificus hastam dextra tenet. Neq; minorem ciuilis disciplinæ curam Hadrianus gessit. Nouam quasi, vt ita dicam, formam ordinibus Senatorum atq; Equitum Romanorum induit. Quatuor-Viros Consulares in Italia constituit Juris Dicundi, &, vt multa paucis comprehendam, ipsemet quamquam Imperator Præturam gessit Hetruriæ, quod à nostro instituto haud alienum est, quoniam huius regionis incolis Janus imperauit, iidem primum Jano detulerunt cultum, atque duobus quatuorue eum formarunt capitibus. p. 12.

Hæc Janum repræsentandi ratio, quæ adeo familiaris fuit Romanis, si vigilantiæ est & acris ingenii symbolum, haud dubie Hadriano competit, quippe qui his se dotibus vel in primis iactabat. Quod si concessum est qualemcunq; censuram laudibus admiscere, symbolum hoc honesto quodam modo inquietum eius & plenum suspicionum ingenium, ab Historicis ei exprobratum, apte tegebat. Hi enim referunt, eum vsque quaq; aluisse exploratores, qui actiones singulorum obseruarent, omniaque sibi renunciarent. Hinc Suetonius haud diu singulari Sabinæ fauore frui potuit, quamquam eius officii ratio daret liberum accessum in domo Imperatoris, qui vtriusque clandestinos ignes tegere quam facile poterat. Spartianus quoq; narrat, Hadrianum adeo secreta cuidam obiecisse, vt mirabundus ille quæreret, vtrum ab vxore sua hoc accepisset.

Sed redeamus ad originem nominis Jani, quam à verbo *Ire* Cicero deducit: *Quod ab eundo deductum est, Janus quasi Eanus*, & inueniemus in hoc ipso etymo nonnihil, quod Hadriano singillatim competit felicissima applicatione. Quam quidem obseruationem acceptam referre me fateor erudito Grainuillio, Jesu socio, cuius eruditio & humanitas plerisq; Antiquariorum perspectissima est. p. 13.

Janus, qui in auersa numi Hadrianei parte manu hastam tenens, & progredienti similis conspicitur, indicat nobis, quod Imperator ille per ista Imperii sui tempora peregit singulare & laude dignissimum, quod nimi-

nimirum omnes Imperii partes & Prouincias, longe licet dissitas, ipsemet perlustrauit. Quot enim in numis legitur *Aduentui Aug. Africæ, Bithiniæ, Cappadociæ, Dalmatiæ, Galliæ, Hispaniæ, Judææ, Moesiæ, Pamphiliæ, Syriæ, Thraciæ?* &c. quibus aliæ non pauciores inscriptiones similes adiici à me possent. Cum tot vero peragraret regiones, cuilibet illarum eius præsentia profuit; oppressiones & violentiam Præfectorum seuere puniuit. Templa collapsa, & vrbes excisas renouari iussit, & vndique populorum fidem insignibus multisque beneficiis certam firmamque sibi reddidit. Hinc splendidissima illa encomia è gratis profecta populorum animis, vtpote *Restitutoris Armeniæ, Britanniæ, Daciæ, Nicomediæ, Parthiæ, Sarmatiæ,* &c. & denique *Restitutoris & Locupletatoris Orbis terrarum.*

Continua itaque Hadriani itinera quam optime ei nomen *Eani* promeruerunt, assidue scilicet eunti ac peregrinanti. Hæc exercitatio corporis illi pro voluptate fuit: ita vt viginti millia passuum vno die absolue-
p. 14. ret, nudo capite etiam tempore rigidissimo atque sub cœlo frigido incedens. Florus igitur, qui hoc neutiquam cupiebat imitari, ita ad eum scripsit:

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Notissima est festiua Imperatoris responsio, qui, vt in aliis, ita in Poësi quoque excellere sibi videbatur. Tertium vero Consul ad perlustrandas Imperii Prouincias profectus est, & inscriptio COS. III. quæ in auersa eius numi facie circa Janum adiuncta legitur, pro epocha horum celebrium itinerum haberi potest, quamquam minime affirmare audeo, illum esse eopse anno cusum. Obseruaui enim, Hadrianum, qui tribus tantum vicibus fasces consulares gessit, vltimumq; consulatum non nisi per quatuor menses tenuit, nihilominus tamen titulum COS. III. in quamplurimis numis per reliquum Imperii tempus, h. e. vltra vndeuiginti, postquam dignitate illa functus erat, annos, sibi vindicasse.

Controuersiam à nostro instituto alienam aggrederer, si hic suscipere examinandum, iste, quem pro Jano quadrifronte in auersa numi
p. 15. Hadrianei parte accipimus, Geryon ille fuerit, ex fabulis notissimus.

Vt,

Vt, quid de hac opinione ſentiendum ſit conſtet, ſuffecerit modo docuiſſe, quid anſam huic ſententiæ præbuerit.

Geryon Rex erat Inſularum, quæ adiacent Hiſpaniæ, atque à veteribus Balearicæ & Ebucæ ſalutabantur, quaſque hodie Maiorcam, Minorcam & Juicam vocitant. Hæc tria regna, quibus vnus Rex imperabat, locum fecerunt Poëtis Geryonem fingendi tricipitem. Hercules autem de eius tyrannide atq; crudelitate, quam erga peregrinos in eius finibus appellentes exercebat, certior redditus, eum bello eſt aggreſſus, & occiſi ſpolia Gadiram ad vrbem Bæticam, quæ Gades eſt Andaluſiæ, ſecum attulit, cuius ciues virtuti Herculis obſtricti, templum ei ſub nomine Herculis Gaditani dicarunt.

Hadrianus parentibus Hiſpanis natus, in exemplum ſibi hunc Heroem divino cultu ibi affectum proponere ſtuduit, & cognomen Herculis Gaditani cum voluptate ſuſcepit. In auerſa præſentis numi aurei parte è Cimeliarchio Ducis Arſchotani, Imperatorem hunc eius figura repræſentatum cernimus, adiuncto titulo Herculis Gaditani; Dextra clavam tenet, & tres globulorum ſpecies, quos ſiniſtra comprehendit; communiter poma illa aurea Heſperidum eſſe exiſtimantur, ſed quæ etiam tria denotare poſſunt capita Geryonis ab Hercule occiſi. p. 16. Tab. I. n. 4.

Qui loco Jani quadrifrontis Geryonem ſubſtituere volunt, hinc argumentum pro ſua ſententia petunt. Quartum Jani caput, inquiunt, poteſt quidem poſt reliqua latere, certiſſimum tamen eſt tria tantum diuerſa in auerſo numo Hadrianeo occurrere. Solus hic conſpectus Geryoni patrocinatur; qui occiſus ab Hercule Gaditano, & Hadriani cum hoc Heroe comparatio nouum pondus coniecturæ adiiciunt. Hæc eo denique confirmari videntur, quod Janus nunquam quatuor capitibus inſtructus in numis cuiuſquam Imperatorum occurrit. Duo tantum ei in numo Antonini tribuuntur, cuius curæ & conſilia quatuor capitibus implendis ſatis eſſe potuiſſent.

Nihil frequentius eſt quam in auerſa numorum parte Jani bicipitis cerni nauem, aut ſaltim roſtrum vel puppim, quæ diuerſitas ex ingenio potius Monetariorum, quam à ſingulari quadam alia cauſa profecta eſſe videtur. Hic idem fere vbique occurrens typus nonnullos induxit, ut Jano nauigationis artem inuentam adſcriberent. Hæc interim communis p. 17.

munis tamen obtinet ſententia, quod nauis hæc felicem eius aut Saturni in Italia appulſum denotet, vti hiſce in verſibus Ouidius diſerte teſtatur.(*u*)

At bona poſteritas puppim formauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Plutarchus, (*w*) cui ſolenne eſt, cuiuſcunq; rei rationes reddere morales, huius rei cauſam profert admodum diuerſam. Contendit enim primos fuiſſe Tuſcos, qui in auerſa numorum ſuorum facie Jani nauem imprimi curarunt in memoriam frumenti, quod Princeps iſte penuriæ tempore iis per mare aduexit. Sed ſi eiuſmodi expoſitiones allegoricæ valent, nullo negotio quilibet pro lubitu de qualibet re ſibi poterit, quæ ſtatuat confingere.

Deniq; haud omittenda mihi eſt opinio quorundam recentium ſcriptorũ, qui omnibus, quas iam dixi, expenſis circumſtantiis ſibi perſuadent, Janum hunc ex fabulis notum eundem eſſe cum Noa, cuius Sacra Scriptura meminit; quique, auctoritate Voſſii aliorumque ſuffulti, Janum ex
p. 18. Hebræo יין aut ipſomet Græco οἶνος, quod vinum notat, deducunt. Duo capita Jano tributa ſingularem in modum Noæ conueniunt, homini, qui mutationem, quæ mundo vnquam contigit, omnium maximam, atque, vt ita dicam, duos diuerſos mundos, vnum ante, alterum poſt diluuium ipſemet oculis ſuis viderat. Nauis in auerſa numorum Jani facie occurrens, facile poteſt referri ad arcam, in qua Noe, & tota ipſius familia incolumes manſerunt tempore, quo aquæ ſuperficiem terræ contegebant.

Hæc opinio vt ſuos ſectatores, ita non minus etiam aduerſarios habuit. Nonnulli enim ex argumentis Chronologicis probare conantur, Noam fuiſſe iam diu ante Jani tempora exſtinctum; alii obiiciunt, naui in auerſis Jani numis nullam intercedere conuenientiam cum arca à Moſe nobis deſcripta; iterum denique alii iactatam Jani originem ex Hebraico יין aut Græco οἶνος, quod vinum ſignificat, deductam condemnant, obſeruantes, etymon hoc à nullo antiquo ſcriptore probari. Præterea obiiciunt, vinum ab hominibus tam anxie quæſitum, & ab iis, quibus de vſu eius conſtat, tanta cura cultum, rariſſimum fuiſſe in Italia,
p. 19. Dionyſio Halicarnaſſeo, & Plinio teſtibus, ſub Aſcanii Numæque imperio. Aſca-

(*u*) Ouid. *Faſtor. lib. 1.* (*w*) Plut. *Quæſt. Rom. qu. 41.*

Ascanius vero 880 amplius annis post Janum Albæ regnabat, & Numa vltra 450 annos post Ascanium. Illa itaque nominis Jani originatio secundum horum sententiam vanus est lusus ingenii, & Janus si plantasset atque coluisset vineam, vsus vini post tantum annorum numerum neutiquam in Italia, terra ipsi propria, adeo rarus fuisset.

Quod ad me attinet, iis, quorum coniecturæ adeo naturæ rei congruentes sunt atque ingeniosæ, facile omnem impune illas amplectendi libertatem concedo. Neque dubito, plenam librorum Mosis cognitionem ethnicis fuisse, & sæpissime ex sancta hac veritatis fodina materiam hausisse infinitarum fabularum, quam circumstantiis & nominibus pro lubitu fictis contexuerunt. Facile in iis, quæ ad mores spectant, hosce diuinos fontes in Platonis operibus, & quod historiam tangit, in scriptis Ouidii agnoscere possumus. Sed sola etiam traditio suffecit ad tempus & veritatem diluuii ipsorum notitiæ insinuandam, quæ diu per se, vt ita loquar, sensibus eorum se subiecit, quamque Noæ filii natos suos in omnes mundi partes postea dispersos edocuerunt. Cuius rei haud inficiandum argumentum nobis suppeditat numus Apameæ in urbe Syriæ sub Imperatoribus Septimio Seuero atque Philippo cusus, in quo diluuii hi- p. 20. T.I.num.5.
storia supra votum est luculenter descripta.

Itidem singulare quid in numis Philippi obseruatur, quod nempe vltimæ tres litteræ vocabuli ΑΠΑΜΕΩΝ retro lectæ nomen ΝΩΕ efficiant, quod casu factum vix quisquam sibi persuaserit. Verum eruditæ illi Dissertationi, quam Cl. Falconierius (x) hoc de argumento composuit, adiungi nihil à me potest.

Illi, qui cum Peucero contendunt, Janum non fuisse Noenum, sed Jauanem eius nepotem, itidem Jauanis analogia cum Jaane, Jane & Jano sese tuentur.

Paucas cernimus inscriptiones circa Jani capita in numis obuia:
Paucas dico, nonnullæ enim inueniuntur. Sic v. g. in numo consulari p. 21. T.I.num.6.
familiæ Furiæ nomen M. FOVRII circa bicipitem Janum legitur.

Neque hoc magis mirandum est, quam quod idem nomen, aut alia quam plurium aliorum, qui magistratu functi sunt, circa diuersos videmus collocata Deos, quos sibi quique deligebant, velut in vicem pro-

(x) *De numo Apamensi ad P. Seguinum.*

propriæ imaginis, quam numis imprimere haud erat ipsis concessum. Nonnulli familiæ Pompeianæ numi itidem nobis Janum bicipitem & absque barba sistunt, additis hisce vocibus: MGN. siue *Magnus* PIVS IMP*erator*. T. I. num. 7.

Verum est, quamplurimos antiquitatis peritos existimare, quod hæc coniuncta capita Magni Pompei & Sexti eius filii sint facies, sed ductuum conformitas, quæ illis hanc sententiam persuasit, pro regula neutiquam hac in re haberi potest, neque adeo auctoritatem addit iis, qui hoc prætextu Janos quosque imberbes, tot in monumentis occurrentes, velint ad priuatorum quorundam effigies referre. p. 22. T. I. num. 8.

Nonne maiori veri specie licet affirmare, hæc capita Dianæ esse atque Apollinis, qui in præsenti imagine Jani adumbrati sunt, iuuentute & pulcritudine formæ ipsis propria conspicui.

Dianam teneræ dicite virgines
Intonsum pueri dicite Cynthium. (y)

Alioquin constat, quod omnes fere nationes, & præsertim Romani, singulari eos veneratione prosecuti sint, tamquam Deos, quorum potentia atque tutela sibi visæ fuerunt maxime cognitæ ac perspectæ. Eos primo quoque loco inuocari cernimus in Horatii carmine, sæcularibus ludis sub Augusto celebratis decantando: p. 23.

Phœbe, siluarumque potens Diana
O lucidum cœli decus &c.

Forsan etiam hisce capitibus sola notata fuerit Diana, ita repræsentata, tamquam Dea cœli atque inferorum. Huic coniecturæ addo, nonnullos Grammaticorum veterum, Dianam vocasse *Janam* pro *Diana*, Nigidiumque à Macrobio (z) citatum ingeniose admodum hac in re obseruasse, quod littera D sæpius J apponatur causa decoris, atque elegantioris pronunciationis. Quam suam sententiam hisce exemplis probat: *Reditur*, *Redhibetur*, *Redintegratur* pro *Reitur*, *Rehibetur*, *Reintegratur*. Neque mihi adeo esset difficile, eius modi exempla ex Gallica etiam lingua proferre. In indice itidem Reinesii inscriptionem reperi incipientem his verbis:

DIVAE

(y) Horat. *Od.* 21. *lib.* 3. (z) Macrob. *l.* 1. *c.* IX.

DIVAE JANAE DIVIANAE.

Existimat CL. Baudelotus,(*aa*) cui res numaria infinitas easq; egregias obseruationes, inuenta & coniecturas felices referre debet acceptas, duplex hoc caput imberbe conuenire posse celebri illi *Accæ Laurentiæ*, cuius in honorem Romæ Laurentalia festa celebrabantur. Quam eius singularem coniecturam non minus verisimilem reddit, quod maxima historicorum pars duas eiusdem nominis mulieres distinguunt, primam nempe Romuli nutricem, & alteram notissimam illam meretricem, quæ, cum Populum Romanum hæredem ingentis acquisitæ pecuniæ instituisset, tumulo prioris contecta fuit. Scio quidem, non omnes auctores hanc admittere distinctionem, & alios inter etiam Macrobium affirmare, notissimam hanc meretricem eandem esse cum nutrice Remi atque Romuli, quod locum fecit fabulæ tradenti, eos fuisse à lupa enutritos; sed non ingratum Romanis esse potuit, aliquid fabulæ huic narrationi admiscere: neque primi illi exstiterunt, qui ob singulares rationes ita duo coniunxerunt capita. Eiusmodi enim in numis etiam Græcis, qui exempli loco haud dubie ipsis fuerunt, satis frequenter inueniuntur. Huius generis præsens est numus Tenedius, quem attulit Golzius, & Nonius leuiter explicat.

p. 24.

Tab. I. n. 9.

Tenes Cycni filius amorem in nouerca excitauit adeo vehementem, vt nihil illa non ageret, quo filium in voluntatem suam adduceret. Sed omni spe desiderium obtinendi destituta, eum apud Patrem ob intentatum sibi stuprum accusauit. Cycnus, nimis credulus, Tenem cum sorore Hemithea dolo inclusum in mare abiecit. Dii vero illorum innocentiam in mediis aquis protegebant, quæ arcam ad Leucophryn insulam feliciter deferebant. Incolæ admiratione rei & misericordia affecti, hosce peregrinos magna humanitate atque reuerentia exceperunt. His Tenes imperabat, & insulæ nomen in Tenedum mutabat, in qua tanta seueritate iustitiam exercuit, vt carnifex, elatam securim tenens, à tergo Judicis in Tribunali sedentis staret, & illum, qui iniustæ delationis aut criminis conuinceretur, statim capite plecteret; sed legem omnium celeberrimam tulit, qua adulteris pœnam capitis proposuit. Infelix in eo legislator, quod filium eius primum exemplum esse contigit.

p. 25.

(*aa*) *de vtilitate ex itineribus haurienda p. 639.*

Exigua hæc veteris memoriæ particula à Suida conſeruata, & cauſæ nonullæ aliæ perſuaſerunt Nonio, vt duo in præſenti numo repræſentata capita, duos denotare reos crederet, atque ſecurim in auerſa numi facie ſupplicii inſtrumentum. Hæc nec alia ab eo affertur numi expli-
p. 26. catio, quæ communi videtur recepta conſenſu, cum nemo hactenus eam refutare auſus ſit. Interim longe eſt ingenioſior ſpecioſiorque, quam veritati & naturæ rei congruens. Quis enim ſibi perſuadeat, ſolos Tenedios, omnibus aliis Græciæ populis Deorum, Heroum, Principumue ſuorum imagines numis inſcribentibus, imagines adulterorum in ſuis expreſſiſſe: hac enim ratione ſimul notaſſent horrorem, quo crimen auerſabantur, conſtituta pœna illud tollere allaborantes: ſimul reos ipſos ſingulari ſtudio, & artificio oculis omnium expoſuiſſent, vt adeo infelicium illorum miſeria quodam modo compenſata fuiſſet duratione gloriæ, quam monumenta hæc illis pollicebantur? Lubenter crederem, duo hæc ita coniuncta capita Tenis ipſius & Hermitheæ ſororis referre facies. Vtriuſque ortus, ætas, amor, & aduerſæ fortunæ conformitas hoc plane mihi perſuadet. Præſens numus, nondum hactenus luci publicæ expo-
T. I. n. 10. ſitus, fortaſſis id, quod dixi, confirmabit.

Hic quoque à Tenedi incolis, vt inſcriptio ΤΕΝΕΔΙΩΝ nos do-
p. 27. cet, procuſus eſt. In eo ſimiliter, vt in ſuperiore, duo coniuncta cernuntur capita, hoc tantum diſcrimine, quod prouectiore hic ætate repræſentantur, quæ vtriuſque ſexum vultu ipſo ſatis diſtinguit. Diademate ſunt ornata, vnde vera hominum referre capita neutiquam dubito.

Silentio interim haud præterire poſſum, quod amicus, cui communicationem huius monumenti debeo, exiſtimat, vnum è duobus hiſce capitibus, Jouis eſſe, alterum Amazonis cuiuſdam, quæ in hac inſula regnauerat, aut vrbem aliquam tempore regni ſui in ea condiderat, cuius poſtea memoriam in numis ſuis conſeruare voluerunt incolæ, quemadmodum Cumæi, Epheſii, Smyrnenſes & aliarum plurium Aſiæ vrbium populi fecerunt, qui nomen & originem à celeberrimis hiſce & bellicoſis mulieribus ducebant. Idem addit, bipennem in auerſa huius numi parte occurrentem, mirifice ſuam confirmare ſententiam, quoniam hoc armorum genus proprium erat Amazonibus, quodque in omnibus fere illarum monumentis reperitur, de quibus eruditam, & exquiſitam Diſſertationem Petitus compoſuit. Sed non minus certe conſtat, tum Græ-

cos & Romanos, tum Gallos etiam ipsos securi, qua reos ferirent, vsos esse, vt etiamnum quam pluribus populis vsu obtinet, & in prouerbium apud Græcos abiit: Τενέδιος πέλεκυς *Tenedia securis* ad seuerum denotandum supplicium; & Τενέδιος ἄνθρωπος, cum de aspero & immiti iudice loquuntur. Chronicon Flandricum annotat, Comitem Balduinum securim in vexillis suis gestasse, tum quoniam Præses erat Judicum capitalium, tum quia tempore ipsius securi ad caput reis amputandum vtebantur. Ex vna tantum parte acutam fuisse siue secantem, atque ob id *Securim* appellatam, certum est. Eiusmodi erant secures Romæ olim summis Magistratibus prælatæ, quas etiamnum in Heraldicis secures consulares vocant. p. 28.

Hæc, Illustrissime Domine, digressio, ad quam numus Tenedius me inuitauit, forsan Tibi eo magis ferenda videbitur, quo magis numorum omnium, qui duplex caput à tergo coniunctum offerunt, explicatio ob conuenientiam cum Jano ad propositum meum satis pertineret, si desiderium intra paucos illos dies, quibus hic commoratus es, hanc Tibi offerendi Dissertationem illud mihi permisisset. Progredior itaque ad sequentes Augusti atque Neronis numos, eo percussos tempore, quo hi Imperatores Jani templum clauserunt. Tab. I. n. 11, & 12.

LexNumæ sanxerat, Templum illud belli tempore aperire, pace vero claudere. Macrobius (bb) huius rei causam refert, quam infra posui: *Cum bello Sabino, quod virginum raptarum gratia commissum est, Romani portam, quæ sub radicibus collis Viminalis erat, quæ postea ex euentu Janualis vocata est, claudere festinarent, quia in ipsam hostes ruebant: postquam est clausa; mox sponte patefacta est: cumque iterum ac tertio idem contigisset; armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, custodes steterunt, cumque ex alia parte acerrimo prælio certaretur; subito fama pertulit fusos à Tatio nostros. Quam ob causam Romani, qui aditum tuebantur, territi profugerunt. Cumque Sabini per portam patentem irrupturi essent fertur ex æde Jani per hanc portam magnam vim torrentium vndis scatentibus erupisse; multasque perduellium cateruas aut exustas feruenti, aut deuoratas rapida vo- ragine deperiisse, ea re placitum, vt belli tempore, velut ad vrbis auxilium profecto Deo, fores reserarentur.* p. 29. p. 30.

Consul,

(bb) *Saturn. lib. 1. cap. IX.*

Conſul, exercitui ducendo deſignatus, Senatu & Principibus Vrbis ſtipatus, hoc templum aperire conſueuerat, antequam ad exercitum imperii cauſa proficiſceretur. Eius habitum Virgilius hoc modo deſcripſit:

Ipſe, Quirinali Trabea, cinctuque Gabino
Inſignis, reſerat ſtridentia limina Conſul.

Seruius in hunc locum libri VII. Aeneidos contendit, *Trabeam Quirinalem* ſignificare veſtem regiam. Huic ſuæ ſententiæ fidem conciliare laborat loco quodam ex Suetonii libro *de genere veſtium*, cuius merito deploramus iacturam, vti & aliorum operum eiuſdem auctoris quamplurium, quæ ætatem non tulere, ſed ſola memoria ſupereſt in veterum ſcriptis ea citantibus. At enim quod è loco Suetonii Seruius colligit, parum ſolidum mihi videtur. Immo perſuaſus ſum, omnes illos, qui argumenta eius examinare operæ pretium ducunt, eiuſdem mecum futuros eſſe ſententiæ, & potius exiſtimaturos, *Trabeam Quirinalem* habitum hic denotare militarem. Ne enim dicam, eum quouis alio ad hanc
p. 31. cerimoniam fuiſſe congruentiorem, Janus cognomine *Quirinus* vocabatur, ac ſi Deum armorum diceres, à vocabulo *Quiris* petita origine, quod haſtam Sabinis denotabat. Mars quoque Deus ſub eodem nomine inuocabatur, & Romulus idem ſibi ob res præclare geſtas, & bellicoſum animum vindicauit.

Secundum Virgilium itaque Conſul ea in occaſione inſignis habitu militari, non minus conſpicuus erat ſingulari ratione, qua parte veſtimenti ſub brachio adducta, ſe accinxit, quod *Cinctum Gabinum* appellat Poëta. Feruntur enim Gabini, incolæ opidi in agro Romano iuxta viam Præneſtinam, cum iam in eo eſſent, vt Diis ſuis ſacrificarent, continuo hoſtes appropinquantes percepiſſe. In his rerum anguſtiis parum habentes otii, togas, quo melius pugnare poſſent, vtcunque ſuccinxiſſe, atque ita in hoſtem conuerſos in fugam eum conieciſſe. Fama tantæ victoriæ illico in circumiacentibus locis percrebuit, & Romani felix conatibus ſuis reputarunt augurium, Gabinorum habitum imitari, cum prima belli indicia aperto Jani templo proderent.

Mirandum eſt, quod intra ſpatium temporis maius annis ſeptingen-
p. 32. tis, à Numa ſcilicet vſque ad Auguſtum, bis tantum hoc templum fuerit

rit clausum. Primo ab ipsomet Numa circa initium eius regni, dein à T. Manlio Torquato, eiusque Collega, Q. Fuluio Flauo COSS. post finitum primum bellum Punicum, circa A. V. C. 530. Ter solus Augustus templum idem clausit; prima vice Consul tertium post celebrem illam Actiacam pugnam, qua imperium orbis terrarum ei Victoria adiudicauit; deinde decimum Consul, deuictis Cantabris; & denique cum Sicambros & Sueuos debellasset, qui imperii tranquillitatem turbare instituerant. Si Fastos tantum consulamus, Augustus non nisi bis Jani templum clausisse videtur, & quidem duabus primis, quas modo commemoraui, occasionibus. Sed historici, & in primis Suetonius, tertium clausi Jani mentionem faciunt, & Nonius post Justum Lipsium contendit, postremo hoc tempore mundi Sospitatorem esse natum.

Corbulonius Proconsul, cum præliis quamplurimis Tyridatem Armeniæ Regem deuicisset, pacem cum Romanis inire, & à manu Neronis diadema recipere eum adegit. Imperator iste, tertium tunc Consul, Jani templum clausit, quod post Augustum non erat factum. Circa initium Consulatus sui quinti hunc ritum repetiit, cuius causa in Historiarum monumentis haud annotata reperitur, forsan quia ex sola ostentatione factum fuerat. p. 33.

Vespasianus, tertium Consul, Judæis, qui rebellauerant, sub obsequium Romanorum remissis, Jani templum iterum clausit; vt præter alios Orosius nos docet, licet numi huius Imperatoris ea de re tacent. Maioris ipsi curæ fuit splendidissimum in numis repræsentare templum, quod post victoriam illam in honorem Deæ Pacis exstrui curauit. Josephus, Plinius, Suetonius & Dio de eo tanquam singulari architecturæ exemplo loquuntur; & licet vnum tantum latus in numis reperitur, vel hoc tamen præclare sustinet imaginem, ab historicis descriptam, fidemque magnificæ ædis facit. T. II. num. I.

Sed templum hoc non minus celebre fuit ob spolia Hierosolymis deportata, quibus locupletari illud contigit, quam ob multas veteres imagines, quibus illud Vespasianus exornauerat. In hoc ipso deinde conuenerunt eruditi, vbi & publica Bibliotheca fuisse videtur, quoniam, cum templum illud Commodo imperante flagraret, maxima pars operum Galeni simul periit, quæ ultra numerum ducentorum voluminum assurgebant. p. 34.

Non dubito, poſteriores quoque Imperatores exemplo Auguſti, Neronis & Veſpaſiani, templum Jani pro re nata aperuiſſe & clauſiſſe, quamquam nulla huius rei memoria poſteritati relicta exſtet. Julius Capitolinus *in vita Gordiani Pii* annotat, huncce Imperatorem Jani templum reſeraſſe, antequam profectionem ſuam in Perſas, quibus bellum annuntiaverat, aggreſſus eſſet.

Celeberrimus recentis ætatis ſcriptor Caſaubonus *in Suetonium* putat, hunc demum vſum ſub vltimis Imperatoribus in deſuetudinem abiiſſe; illumque adhuc tempore Conſtantis Junioris viguiſſe. Sed hæc ethnicorum cerimonia præceptis Chriſti, quibus filii Conſtantini ſubſcribebant, adeo eſt oppoſita, vt audaci huic coniecturæ neque ſubſcribere, neque infirmo, quo in fidem ſuam vtitur, argumento vllo modo accedere poſſim. Hoc ex Ammiano Marcellino ſibi petiit, qui *libro XVI. Hiſtoriæ* de Conſtante ſic loquitur: *Concluſo Jani templo ſtratiſque hoſtibus cunctis Romam geſtiebat viſere.*

p. 35. Non ſtudioſe hic diſquiram, vtrum error aliquis in hiſce Marcellini verbis irrepſerit, quod nonnulli contendunt, diuerſis manuſcriptorum quorundam codicum lectionibus ſuffulti; an Ironia de Principe ſcriptor vtatur. Hæc ſimplex phraſis vnius huiuſcemodi ethnici ſcriptoris haud mihi ſatis eſſe videtur ad rem tanti momenti confirmandam. Nonne etiamnum hodie ſtylo eiuſmodi figurato vtimur, neque tamen exinde aliquid colligi poteſt? Ita phraſin hanc uſurpatam reperi in Diſſertatione ad Regem ſcripta occaſione vltimæ pacis, quam Rex noſter Auguſtiſſimus Europæ dedit. Ac ſi litteris tantum inhærere velint, quid olim cogitabunt poſteri, cum in numulo Pii huius Monarchæ, ſignato circa
Tab. II. n. 2. annum 1680. Jani templum obſeruauerint, cum his in circuitu vocibus: *J'en ai la clef, Claues in mea ſunt poteſtate.*

p. 36. Longe magis primi Imperatores Chriſtiani, atque in his Conſtantius ſatis quidem, vti videtur, habuerunt, nihil quicquam religioni ſuæ repugnans agere, de cetero non admodum ſolliciti, nec nimia attentione cauentes de ſymbolis exterioribus paganiſmi remouendis ac vitandis. Vnde non adeo miror, cum video Anubin, monſtroſum illum Ægyptiorum Deum, inſcriptum auerſæ parti in numo huius Imperatoris, qui nuper admodum eſt detectus, & hic inter eruditos præbuit differendi materiam.

Singu-

Singularis huius argumenti iucunditas præter opinionem a meo me proposito abduxit. Restat enim cognominum diuersorum, quæ Jano tribuerunt Romani, causas exponere. Quod non melius quam verbis Macrobii expedire possum. Ita enim ille *lib. I. cap. IX. Saturnaliorum: In sacris quoque inuocamus Janum geminum, Janum Patrem, Janum Junonium, Janum Consiuium, Janum Quirinum, Janum Patulcium & Clusiuium. Geminum inuocemus;* vt per eum ad illos, quibus immolatur, siue superi sint siue inferi, pateat accessus. *Patrem, quasi Deorum Deum; Junonium quasi non solum mensis Januarii sed omnium mensium ingressus tenentem. In ditione autem Junonis sunt omnes Kalendæ. Consiuium à conferendo, id est, à propagine generis humani, quæ Jano auctore conferitur; Quirinum quasi bellorum potentem, ab hasta, quam Sabini curim vocant; Patulcium & Clusiuium, quia bello caulæ eius patent, pace clauduntur.* p. 37.

Ouidius *Fastor lib. 1.* diuersis hisce, & sibi inuicem oppositis cognominibus ludens canit:

Nomina ridebis, modo namque Patulcius idem,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.

In inscriptione quadam apud Reinesium docemur, Junonem quoque Patulciam fuisse vocatam, incipit enim sic:

JVNONI PATVLCIAE

Reinesius huius nominis rationem in Commentario suo reddere laborans, admodum ingeniose putat, Junoni Lucinæ hoc tributum fuisse elogium, quippe quæ vitæ fores infantibus, in mundum intrantibus, aperire censebatur. Equidem qui de aliis Junonis per mulieres tributis cognominibus aliquid perceperunt, quale fuit elogium *Fluoniæ*, explicationi huic subscripturi sunt facillime. Interim tamen dici quoque possit, Junonem Calendarum, siue primæ diei cuiuslibet mensis præsidem, menses aperire, atque hoc sensu *Patulciam* videri vocatam; hoc maiori quidem p. 38. veri specie, quod Janus Patulcius, qui, vt ex Macrobio modo percepimus, iisdem cum Junone diebus præerat, cognomine quoque Junonii fuit salutatus.

Denique omnes istæ appellationes satis euincunt, paucos alios Romanis fuisse Deos, quorum potestas latius patuerit quam Jani. Pleraque Triuia ipsius statuis erant exornata. Eiusmodi tres vel in vna via Romana

 repe-

reperiuntur, quarum ad mediam conueniebant creditores, & fœneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fœnus. Horatius *lib. II. Sat. III.* infelicem ex vſuris ſuis hominem inducit ita loquentem:

Omnis res mea Janum
ad medium fracta eſt.

Omnes quidem huius Poëtæ Commentatores, Acrone excepto, exiſtimant; Janum hoc loco non eſſe ſtatuam, ſed arcum vel porticum Janualem, qualis erat utrinque in extrema parte viæ Tuſcæ, ad quam
p. 39. conuenire ſolebant mercatores & numularii, atque adeo *Janum ad medium* medium huius viæ ſignificare. Cl. Dacierius, qui huius eſt ſententiæ, rem componi putat loco quodam P. Victoris in Octaua Regione Vrbis, & in deſcriptione fori Romani, vbi ponuntur *Jani duo, celebris mercatorum locus;* vnde colligit Dacerius, quod Janus medius ſpatium inter duos hoſce ſit. At enim Cicero, Tit. Liuius & Suetonius rem melius tangere mihi videntur. Primus, cum Jani nomen ab Eundo deduxiſſet, addit: *Ex quo tranſitiones peruiæ, Jani: foreſque in liminibus profanarum ædium, Januæ nominantur.* Liuius vero inter publica, à Q. Ful. Flacco Cenſore poſita monumenta, plures eiusmodi Janos enumerat ſub porticibus locatos. Suetonius denique *in vita Domitiani §. 15.* teſtatur, huncce Imperatorem *Janos tantos ac tot exſtruxiſſe, vt cuidam græce inſcriptum ſit arcui:* ΑΡΚΕΙ, *ſufficit.*

Numa, cum duos menſes Romuli Calendario adiiceret, priorem in Jani honorem *Januarium* nuncupauit, & Calendas huius menſis, quæ pariter tranſacti anni finem nouique principia reſpiciunt, inprimis ei conſecrauit. Thure primum in ara eius accenſo, meroque in honorem ipſius libato, molam ei ex hordei farina & ſale offerebant, quod ſacrificium *Janual* appellabatur. Ouidius *Faſtorum libro III.* nos præterea docet,
p. 40. quod hoc ipſo die laureæ nouæ omnibus eius ſtatuis imponerentur:

Laurea flaminibus, toto quæ perſtitit anno,
Tollitur, & frondes ſunt in honore nouæ.

Hic locus anſam mihi præbet notandi, Janum, quem in antiquis præſertim Romanorum numis obſeruamus, ſemper fere lauro cinctum fuiſſe repræſentatum, cuius rei ratio potiſſima eſt fortaſſis hic ſolennis ritus

tus ab Ouidio descriptus, ad quem Ausonius quoque Poëta respexit, cum tempus Imperii T. Vespasiani definiturus, in Cæsaribus canit:

Ter Dominante Tito cingit noua laurea Janum.

Equidem Calendas Januarii aliis variis celebres fuisse constat cerimoniis; sed eas hic, quoniam nihil ad Janum faciunt, lubenter prætereo. Hoc tamen non est prætereundum, quod Consules recens creati, hoc die consueuerunt in Jani templo dignitatem & munus suum ingredi; qui ob id nouum annum aperire dicebantur. Ita Sidonius Apollinaris circa initium carminis secundi:

Annum pande nouum Consul vetus.

Pro certo affirmare vix ausim, quod Imperatores etiam sub Imperii sui auspicium eundem ritum obseruarint, quamquam in Xiphilino *(cc)* legimus, Didium Julianum, Pertinace defuncto, Cohortium Prætorianarum suffragio electum, à populo, cui hæc electio non probabatur, vno ore acclamatum esse, cum Jano sacra iam facturus esset, quod rapuisset imperium & parricida existeret. p. 41.

Clarissimo Viro Joh. Valenti *(dd)* hæc iam notata sunt ad numum Pertinacis, in quo circa stantem Janum bifrontem legitur: JANO CONSERVATORI, quem similis occasione sacrificii cusum esse autumat. Sed numus tam singularis exempli, quale non occurrit in numis alius Imperatoris, erudito huic antiquario suspicionem suggerere debuisset, numum istum ex ratione plane singulari, neutiquam vero ob sollemne eiusmodi sacrificium esse signatum. Ego quidem in vita Pertinacis, à Julio Capitolino conscripta, huius causæ rationem inuenisse me existimo. Pertinacis enim ætatem & tempus, quo ad Imperium fuit euectus, refert, testaturq; ipsis Calendis Januarii hoc factum fuisse, cum ætatis annum sexagesimum Imperator iam excessisset. Hæc res vniuersum discutit mysterium, & causas reddit naturæ rei adeo congruentes, vt primo statim intuitu illas liceat colligere. Siquidem Imperator eo die electus, qui totus erat Jano consecratus, non maiori fiducia poterat à quoquam alio Deorum conseruationem sui suæque dignitatis tutelam, quam ab eo petere, cuius sub auspiciis purpuram induerat. p. 42.

 Præter

(*cc*) Xiphilin. p. 836. (*dd*) Valens. *Tom. II. Præstantiorum Numismatum.*

Præter ſacrificia Jano Calendis Januarii facta, alia itidem ei quinto Iduum eiusdem menſis offerebuntur, eiuſque in honorem *Agonalia* celebrabantur. Multi quidem auctores huius denominationis cauſam reddere conantur; ſed pauci ex his inter ſe conueniunt. Alii enim ea à ritu in ſacrificiis uſitatiſſimo ſic vocata volunt, quo victimarius hoſtiam feriturus rogare ſolebat, *Agon*? ſiue *Agone*? & *Ferione*? vel *Agamne*? Alii exiſtimarunt, Agonalia eſſe ab Agonio dicta, Deo, quem Romani rebus agendis præſidem inuocarunt; præterea ſollemne quoq; verbum eſſe *agere victimam*, quod qui facerent *agones* appellabantur. Alii, vt originationem nominis afferant, faciliorem ſimplicioremque, contendunt, *Agonalia* dici quaſi *Agnalia*; quoniam agni in iis ſollemnes victimæ mactabantur, quamuis die feſto Agonalium arietes tantum Jano immolatos conſtat. Alii à *Quirino* monte, in quo illa ſacra fieri ſolebant, qui etiam *Agonus* fuit
p. 43. vocatus, aut à ludis Græcorum, qui *Agones* dicebantur, Agonalium denominationem repetunt.

Si dolemus, inter tot diuerſas opiniones nos relinqui incertos, ſolabitur nos Ouidii exemplum, qui, licet omnem hanc materiam ingenio exhauſerit, & XVII. ſæculis propior fuerit tempori, quo hoc feſtum Numa inſtituerat, haud minus inter tot ſententias, quas eodem fere, quem ſupra tenui, ordine refert, ambiguus hæſiſſe videtur. Numi, qui alioquin ſæpiſſime nobis ad Grammaticas, Chronologicas & Hiſtoricas difficultates inſeruiunt diſcutiendas, hanc quidem controuerſiam non attingunt, neque vllus mihi innotuit, qui ſententiæ vni præ ceteris addat pondus: quamobrem vnuſquiſque pro captu ſuo de ſingulis feret iudicium.

Te vero, Illuſtriſſime Domine, legitimum merito mihi arbitrum, & ſequeſtrem huius controuerſiæ adſciſco, cui difficillima quæque capita totius Antiquitatis vni omnium perſpectiſſima ſunt. Neque enim mentiar, ſi dixero, Te in hoc genere litterarum non minus eruditione & ingenio excellere inter viros doctos, quam inter curioſiſſimos ac diligentiſſimos vetuſtatis ruſpatores caput efferis antiquorum & elegantium
p. 44. monumentorum à Te collectorum & numero & delectu. Longe quoque abeſt, vt peretioſæ hæ antiquitatis reliquiæ in manibus tuis velut inutile depoſitum fatiſcant, vt potius Gazophylacium tuum quotidie nouā lucem addat litteris, & noua atque inaudita nos doceat. Quibus laudibus

quantum

quantũ deniq; accedet, quando tuus in rem litterariá amor Te permouebit ad conſecrandũ eius vſibus explicationem tot inſigniũ & ſingularium antiquitatis monumentorum, quorum iam pridem es poſſeſſor dignißimus.

Quemadmodum vero excellis inter eruditos, ita non minus tua eſt in ſacrario Themidis conſpicua atque illuſtris virtus, quæ Te exſtulit, & Regi commendauit neutiquam negligenti æquiſſimam vocem, ſed ad dignum Te locum faſtigiumque pro meritis euehenti. Quid iam quæſo illi ſupereſt maius, quo tam ſingulare ingenium, & tam illuſtrem virtutem mactare poſſit? Mihi quidem ſufficit cum ſumma me obſeruantia vocare

Magni Nominis Tui

Illuſtriſſime Domine

Cultorem humillimum

GROSEUM de BOSE.

II.

Cl. GROSEI de BOSE Diſſertatio de CVLTV Quo SALVTEM DEAM

proſecuti ſunt Veteres.

Cui additi ſunt numi & nonnulla alia Antiquitatis monumenta, idem argumentum ſpectantia.

Prodiit Gallice

PARISIIS An. M D CC V. in 8.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO DOMINO

Dn. CLAVDIO de SANCTO GEORGIO,

Archi-Episcopo & Comiti Lugdunensi, Galliæ Primati.

ILLVSTRISSIME DOMINE.

CUm insigni voluptate adhuc memini temporis, quo thesaurum è numis antiquis Tibi colligere incepisti. In eo congerendo singu-
p. 2. larem tenuisti rationem, haud adeo aliis tuæ dignitatis viris solemnem, ac mihi neutiquam hoc loco prætereundam, cum regulæ instar atq; exempli aliis inseruire debeat. Plerique enim assueti, ex templo satis facere desideriis suis, quam primum illis ferri cœperunt, & vix leuem gustum huiuscemodi monumentorum habentes, vno sibi die comparant, quæ alii eruditi quamplurimi longa & difficili inquisitione sibi colligere potuerunt. Cui parcere se posse læti, hic subsistunt; neque aliter quam generatim atque vniuerse norunt, egregia se possidere monumenta. Propius autem cognoscere singulare singulorum pretium; rectum de antiquitate, & quarumcunque rerum raritate ferre iudicium; de certis Historiæ capitibus, quæ ex nonnullis eiusmodi monumentis vnice innotescunt, ad vnguem esse edoctum; quomodo illorum ope veteres scriptores vel suppeleti sint, vel emendati; & quosnam singulares veterum ritus illa nos doceant; hic labor plerisque admodum molestus ac difficilis, Tibi facilis est ac familiaris: non modo, quoniam scientias abstrusissimas tenes, sed etiam, quia vt hanc partem antiquæ eruditionis tanto felicius mente complecteris, rationem diuersam ab aliis viris principibus iniisti, & sensim ea acquirere studuisti, vt intercedente inter alia comparanda interuallo locus otio præberetur, singula penitus cognoscere, & fructum ex iis percipere integrum voluptatemque.

Hinc eruditæ tuæ obseruationes in singulos, vt ita dicam, numos
p. 3. profectæ sunt, quas sæpissime mecum communicare, Vir Illustrissime, dignatus es. Atque ex hoc ipso laudabilem illam augeri in Te sensisti ardorem,

rem, cui adeo feliciter ſatis feciſti, magnas Tibi ſeries ex omni numorum genere cuiusque magnitudinis & è quocunque metallo acquirendi.

In his Dii Deæque, quorum communiter in Cimeliis curioſorum valde neglecta eſt ſeries, haud idem ſiniſtrum in tuo experti ſunt fatum. Merito enim perſuaſus, non exiguum lucis ad hiſtoriam tam ſacram quam profanam illuſtrandam ex ea peti poſſe, locupletare eam & pleniorem ſemper reddere conatus es. Hinc illa quoq; , quæ ſuperiore anno ad Te, Illuſtriſſime Domine, ſcripſi, tam hilari fronte tamque benigne ſuſcepiſti, vt ſimilem ſortem hiſce meis promittere audeam, quæ in præſenti de ſingulari cultu Deæ Valetudinis Tecum communicare inſtitui.

Equidem valetudine quis denique theſaurus eſt pretioſior? Hæc ſola eſt, Illuſtriſſime Domine, quam ſingulari honore afficere non dubitarunt ipſimet Philoſophi, quamque omni voto, omnique deſiderio mortalibus expetendam conceſſerunt. Illis ſane, quibus felix atque benignior natura hoc largita eſt, vt, quam ſingulis momentis dilapidant, nec tamen deſiderent corporis ſanitatem, vix ac ne vix quidem de pretio eius conſtat; neque quiſquam de ea rectius ferre iudicium poteſt, quam cui naturæ illam auariore manu tribuit, vel ætas affecit ac labefactauit, aut ſiniſter caſus excuſſit.

Ægyptii non Salutem modo ipſam coluerunt vt potentem Deam; p. 4. ſed cultu quoque diuino affecerunt plantas & herbas, quas ad ſanitatem, vel præſentem tuendam ac conſeruandam, vel amiſſam recuperandam idoneas vtileſque cenſebant; quod religionis genus iis admodum fuit ſolemne, vnde Juuenalis (*a*) illud ſuauiter eos deridentis:

O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina.

Græci, apud quos metus & ſpes in infinitum auxit ac locupletauit numerum Deorum, (*b*) neque ipſi neglexerunt aras Valetudini dicare, conſecrare templa, vota nuncupare & offerre ſacrificia. Sicyonii & omnes fere incolæ Peloponeſi tanta eam veneratione ſunt proſecuti, vt eius ſignum cernere fas fuerit nemini, præter eos, qui ſacerdotio Deæ fungebantur; ceteroqui uſque adeo cirris ac cincinnis tectum capillorum, quos mulie-

(*a*) Juuenal. *Satyr. XV.* (*b*) Petron. Sat. *Primus in Orbe Deos fecit timor.*

mulieres græcæ quotannis sibi abscindere eique consecrare consueuerant, vt vix ac ne vix quidem cognosci potuerit. (c) Hoc interim notatu haud indignum, quod Græci non prius ita venerati sint Deam Salutem, quam post diu ante simili cultu affectum Æsculapium, artis Medicæ inuentorem. Saluti sane in Græcia nondum erat templum vllum dedicatum,
p. 5. cum celebria iam essent Æsculapii delubra Cyrenis, Smyrnæ, & in primis Epidauri, vbi statua illa fuit aurea, Historiarum monumentis celebratissima, cuius barbam abstulisse fertur Dionysius, Syracusæ Tyrannus, caussatus, indecorum esse Æsculapium coli barbatum, cum pater eius Apollo imberbis esset. Qui disciplinam morum tractant, de hoc Græcorum facto secus iudicabunt. Hæc est indoles, inquient, plerorumque hominum; cum malis affliguntur, primi ipsis Dii sunt remedia, at vota precesque vltimum demum refugium præbent, ad quæ haud prius fere recurrunt, quam cum omnia pæne sunt conclamata. Græci vero hanc notam vt expungerent, finxerunt, Salutem, quam nomine Ὑγίειας colebant, filiam fuisse Æsculapii atque Mineruæ, aut iuxta alios Epionis, Herculis filiæ. Hac ratione contra Mythologiam suam minime peccare se censebant, quod filiæ cultum patris cultui post posuissent. Iidem, ac si non suffecisset sub vnius Deæ nomine Valetudinem colere ac venerari, tres statim sorores ei associarunt, quarum prima JASO, altera PANACEJA, & tertia AEGLAJA vocabatur, quæ nomina illarum potentiam satis declarant, si modo ea cum Scholiaste Aristophanis deducamus παρὰ τὸ ἰᾶσαι, καὶ πάντα ἀκέσαι, καὶ παρὰ τὸ ὑγίειαν παρέχειν.

p. 6. Inscriptiones tam græcæ quam latinæ satis frequenter Hygieæ Deæ mentionem faciunt; Nescio tamen, an Panaceia atque Aeglaia alibi quam in Historiarum monumentis inueniantur. Nomen fateor JASO*nis* in hocce tantum numo deprehendi, quem Cl. Baudelotus benigne mecum
Tab.II.n.3. communicauit.

Numus hic in veteri ciuitate Achaiæ forsan signatus est, cui nomen Jassus, cuius Plinius & Pausanias frequenter meminerunt. Sed sola nominum inter se conuenientia, vti Harduino (*d*) obseruatum, ansam præbere

(c) Pausanias *in Atticis Corinth. & Achaic. 576. f. 584. f.* (d) Harduin. *Numi antiqui Pop. & Vrb. p. 210.*

præbere poteſt huic coniecturæ; cum, quæcunque etiam vrbs illum percuſſerit, certiſſimum tamen ſit, per ſerpentem ibi ex ara proſilientem, atque vocabulum infra ſcriptum ΙΑΣΩ, Salutem Deam deſignare voluiſſe cuſores.

Illi, qui nonnullos lapidum Baſilidianorum, etiamnum ſub nomine ΑΒΡΑΧΑΣ factis cognitorum, oculis vnquam luſtrauerint, haud dubie obſeruarunt, maximam illorum partem verbo ΙΑΩ eſſe inſignitã. p. 7. T. II. n. 4.

Et quoniam virtus Taliſmanica ſiue teleſtica iis aſſignata in primis Valetudinem reſpiciebat; etenim, vt canit Serenus Sammonicus:

Lethaleſque abigent (miranda potentia!) morbos.

lubenter crederem, verbum ΙΑΩ Baſilidianorum æque idem eſſe ac Græcum ΙΑΣΩ, cum præterea mea confirmetur opinio loco Euſebii (*e*), qui Ἰάω *eſt*, inquit, SALVS *hoc eſt Dei* SALVTARE; niſi Macarius & Chiffletius, qui hæc ſuperſtitioſa monumenta eruditis ſuis illuſtrarunt commentariis, affirmarent, quamquam nullo allato argumento, haſce tres ΙΑΩ litteras è ſacro JEHOVA nomine eſſe contractas.

Inditum naturale deſiderium, Euergetas Deos ſaltim cogitatione multiplicandi anſam dedit græcis hominibus, vt tot diuerſa Deæ Valetudini imponerent nomina; Atque vt, teſte Varrone, vltra trecenti fuerint Joues, pro totidem Diis habiti. Minerua quoque haud exiguum accepit cognominum numerum. Huic enim Athenienſes etiam Hygieæ nomen tribuerunt, quæ forſan illa fuit Minerua Hygiea, illa ipſa Pallas ſalutaris, cuius imaginem Antiochus Soter (*f*) Galatas debellaturus, in vexillis ſuis depingi curauit, vt ea militum animos, magno inimicorum numero conterrefactos confirmaret & à metu reuocaret. p. 8.

Nec minori Græcis veneratione Romani hanc Valetudinis Deam ſunt proſecuti. Quin etiam videntur Romani maiori illam reuerentia quã Medicinæ Deum coluiſſe, quoniam huic Deæ templum iam erat Romæ extructum centum amplius annis prius, quam vllus adhuc Medicinæ artis peritus ſedem ibi fixerat. Si quidem vera ſunt, quæ Plinius (*g*), Veterum teſtimoniis laudatis, affirmat: *Populum Romanum vltra ſexcenteſimum annum*

(*e*) *De præpar. lib. IV. c. 29.* (*f*) Cœl. Rhodi. *quæſt. lib. III.* (*g*) *Hiſt. Nat. lib. XXIX. cap. 1.*

num sine Medicis degisse; primum e Medicis venisse Romam Peloponneso Archagathum Lysaniæ filium, L. Æmilio, M. Liuio COSS. A. V. DXXXV. eumque Vulnerarium initio vocatum, mox à sæuitia secandi vrendique transisse nomen in carnificem, & in tædium artem omnesque Medicos.

Suetonius (*h*) cum de Veterum cærimoniis, ab Augusto reuocatis, sermonem facit: *Intermissum* inquit, *diu Salutis augurium restituit.* Quale autem id fuerit genus superstitionis haud dubie satis subtile Romanorum, solus Dio (*i*) nos edocuit: *Est quoddam*, inquit, *diuinationis genus, quo per*
p. 9. *auguria inquiritur, concedantne Dii, vt Salutem orent, ac pro ea faciant vota, quasi nefas esset eam prius, quam concedatur, petere.* Obseruat deinde, *purum diem ad id fuisse deligendum, quo nullus exercitus ad bellum esset profectus, nullum prælium commissum, qualem diem invenire posteris temporibus fuit longe difficillimum.* Addere neglexit Dio, quonam in loco Salutis captatum fuerit augurium. Wolfgangus vero Lazius, (*k*) nescio quo auctore, affirmat in illa ipsa hoc factum esse Tiberis insula, Serpentis Epidaurii sede, cum Romam appulisset.

Ædes Salutis condita est ab Illustri viro Junio Bubulco, quam A. V. C. CDXLII. ipse tertium Consul vouerat, cum Dux exercitus Romani contra Samnites feliciter pugnans victor ab iis rediisset. Post triumphum populus ei Censoris dignitatem contulit; Huius muneris sui tempore templum ex voto, quod Consul nuncupauerat, exstrui curauit, ab-
p. 10. solutum A. V. CCCCLI, quo fuit Dictator. Tunc, vt ait Liuius, (*l*) *Ædem Salutis, quam Consul vouerat, Censor locauerat, Dictator dedicauit.* P. Victor sexta regione Vrbis templum hoc prope Quirinalem montem collocat, qui inde Collis salutaris est appellatus, vti porta, quæ suberat, porta Salutaris dicta fuit.

Exstant adhuc numi gentis *Juniæ*, in quibus caput Deæ cernitur, quæ, vt subscriptum nomen SALVTIS declarat, Dea est Valetudinis, neque dubitandum esse censeo, quin ad nostrum Junium Bubulcum ille sit referendus, quamquam non in eo cognomen Bubulci, sed SILANI nomen legitur, qui forsan vnus è Bubulci posteris fuit, atque hoc pieta-
Tab.II. n.5. tis maiorum suorum monumentum restituit.

Ad

(*h*) *In Augusto.* (*i*) Dio *lib. XVII.* (*k*) *Specim. Comment. in Vet. Numism.* (*l*) *lib. X. Decad. 1.*

Ad explendum desiderium curiosæ posteritatis in auersa horum numorum parte oportebat repræsentari templum à Bubulco Saluti consecratum. Sic enim nobis constaret de ordine atque ratione huius architecturæ, cuius descriptionem in Veterum monumentis frustra quærimus, licet, vt Plinius *(m)* testatur, hæc Salutis ædes ad Claudii vsq; tempora durauit, cuius sub Imperio illa fuit exusta. Sane non è minimis Romæ veteris operibus hoc fuisse videtur, si modo exterior eius facies interiori respondit, quam celeberrimus ille Fabius ex illustri Fabiorum familia ortus pinxerat, qui *Pictor* postea cognominatus, primus fuit temporis sui Historicus. Titus Liuius eius subinde non sine elogio meminit, eum vocans *Scriptorum antiquissimum* & *longe antiquissimum*. Optandum erat genuina esse illorum scriptorum, quæ Annius Viterbiensis sæculo decimo quinto tum sub huius Pictoris, tum etiam Berosi, Catonis, Megasthenis atque Archilochi nomine publicæ luci exposuit. p. 11.

Non autem solus Junii Bubulci numus Deam salutem hoc modo oculis nostris sistit. In alio quoque familiæ Aciliæ illa conspicitur, cuius aduersa facies à priori in eo tantum differt, quod *Salutis* ibi & in hac *Salus* legitur. Numus auersus mulierem exhibet stantem, sinistro brachio paruæ columnæ innixo, atque serpentem dextra tenentem, circumpositis verbis: MV. ACILIVS III. VIR VALETV. Quas alii iam recte explicarunt sic: *Mutius Acilius Triumuir Valetudini*. p. 12. Tab.II.n.6.

Cl. Patinus in emendata & aucta Fuluii Vrsini editione singularem obseruationem huic numo subiunxit. Contendit enim legendum hic esse TRIVM VIR VALETV*dinarius*, atque hoc ad genus illud Magistratus referendum, quod ideo erat institutum, vt curam Nosocomiorum gererent, in quibus peregre aduenientes e locis de contagio suspectis, aliquamdiu debent, commorari priusquam in vrbem admittantur. Nec enim credibile esse, addit ille, in vrbe tam populosa, qualis Roma, &, vt Galenus refert, pesti admodum obnoxia, tam vtilem in præcauendo diligentiam fuisse neglectam.

Quamplurima concurrunt ad destruendam hanc sententiam, vt diutius ferri eam in præiudicium veritatis sit nefas. Primum, quod mihi hanc in rem occurrit argumentum, ex alto veterum scriptorum silentio p. 13. peto;

(m) lib. 35. cap. 4.

peto; qui nusquam huius Magistratus mentionem faciunt. E contrario quam sæpe legas, *Triumuiri ædibus sacris conquirendis, reficiendis, donis persequendis, agris diuidendis, coloniæ deducendæ, Reipublicæ constituendæ.* Hæc enumeratio, quam amplius adhuc producere possem, præterea me docet, titulum *Triumuiri Valetudinarii* nequaquam cum iis conuenire, quos Magistratus Valetudinis vocamus; Romanosque, si apud illos eiusmodi officium in vsu fuisset, minime hoc nomen ei tribuisse, neque adiectiuum, vt Grammatici loquuntur, addidisse titulo Triumuiri, quorum officium aut secundo aut sexto casu exprimere solebant, vtpote *Triumuiri* aut *Septemuiri epulonum: Triumuiri auro, ære, argento flando feriundo &c.*

Etiam Onuphrius, cuius Patinus nullam facit mentionem, quamquam ante eum Acilii numum eodem sensu iam explicauerat, illum non vocat *Triumuirum Valetudinarium* sed *Triumuirum* VALE*tudinis* TV*endæ*, duas efformans ex vnica voce VALETV. in fine decurtata, cuius tamen litteræ nulla nota distinguuntur, litteris æque ab inuicem distantibus, quod huius sententiæ infirmitatem magis adhuc declarat. Sed ipsamet auctoris verba apponamus, quo rectius de tota re sententiam ferre lector possit: *Huius Magistratus,* inquit *(n) nulla apud veteres auctores, quod sciam, mentio est, in antiquo vero argenteo nummo sic scriptum est,* M. ACILIVS III. VIR. VALETV. *Hi nostra ætate pestis causa creari solent, atque Domini sanita-*
p. 14. *tis vocantur, quibus temporibus de morbo suspectis magna potestas concedi solet; Nummi autem verba sic interpretor:* M. ACILIVS III. VIR. VALE*tudinis* TV*endæ.* Quando denique Galenus, qui tempore M. Aurelii vixit, affirmat, Vrbem Romanam admodum fuisse pestilentiæ expositam, nihil hæc pro Triumuiris Valetudinariis Patini faciunt. Nam & Londinum similiter malo illi epidemico obnoxium est, nec tamen hinc inferre licet, Magistratus eiusmodi valetudinarios ibi esse constitutos.

Præterea vt mihi exponat quæso, num nobiles ad hoc officium delegerint viros, aut illud viris duntaxat è plebe paruæ auctoritatis imposuerint? Si virorum illustrium hoc fuit officium, equidem mirandum est, quod tanta dignitas in vno saltim numo gentis Aciliæ notata reperiatur. Si eo munere functi sunt homines humili loco, non minus mirandum est, Acilios, è quibus Tribuni, Prætores atque Consules fuerunt, suis in monu-

(n) *In Comment. Reip. Rom. lib. 2.*

monumentis abiectæ hoc conditionis officium iactasse. Sane sub Consulibus & sub primis quoque Imperatoribus Medicina à seruis tantum aut à libertis Romæ facta fuit.

Seneca tertio de Beneficiis libro c. 24. de Domitio, à Cæsare obsidione cincto, cui resistere amplius haud valebat: *Imperauit medico*, inquit, *eidemque seruo, vt sibi venenum daret.* Suetonius in vita Caligulæ p. 15. refert Augusti ad Agrippinam litteras, quibus hæc inter alia ad eam perscripsit: *Mitto præterea cum eo ex seruis meis medicum.* Idem auctor in vita Neronis Medicum libertum memorat. Cicero in Oratione pro Rege Deiotaro, cum de Philippo, qui è primis erat accusatorum Regis, loquitur, *Medicum* eum vocat, *& seruum Regium.*

Inscriptiones Gruteri atque Reinesii plures nobis suppeditant libertos medicos. Idem in Plinii & Symmachi litteris obseruatur, quorum loca hic afferre nimis longum esset, & ab argumento nostro de Valetudine nimium nos distraheret. Constat quidem, per eorum, qui deinceps Medicam artem professi sunt, scientiam peritiamque clarissime innotuisse Romanis præstantiam huius artis, nimis antea abiectæ & in suis incunabulis neglectæ, inde tamen nihil colligi potest ad explicandum numum nostrum, primis illis temporibus signatum, in quibus Medicæ arti & ipsis Medicis parum honoris tributum fuit.

Ænigma denique in solo nominis *Acilii* etymo consistere mihi videtur. p. 16. Constat enim, nec Cl. Patino latuit, Acilios à græco ἀκέομαι, Jonice ἀκέομαι *sano, medeor* (o), quemadmodum Æmilios ἀπὸ τῆς αἱμυλίας à *festiuitate* dictos esse. Exinde haud dubie factum est, vt in infinitis aliis numis Consularibus deprehendimus, quod Acilii affectarunt Deam Valetudinis variis, quibus potuere, modis & diuersis nominibus, vt *Salutis & Valetudinis* in numis suis repræsentare, quod alius eiusdem Consulis numus mirifice confirmat, in quo Deus etiam Æsculapius dupli- Tab. II. n. 7. ci modo expressus apparet.

Neque deest ceteroqui suspicandi locus, aliquem ex nobilissima hac & potentissima Romæ familia templum ibi aliquod Sanitatis Deæ sub singu-

(o) Eiusdem fuit sententiæ iam ante Cl. GROSEVM Præstantissimus Begerus, vti videre licet in *Thesauro eius Brandenb. Tom. III. p. 530.*

ſingulari Valetudinis nomine condidiſſe. Neque enim ſine cauſſa Plinius
p. 17. (*p*) de Archagatho Medico, qui primus Romæ larem fixit, obſeruat: *Tabernam ei in compito Acilio emptam fuiſſe publice.* Numo itaq; ipſius antiquam verbi VALETV. per compendium ſcripti expoſitionem *Valetudini* ſeu *Valetudo* concedamus, quod eſt ipſum nomen Deæ in auerſa numi facie expreſſæ, atque à Dea Salutis omnino diuerſæ, quamquam pro vna eademque plerumque habentur ac confunduntur. Valetudo enim de corporis tantum ſanitate atque bono habitu intelligi poteſt; Salus autem bonorum vitæ humanæ omnium conſeruationem pariter complecti videtur. Neque alio ſenſu explicanda ſunt hæc in numis obuia: *Salus æterna. Salus generis humani. Salus mundi. Salus prouinciarum. Salus Reipublicæ.* In eandem ſententiam Terentius de familia perdita, in qua omnia peſſundata erant difficilibus moribus ſenis heri, libidinibus feminæ & filii iuuenis luxu,

Ipſa, inquit (*q*), *ſi cupiat* Salus
Seruare prorſus hanc familiam non poteſt.

Auerſus numus Auguſti aliud adhuc luculentum huius rei exemplum nobis ſuggerit. In eo enim Pax Dea non tantum cum caduceo, corona
p. 18. oleaginea & aliis, quæ ei competunt, ornamentis, ſed Salutis quoque Deæ inſignibus adiunctis, vt in vno quaſi typo comprehenderent omnia, quæ Romæ felicitatem ſub Auguſti imperio repræſentare aliquo modo
Tab.II.n.8. poſſent.

Quin etiam nomen Salutis ea comprehendere videtur omnia, quæcunque prodeſſe vel defunctis vel viuis poterant, quoniam finitis exſequiarum cærimoniis illi, qui funeri intereſſent, acclamabant defuncto: *Salue & vale.* Præſens enim matris Fauſtinæ numus poſt mortem eius cuſus, vt indicat DIVAE nomen capiti adſcriptum, numquid hanc me-
Tab.II.n.9. am ſententiam confirmat?

p. 19. Fortaſſis etiam ingenioſa adulatione ac ſubtili, quam cum externa ſimplicitatis ſpecie ſcite coniungere nouerant Romani veteres, indicare voluerunt, genium Auguſtæ conſecratæ ſalutem eſſe Reipublicæ. Hinc defuncta Liuia in numis repræſentata fuit addito titulo *Salutis Auguſtæ*, qui non inferior eſt alteri *Genetricis Orbis* elogio, quod ſpiranti tributum
Tab.II. conſtat. Non

num. 10. (*p*) Plin. *lib. XXIX. cap. 1.* (*q*) *in Adelph. Scen. VII. Act. IV.*

Non instituti mei est, exactam hic descriptionem tradere omnium symbolorum, quibus Deam Valetudinis adumbrarunt Romani. Quæ enim mox afferam, sufficientem iudicandi hac de re materiam nobis præbebunt, siquidem varietatem, quam in aliis reperire licet, substantiam ipsam rei haud adeo attingentem, ingenio veterum sculptorum adscripserim, qui, hominibus nostræ ætatis in eo similes, vt ectypa quoque sua pro archetypis venditarent, eadem affectabant insignia reddere singulari qua- T. II. num. II.
dam nota quam ipsi excogitauerant.

Typi illi conspectui sistunt mulierem stola indutam, iam sellæ in- p. 20.
sidentem, iam stantem, quæ serpenti, in brachio eius quiescenti, aut aræ circumuoluto cibum porrigit. Equidem omnibus constat, nec notare est necesse, serpentem, solenne prudentiæ symbolum hoc loco pro ipso Medicinæ Deo sumi, siue quod prudentia maximam huius artis partem efficit, siue quod Æsculapium Epidauro sub serpentis forma Romam abduxisse se Romani putarunt, siue quod hoc animal, quod cutem suam veterem quotannis deponit nouamque induit, omni nos tempore sperare iubet reiuuenascentiam, denique circa aram assidue serpendo docet nos, Sanitatem esse donum Deorum.

Præter hasce rationes vbique obuias in animum mihi induco, maius adhuc mysterium sub serpentis figura latere, qua Græci & horum exemplo Romani Æsculapium sunt venerati. Neque enim dubito hoc ad p. 21.
cognitionem, quam vtrique de sacris litteris habuerunt, referre, in quibus obseruarunt, quod Dominus, Moysis precibus exoratus, *Fac*, inquit, (r) *serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo &c.* Inuenio Tristanum & Patinum idem iam ante me annotasse; sed existimo non nihil locupletare me ipsorum obseruationem, si monuero, & locum istum Sacræ Scripturæ ansam dedisse metamorphosi Æsculapii in serpentem, & Hebrææ gentis ophilatriam fuisse caussam non postremam huiuscemodi superstitionis apud Græcos Romanosque. Sane Israelitæ tam miraculose aspectu ænei serpentis sanati, summa eum cura in perpetuam tanti miraculi memoriam conseruari debere existimarunt, sed hoc statim monumentum carnali huic atque crassioris ingenii populo in profani cultus scandalum

(r) *Num. XXI.*

abiit, qui solis sensibus duci se patiebatur, & suffitum ei tanquam Deo fa-
ciebat, adeo vt prudens ille Ezechias impietatis huius cursum tunc de-
p. 22. mum posset sistere, cum materiam eius *serpentem aeneum confregit, quem*
fecerat Moyses; siquidem vsque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incen-
sum. (*s*) Rex iste, cuius nunquam sine elogio Sacra Scriptura meminit, 700
circiter post Moysen & totidem ante natum Christum annis vixit eo ipso
tempore, quo Romana cœpit Respublica, & Græcia maxime florebat.

Si paulo attentius consideramus vasculum, quo Dea Valetudo in
numis repræsentata Æsculapio sub figura serpentis, offert, facile in aliis
pateram siue poculum, in aliis placentam deprehendemus. Patera siue
poculum haud dubie idem est, quod Græci Μετάνιπτρον ὑγιείας *Poculum*
salutis appellant, & Pollux (*t*) simpliciter ὑγιείαν vocat. Idem no-
men tribuit ille placentæ, quam Hesychius docet confectam è farina oleo
& vino subacta ad offerendum Diis, cuiusmodi placentam esse, quam
Dea Salus manu tenet, per est credibile.

Propertius & post eum Ælianus (*v*) de cærimonia quadam loquun-
tur obseruata Lanuuii siue Lauinii in veteri vrbe Latii, quod hodie Roma-
nia appellatur, horum verba cum typo præsentium numorum mi-
rum in modum quadrant. Ibi Deam aiunt sub figura ætate prouecti dra-
p. 23. conis fuisse cultam, cuius cubile antrum erat obscurum ac profundum.
In hoc quotannis virgo ætate integra ingrediebatur, quæ mazam præpa-
ratam ei offerebat. Locus corruptis tantum, non autem virginibus pe-
riculosus, siquidem draco ex ipsarum manibus familiariter cibum sume-
bat, præsagio certissimo felicis futuri & fertilis anni, vt canit Propertius
lib. IV. Eleg. VIII.

Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolæ: fertilis annus erit.

Videntur itaq; illi, vt hanc memoriam antiqui Latinorum ritus conser-
uarent, eam in aduersis numis hic delineatis luculenter repræsentare vo-
luisse. Certe Salutis Dea sub figura pulcerrimæ amantissimæque mulie-
ris in iis conspicitur, quæ porrectæ manu cibum serpenti præbet, & pro-
pitius

(*s*) *IV. Reg. XVIII.* (*t*) Pollux *lib. V. c. 11. & 16.* (*v*) *De Ani-*
mal. lib. XI. cap. XVI.

pitius ille Deus accedens oblatam sibi mazam manducat, quo ipso spes eorum certissime confirmabantur.

Nescio an simile quid obseruatum fuit etiam in sacrificiis, pro valetudine impetranda oblatis. Nonnulla Inscriptionum antiquarum fragmenta, a Grutero (w) allata, nos edocent, communiter huic Deæ vaccas fuisse immolatas, vt: JVNONI VACCAM.....-SALVTI PVBLIC. p. 24.
VACCAM. &c. MINERVAE VACCAS II .....SALVTI PVBLICAE VACCAS II. &c. Et Lucianus lepide ait, alios regnum per Hecatomben, alios Valetudinem oblato boue seu vacca velle sibi comparare. Eiusmodi sacrificium in Commodi quodam numo reperi, qui optime cum argumento meo quadrat. T. II. n. 12.

Ingens pestilentia totam Italiam eius sub Imperio afflixit. Vota & sacrificia haud dubie occasione tam graui non intermissa fuerunt, cuius rei argumentum delineatus numus esse potest; nisi mauis eum ad tempus referre, quo Commodus post primam detectam conspirationem a Lucilla sorore, Quadrato atque Taruntino Paterno, Præfecto Prætorii contra eum factam, ingentem sacrificiorum numerum Salutis Deæ obtulit, & SOTERIA siue ludos in honorem suum exemplo Domitiani instituit, qui memor periculi, quod iuuenis subierat, cum in Capitolio ab exercitu Vitellii cincto, pæne esset exustus, in grati animi memoriam paruum Saluti Deæ templum exstrui curauit, quod in hocce numo etiamnum conspicitur, cuius hæc est inscriptio: SALVTI AVGVSTI. p. 25. T. III. n. I.

Quamquam inscriptio numi Comodi habet: VOTA SOL*uta* PRO SAL*ute* *Populi* R*omani*; sensus tamen in ea est dubius. Imperator enim ille vix umbram quandam libertatis Populo atq; Senatui reliquit, quippe qui vtrumq; pro seruis suis aut libertis, &, teste Lampridio, (x) Romam vix pro Colonia sua habuit, *Commodianum etiam Populum Romanum dixit, vrbemq; incendi iusserat, vtpote coloniam suam.*

Magnus Pompeius, vti Velleius Paterculus (y) refert, *grauissima tentatus valetudine in Campania, vniuersa Italia vota pro salute eius primo omnium ciuium suscepit.* Aurelius Victor (z) idem hoc pro Tribuno Liuio Druso factum fuisse prodit: *Vota,* inquiens, *pro illo per Italiam publice* p. 26.

 suscepta

(w) Gruter. *p. CXIIX.* (x) Ael. Lamprid. *in eius vita.* (y) Paterc. *Hist. Rom. lib. II.* (z) Victor. *de Viris Illustr.*

susceptasunt. Sed quod pridem florente Republica singularis erat beneuolentiæ, in consuetudinem denique & in debitum officium sub Imperatoribus abiit, qui volebant initio cuiusque anni pro sui imperiique conseruatione atque diuturnitate vota suscipi, & à Magistratibus geri curam, vt huiuscemodi votorum formula tabulis marmoreis æreisque insculperetur. Pridie Nonarum Januarii hoc solenniter fiebat in Capitolio. Eo enim Sacerdotes & Flamines sacerdotali habitu amicti sacrificia offerebant præsente Imperatore, pro quo benignitatem Deorum implorabant, & populus, vota sua horum precibus adiungens, alta voce exclamabat:

De nostris annis tibi Jupiter augeat annos.

Vnum è primis capitibus, quæ Senatori Thraseæ Peto à Nerone veluti crimina sunt impacta, hoc fuit, quod solennitati isti anniuersariæ aliquoties non interfuisset. (*aa*)

p. 27. Laborem perquam tædiosum parumque vtilem aggrederer, si singulorum Imperatorum numos ordine instituerem referre, sub quibus Romani memoriam votorum nuncupatorum & sacrificiorum de morbo aut profectione consignarunt, vt VOTA SVSC. vel SOL. PRO SAL. ITV. ET. RED. Ita nemo fere Imperatorum est, in cuius gratiam cusa huiuscemodi monumenta proferre non liceat, neque lemmata eiusmodi & typi optimos Principes à malis distinguunt. Idem enim elogium *Salutis Generis humani* Augusto & Commodo, Traiano & Coracallæ comune est in numis, & si historiæ veritas ab hisce monumentis solis dependeret, æque omnes hoc meruisse viderentur. Quomodo vero de his integrum esset iudicare, nisi in subsidium venirent historici, qui post illos vixerunt, adeoque spem & timorem procul habentes, libere eos, & ad viuum describere potuere? Hi vero cum Commodi, Caracallæ & aliorum nonnullorum, qui eos aut præcesserant aut insecuti sunt, mentionem faciunt; publico nomine hæc facta ipsis vota atque sacrificia diffitentur, animo populi ab illis alienissimo, quorum tyrannis potius quam benignitas hæc ipsi expressit. Iidem scriptores vicissim testantur, Romanos, amoris sui in Augustum signis eiusdem generis sed sinceris haud contentos, singulari zelo insuper nouum sacrificii genus Saluti Deæ obtulisse, quippe *omnes*, te-
p. 28. ste Suetonio, (*bb*) *ordines in Lacum Curtii quotannis, ex voto pro salute eius, stipem*

(*aa*) Corn. Tacit. *Annal. lib. XVI.* (*bb*) Sueton. *in eius vita c. 57.*

ſtipem iaciebant; ſperantes, quod exemplo illuſtris Curtii, à quo Lacus nomen duxit, cum pro ſalute vrbis in eum ſe armatus præcipitem dediſſet, Dii ſimiliter rationem eſſent habituri opum, quas pro ſalute Principis ſui in eum proiiciebant. Nec minus ſalus Traiani cara fuit ipſius ſubiectis. Vnde Plinius in Panegyrico: *Solemnia*, inquit, *vota pro incolumitate tua, qua publica Salus continetur, ſuſcepimus pariter, & ſoluimus precati Deos, vt velint ea ſemper ſolui ſemperque ſignari.*

Ecce tibi accuratum, lector, inſignis gemmulæ ectypon, paruo abhinc tempore in Regiam Gazam illatæ, cuius delineationem pridem accepi ab amico clariſſimi tunc poſſeſſoris variiſque itineribus ſuſceptis celeberrimi viri Pauli Lucæ. Hoc monumentum mihi tam ſingulare viſum fuit, & ad Diſſertationem præſentem locupletandam adeo aptum, vt Verſalias me poſtea contulerim, quo diligentius ipſam gemmulam coram examinarem, quam etiam Cl. Oudinetus benigniſſime mecum com- T.III.n.2.
municauit.

Ex communi fere omnium ſententia hic exhibetur ſacrificium pro p. 29.
ſalute Peſcennii Nigri infra aram repræſentati, in qua Æſculapius ipſe ſolemni ſerpentis ſymbolo medios inter ignes conſpicitur, quo ſignificatur, Deum vota ardentia pro Valetudine ac conſeruatione Imperatoris nuncupata, eſſe exauditurum. Nomen in inferiori gemmulæ parte notatum legitur hiſce litteris: Α Κ Γ Π Ε Ν Δ Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γάϊος Πεσκέννιος Νίγρος Δίκαιος. *Imperator Cæſar, Caius, Peſcennius, Niger, Juſtus.*

Non æque faciles explicatu ſunt litteræ, quæ in media area occurrunt, atque Oedipis noſtræ ætatis fixerunt crucem. Nonnulli volunt, A litteram infra aram, nomen denotare vrbis, in qua hoc ſacrificium fuit peractum, Antiochiam nempe Syriæ metropolin, vbi Peſcennius ab exercitu, cui præerat, Imperator eſt electus. J alterum initialem eſſe litteram nominis Ιȣλίȣ, qui hoc ſacrificium aut votum ſuſcepit, atque Ju- p. 30.
lius ΣΑΒΟΩΝ vocatur. ΕΘΗ autem per compendium pro Ἔθηκεν *poſuit, dedicauit* ſcriptum, formulamque eſſe eiuſmodi in monumentis ſolemnem, quibus dedicatio atque conſecratio rei alicuius deſignatur. Et Υ denique nomen patronymicum Julii huius Saboonis ſignificare, Υπαίπηνον v. g. ab Hypæpa Aſiæ ciuitate aut ab alio opido Syriæ, cuius nomen eadem littera initiali gaudet.

Inter illos, qui hanc explicationem vniuerſe amplectuntur, nonnulli ſingillatim reïiciunt expoſitionem vltimi Υ per Υπαίπηνον, & maiori veri ſpecie per Υγιείη illud interpretantur, hoc modo: ΈΘΗκεν Υγιείῃ, *Dicauit Saluti.* Alii vlterius progrediuntur ingenio, & è CABOΩN, quod ipſorum nimis durum auribus videtur, duas voces faciunt, CABεῖνος ΟἸΩΝιςής, *Sabinus Augur*, & omne vitium ſculptori parum in hoc opere accurato impingentes illum agunt reum, omiſſi ἰῶτα, quod inter O & ΩN exſtare oportebat ad vocem ΟἸΩΝιςῦ exhibendam.

Prima quæ de iſto monumento in mentem mihi venit cogitatio hæc fuit: A illud infra aram optime poſſe Ἀγαθοδαίμονα ſiue *Bonum Genium* ſignificare, cum non ſolum numus, è Gaza regia à Seguino (*cc*) allatus, in quo vox iſthæc integra circa ſerpentem legitur, hanc meam

p. 31. ſententiam confirmare videretur, ſed & locus Plutarchi *lib. VIII, 10. Sympoſ.* cuius hæc ſunt verba: καὶ μὲν οἶνȣ τε τὸν νέον οἱ πρωϊαίτατα πίνοντες ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝΙ πίνονοι μηνὶ μετὰ χειμῶνα καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἡμεῖς μὲν ΑΓΑΘΟΥ ΔΑΙΜΩΝΟΣ Ατηναοι δὲ Πιτοιγία προσαγορέυȣσιν. *Jam vinum quodque qui bibunt citiſſime, Antheſterione hoc faciunt menſe, qui hyemem ſubſequitur, diemque illum, quo guſtatur nouum vinum, nos* BONI DAEMONIS, *Athenienſes Pithœgiam à doliis aperiundis appellant.*

Menſis vero Antheſterion, cuius auctor ille meminit, idibus Maii, quibus Peſcennius ad Imperium fuit euectus, egregie congruit, cui etiam diei ſingularis cum die apud Plutarchum intercedit conuenientia. Saltim locus hic oppugnat ſententiam quorundam veterum Calendariorum, qualia quidem edita illa videmus, quæ menſem Antheſterionem Nouembrem faciunt Latinorum. Obſtat etiam ordini, quem menſibus Atticis Vſſerius tribuit, Antheſterionem inter tres, quos Brumales vocat, menſes medium collocans; quoniam Plutarchus diſertis verbis teſtatur, huncce menſem poſt brumales demum ſequi. Denique ΑΡΤΕΜΙΣΙΩ Macedonum reſpondet, atque in vſu eſſe per Orientem cœpit ab eo tempore, quo menſes ſuos iuxta ſolis curſum inſtituerant. Quod locum Galeni in primum Epidemicorum Hippocratis confirmat, ubi dicit τὴν δὲ ἐαρινὴν ἰσημερίαν Αρτεμισίȣ.

p. 32. Calendæ Maii, quibus Peſcennius fuit electus, Laribus tutelaribus,

(*cc*) *Select. numiſm. fol. 299.*

ribus, & Bonæ Deæ erant conſecratæ, feliciſſimo reliquis menſis diebus præſagio. Forſan etiam lapidis ſculptor in eo denotare voluit tempus electionis huius Principis, veluti diem, qui & Imperatori & Imperio felix promiſerat augurium, ita vt notæ ſic poſſint explicari: Ἀγαθοδάιμωνι Ἰατρεῖον CABOΩN EΘHκεν Ὑγιείῃ Αὐτοκράτορος &c. *Bono Genio* ſiue *Æſculapio Amuletum, quod Saboon fecit pro Salute Imperatoris &c.*

Si contendimus, vt quamplures ſibi perſuadent, hunc Jaſpidem eſſe referendum inter Taliſmanes, atque à quodam Medico huius Imperatoris elaboratum ea ætate, qua hæc remediorum genera admodum in vſu erant, quamquam Galenus, qui tunc fortaſſis adhuc viuebat, inutiles eos cenſuit, non quod omnem virtutem lapidibus quibuſuis vt Jaſpidi abiudicaret, ſed quoniam hiſce inſculpta exiſtimabat nullius eſſe virtutis poſſe, quemadmodum eruditus Baudelotus in ſua de Taliſmanibus Diſſertatione obſeruauit. Hac ratione A litteram infra aram Ἀβὰκαντον interpretari licet, & reliquas notas per Ἰατρος CABOΩN EΘHκεν Ὑγιείῃ *Antidotum* ſiue *Taliſman, quod Medicus Saboon fecit pro Salute Imperatoris.*

Sed vt rem ſimplicius perſequar, verba ſic interpretor: Ἀσκληπίῳ p. 33.
Ἱερὸν, *Æſculapio Sacrum*, ſeu Ἀσκληπίȣ Ἱερεὺς *Æſculapii Sacerdos* CABOΩN EΘHκεν Ὑγιείῃ *Saboon hoc ſacrificium pro Salute Imperatoris peregit.* Et lubenter huic explicationi accederem, cum illa & naturæ rei & numo Peſcennii græco magis videatur conuenire, cuius in auerſa facie Æſculapius aut Imperator ipſe habitu huius Dei baculo, cui ſerpens circumuoluitur, innitens comparet.

Interim accepi virum quendam eruditum primæ caueæ (Reu. Patrem Harduinum,) cuius doctrina, ingenium & ſagacitas Tibi, Illuſtriſſime Domine, plane perſpectæ ſunt, de hocce monumento ſententiam fouere longe diuerſam. Explicatio fateor, quam profert, elegans eſt, nobilis & auctore ſuo digna. Vt autem omnis eius elegantia & acumen integrum conſtet, multa remouere præiudicia & cum primis ſupponere debemus, gemmam hanc exquiſite licet elaboratam, & quæ omnino antiquitatis ingenium refert, tamen ſæculo duodecimo aut plane decimo tertio ſculptam eſſe, eoque tempore in Gallia alibique artifices floruiſſe eiuſmodi in arte præſtantiſſimos. In hacce ſculptura uniuerſim res eſſe coniunctas plane alienas, & quæ nullo modo ſibi inuicem reſpondent. Caput

p. 34. put in ea occurrens lauro cinctum ex numo antiquo Imperatoris cuiusdam Romani, quem ſors obtuliſſet, eſſe deſumtum; poſtea à manu adhuc recentiore acceſſiſſe Peſcennii nomen, quod oris ductus quodam modo Nigrum referre viderentur, eiuſque rei argumentum eſſe litterarum ex aduerſa & inferiori parte collocatarum diuerſitatem, ſiquidem hæ poſteriores non eundem artificem præ ſe ferunt, ſed à manu haud adeo perita videntur exaratæ.

In ceteris omnibus, vti exiſtimat, tam in Symbolis quam in litteris adſcriptis Chriſtianiſmum ſapit hæc gemma. Ara cum ſerpente medios inter ignes denotat, quod ignis caritatis atque religionis libidines noſtras, quarum ſymbolum, vt priſci Doctores Eccleſiæ notant, ſerpens eſt, conſumere debeat. Nec minus litteræ ſuperiores ſenſum ſacrum producunt, ſi ita explicentur: Αδωναΐ Ιεωυα CΑΒαὼθ, ΟΩΝ Εικὼν Η Υιός. *Dominus Deus virtutum*, vel, *Exercituum*, *qui eſt imago Dei ſiue filii.* Nomen *Domini Dei virtutum* imprimis erat filio tributum, quod in Dialogo S. Juſtini & alibi obſeruare licet.

Sculptor itaque cum inſignem lapidem reperiſſet, ſculptura ſua eum longe nobiliorem reddere inſtituit. Loco elegantiſſimo, qui colore maxime æquali eſſet, inſculpſit caput Imperatoris; reliquum vero ſpatium primis, quas Pietas ei indiderat, imaginibus impleuit: denique confecit
p. 35. integrum quoddam veluti imaginum corpuſculum, idoneum ſane cruci figendæ curioſis, & cuius partes ſingulæ elegantia neutiquam deſtituuntur, ſed quæ ſunt parum oportune connexæ atque coniunctæ.

Huiuſcemodi argumenta, de quibus Tu, Illuſtriſſime Domine, iudicium ferre omnium optime potes, gemmam noſtram adſcribere iubent iis potius, quibus Gnoſticorum Abraxas inſcriptus eſt, quam aliis quibuſcunque. Sed huic materiæ, ſatis iam ab aliis illuſtratæ, diutius non immorabor, vti lectori erit integrum, pro genio ſuo vtram velit ſequi ſententiam.

Redeo nunc ad numos, &, prætermiſſo Salutaris elogio, quod Diis ſæpe in illis tribuitur, vt APOLLINI SALVTARI. MATRI DEVM SALVTARI. &c. obſeruo, in ſolis numis Elagabali & Poſtumi nomen Imperatoris Saluti appoſitum inueniri, v. g. SALVS ANTONINI. SALVS POSTVMI. His adde alium Gallieni non minus ſingularem hac
T. III. n. 3. inſcriptione: OB CONSERVATIONEM SALVTIS. Si

Si ad numos cadentis Imperii descendamus, eos votis insuper cernimus refertos, quæ pro salute Imperatoris nuncupabat populus, vt VOTIS V. MVLTIS X........ VOTIS X. MVLTIS XV. &c. *Votis quinquennalibus, multis decennalibus. Votis decennalibus, multis quindecennalibus.* &c. SALVIS AVGG. ET. CAESS. *Saluis Augustis & Cæsaribus.* Ita frequentes res nouæ & mutationes Imperii, barbarorumq; incursiones hunc vsum, officio & grati animi virtute firmatum, exstinguere haud valuerunt. Quæ vtraque ratio hodienum conseruat eundem, & seris commendabit posteris. Felices, si, perinde vt nos, vitam ducant sub Principe Augusti & Traiani sæculum reddente suis, cuius Deus propitius fata longius differat, iubeatque illos tempora sua beneficiis ipsius ac victoriis computare. p. 36.

Enimvero Tu, Illustrissime Domine, qui locupletandæ sæculi eiusdem gloriæ natus esse videris, nec minus præstas inter ceteros illius subiectos singulari in eundem religione, quam nobili genere, eximia in Deum pietate & profunda eruditione. Tu, inquam, non cessas, sacri sequestris instar, à Deo vero valetudinis fonte continuationem tam singularis ac multiplicis gratiæ calidis precibus exposcere. Vtinam sacrificiis tuis Deus annuat propitius! p. 37. Vtinam & Tu, Illustrissime Domine, per multos adhuc annos sacra facias pro valetudine Regis, atque ipsemet vtaris sanitate prospera, qualem requirit Ecclesiæ, Reipublicæ & rei litterariæ salus, & qualem exoptant omnes, qui à Te amantur, & quibus perinde vt mihi virtus tua perspecta est. Quod superest, perpetuo futurum me esse profiteor,

Illustrissime Domine,

Nominis Tui Excellentissimi

Cum primis obseruantissimum

GROSEUM de BOSE.

III.

pag. 1.

ANDREÆ MORELLII de NVMMIS CONSVLARIBVS Epistola

AD VIRVM CLARISSIMVM JACOBVM PERIZONIVM.

p. 37.

QUum à primis annis mihi ſemper in more fuerit poſitum, libros eorum, qui diligentiam & ſtudia ſua rei nummariæ Veterum conſecrarunt, vel etiam obiter in hoc genere operæ pretium fecerunt, inſpicere ſubinde, & cum cura euoluere; contigit, vt quas Tu, VIR CELEBERRIME, omnigenæ Eruditionis Tuæ teſtes euulgaſti Animaduerſiones Hiſtoricas, iam in Gallia magna cum animi voluptate perlegerem. Ex eo tempore maximo deſiderio exarſi, noſcendi Te propius, & coram etiam colloquendi, vt ex doctrina Tua vberiorem fructum caperem. Quæ felicitas demum mihi contigit, ante annos haud paucos negotiorum quorundam cauſa ad Batauos profecto, vbi famam Tuam à præſente ſuperari deprehendi, & humanitatem doctrinæ parem eſſe. Inde iam nata mihi fiducia eſt, has ad Te publice dandi literas, vt Tuam, aliorumque egregiorum in his ſtudiis Virorum ſententiam exquiram, de Nummis quibuſdam Conſularibus, vbi cum nouis explicationibus dubitationes quoque nonnullæ mihi ſunt natæ. Cum enim inſigne Conſularium Numorum opus prælo ſubiiciendum omni meo labore parem, velim judicia Tua, aliorumque prius diſcere, vt mea, vbi opus eſt, vel corrigam vel confirmem. Hac autem occaſione placet conſilii, moræque reddere rationem, ac omnibus palam facere, quam pertinaciter hactenus aduerſa

fortuna ſuſceptis meis reſtiterit, ne videar vanis promiſſis impoſuiſſe Orbi Erudito.

Ex altero ſcilicet Specimine Lipſiæ edito ſatis liquere puto, quibus obſtaculis à propoſito meo in Gallia fuerim deiectus, de quo in præſens vel propterea non plura, quod mali perpeſſi author præcipuus iam tum in locum ſuum abierit, mihiq; ſufficiat REGEM MAXIMVM me Clementiſſimo ſuo alloquio fuiſſe dignatum, tandemque in Patriam reuerſum tanta inſuper beaſſe gratia, vt Regia illa munificentia etiam maleuolorum quorundam excitauerit inuidiam.

Ex Gallia interim in Germaniam mira fortuna delatum ad perſequendos, & ad exoptatum finem perducendos labores ſumme exſtimulabat in Specimine meo pag. 32. memoratum ac promiſſum auxilium. Quod vero cum primitias non ſuperauerit, intermiſſique aliquandiu ſpes, Magni Patroni caſu penitus fuerit ſublata, egoque ſic derelictus in maximam ſumptuum inciderim iacturam, non modo langueſcere cœperunt labores mei indies, ſed & tantus exinde mœror animum occupauit, vt ante triennium hemiplexia tactus, totius Operis filum abrumpere fuerim coactus. Inde vero mihi paulo reuiuiſcenti animum denuo adiecit Illuſtriſſimi Comitis Schuuartzburgici Clementia, qua huc vſque fruor ſingulari, eaque factum eſt, vt mihi dexteri lateris vſu priuato adiunctus fuerit *M. Chriſtianus Schlegelius*, qui verba & dictata mea calamo exciperet.

Memorata hæc tanti ponderis apud omnes beneuolos Lectores fore confido, vt ad commiſerationem potius commouere valeant, quam eoſdem in ea relinquere perſuaſione, quaſi ſuſceptum opus leui neglexerim animo.

De primo ſatis: alterum quod attinet, penes me quidem conſtitueram, Imperatorum nummos cæteris præmittere, horumque iam vltra quingentas tabulas ſculpi feceram, ſed cum integram ſeriem nondum conſtituerent, ipſeq; delineationes in hoc meo ſtatu amplius dare prorſus nequeam, non exiguam inde labori accreſcere difficultatem facile deprehendi. Ad Nũmos Conſulares ergo animum adieci, eo cum maxime perductus, quod Impratoriis non ſolum tempore priores, ſed & delineati, ſculptique iam eſſent, meque in antiquiſſima Heluetiorum Republica naſci contigerit: hinc ſtatui, nummos ſummæ, quæ unquam fuit in Orbe ter-

rarum, Reipublicæ primum in lucem proferre, ad reliquas operis partes dein progressurus, si DEVS vitam viresque concesserit.

Hocce autem institutum eo vsque perduxi, vt nihil prælum morari possit, quam munda iam exarati Operis descriptio, in quo verba Patinianæ editionis per omnia retinui, vbique tamen notas, cum nouis obseruationibus, &, vbi opus fuit, etiam correctiones adieci. Religio quippe mihi fuit incomparabilis Fuluii Vrsini, cuius summi Viri memoria omnium venerationem meretur, cuiusque librum Scaliger Diuini elogio affecit, authoritati quicquam detrahere, quod eo gratius futurum spero iis, qui veteri editioni iam assueti sunt. In tabulis æreis ordo & numerus Patinianus seruatus est, ita tamen, vt iis semper fuerint insertæ accessiones nouorum nummorum, qui suis notis distinguuntur, hocque certo promittere possum, omnes delineationes, sculpturasque ad fidem ipsorum nummorum tam accurate elaboratas esse, vt beneuolis Lectoribus sese ipsas sint commendaturæ.

Nummi Consulares Goltzii ordine alphabetico ad finem Operis adiecti sunt, sicut libri Apocryphi Canonicis, quia dubiæ sunt fidei, & maior pars haud incertas notas falsitatis præ se fert, licet multo labore illorum explicationes tentauerint Viri Illustres, Erizzo, Pighius aliique, quorum lucubrationes addere placebit, etiamsi ingenii lusus sint, in iis tamen multa discenda rem nummariam perscrutantibus se obiiciunt.

Hæc omnia aperire placuit, quia ad me relatum est, elegans Opus de Nummis Consularibus ad editionem festinare Amstelodami in Typographia Huguetanorum, & quia Author in Re nummaria nulli secundus, & Valentissimus Valens est, (cui inferiorem me agnosco) Respublica literaria de Nummis Consularibus multo plura comparabit, quam hucusque apparuerunt, palmam vero labor ipse sibi tribuet, quæ & beneuoli Lectoris erudito iudicio subiecta sit.

p. 2. Nunc omissis pluribus verborum ambagibus ad ipsa recensenda dubia & obseruationes me statim accingam, atque ex iis primum prodeant ea, quæ in Tuis, *Vir Clarissime*, Animaduersionibus Historicis continentur; & quidem in capite primo, sicut egregia sunt omnia, quæ de Attiliorum cognomine SARANVS retulisti; ita vulgares etiam Veterum errores Eruditi Viri iudicio detegi & corrigi posse, iisdem comprobasti.

Capite

Capite II. iucundum mihi fuit legere obseruata de Seruiliorum cognomine GEMINVS: quibus etiam coniecturæ Pighianæ de M. & C. ABVRIIS, quod fratres fuerint, indeque etiam GEMINI appellati, veritas adstrui potest, etiamsi tres literæ initiales GEM. alia cognomina admittant, & apud Gruterum occurrat ABVRIA GENESIS; sed cum Mulier non sit Genesis, sed Geneseos organum, in eam incidi opinionem, forsan ibi genuinum huius gentis cognomen notatum, ac postea male descriptum fuisse, sed in literis Tuis humanissimis contrarium probasti. Stephanus Vinandus Pighius, excellens Annalium Romanorum Collector, Gentis huius nomen deducere conatur ab ABVRendo, voce vetusta, sed hæc deriuatio Grammaticalis placere nequit. Optima etiam sunt, quæ de Patino monuisti; nam circa M. & C. Aburios in eundem errorem incidit, in quem Sigonius circa M. & G. Seruilios, & ratio eius de duplici Gente ABVRIA nullo nititur fundamento: differentia autem inter Patricios & Plebeios non erat Nobilitas, sed ius petendi quosdam Magistratus: imo prima linea libri Antonii Augustini de Familiis Romanorum (quem ipse Patinus Vrsino adiecit) potuisset ipsi indicare, ACILIAM Gentem Plebeiam, Nobilem, & paulo post LVTATIAM Nobilissimam fuisse: quod & de pluribus aliis ibidem perhibetur. Verum quidem est, quod Liuius ait, Patricios Præturam, & Curulem Ædilitatem quæsiuisse, tanquam solatium pro amisso Consulatu, sed ante M. & C. Aburiorum tempora Prætura iam ad Plebeios transierat, & primus de plebe Prætor factus est Q. Publilius Philo A. V. C. CDXVI. posteaque numero Prætorum aucto, promiscue Patricii & Plebei Prætores creati fuerunt.

Maior difficultas residet in explicandis Gentis Æmiliæ nummis, qui in Vrsino per Patinum aucto Tab: I. n. 5. 6. extant. Siquidem firmissime credo, illos stante adhuc Republica, & ante imperium Monarchicum fuisse conflatos, quoniam ratio fabricæ oculis in re nummaria versatis nullo modo potest concedere, vt vsque in Tiberii Cæsaris tempora reiiciantur, etiamsi caput Concordiæ illud persuadere posset: sed ad Tiberii templum Concordiæ hos nummos Te non reiecisse, docent literæ Tuæ, quia hæc ratio facile euanesceret ex consideratione Nummorum Gentis Mussidiæ, & aliorum, in quibus idem caput Concordiæ apparet, quod sine dubio Concordiæ Nouæ est, cui templum ædificari, annuumque ibi Festum ce-

lebrari iussit Senatus, quum Julius Cæsar ad bellum aduersus Parthos se pararet, de quibus omnibus Dio Lib. XLIIII. Hinc non vana sequitur conclusio, tales Nummos ad illam Concordiam, vel etiam Triumuirorum spectare, cuius expressionis tamen potuit esse causa nobis ignota aut incerta. Si proinde prædicti Nummi ad Lepidi Triumuiri fratrem referendi non sunt, alius Paullus Lepidus erit quærendus, quod per literas doctissime tentasti, hac inductus persuasione: nummos hos esse cusos primis vel mediis temporibus Augusti, quum Paullus Lepidus, cuius Patruus fuit Triumuir, iam Consul fuerit sub Triumuirorum dominatione, & dein primis annis Augusti Censor. Illius autem vxor Cornelia fuit, filia Scriboniæ, vxoris Augusti, ex qua ille genuit Juliam, sicuti Paullus Lepidus ex Cornelia filios L. Paullum, & M. Lepidum, qui ad Consulatum peruenerunt sub Augusto. Ab hisce vel forte à Patre eorum ipso Paullo Lepido, Nummos hos cusos certissimo Tibi documento est, quod in iis monumentum Gentis SCRIBONIAE exhibetur, nempe PVTEAL LIBOnis, & Concordiam fraternam inter Paullum, & Lepidum filios Censoris denotari tanto magis credis, quia inter eorum Auum L. Paullum, & eius fratrem, M. Lepidum Triumuirum celebris fuit discordia. Quæ omnia ex literis Tuis proponere libet, vt etiam alii Eruditi ad penitiorem rei inuestigationem incitentur. Vbi tamen considerandum, quod vltimis Augusti temporibus non alii fuerint cusi nummi, quam cum effigie ipsius, aut certa minimum nota, illum designante, & hinc credere possemus, illa ætate nullos amplius officinam monetariam exiuisse nummos, qui Reipublicæ veteris formam saperent.

In Sexto Nummo Tab. I. huius Gentis Æmiliæ porro considerandum venit, adscriptum TER, quod Vrsinus ad triplicem triumphum retulit, id ipsum tamen in Animaduersionibus Tuis Historicis grauibus argumentis refellitur, putasque, rationes esse firmissimas, si recte considerentur. Æmilium autem TER triumphasse, docet inscriptio ab Vrsino allata, & ipso Pighio vidente Romæ eruta, prout testatur Tom. II. pag. 387. quare non etiam nummus, vt cum marmore conueniat? at si triplex triumphus non arrideat, triduanum forsan per TER notarunt. L. autem Paullum tres insignes Victorias de tribus diuersis hostibus retulisse, idque certum esse, per literas monuisti, sed trophæum non solum victoriam, at

ipsum

ipſum triumphum denotare, perſuadet caput ipſius Triumphi in primo nummo Gentis Papiæ apud Vrſinum, cui trophæum adiectum eſt, conſpiciendum; imo ſub Imperatoribus trophæum Triumphum magis infert, quam quadrigæ, quæ ſæpiſſime proceſſum tantum Conſularem indicant. Interim ſi Eruditorum alicui certiora eruere placet, Victoriam, Trophæum & Triumphum illi concedamus.

Gentem hanc ÆMILIAM Illuſtriſſimam nondum poſſum mittere, ſed nonnulla adhuc de eadem hic mouere libet problemata. Et quidem, quod eius primum concernit nummum, in eo plures Regem Aretam exhiberi ſupplicem autumant, ſed ſine dubio figura eſt Arabiæ genuflexa, qualis ſtans in Traiani nummis comparet. Hoc Æmiliæ Gentis monumentum cum alio diuerſo nuper admodum in lucem produxit Vir de Re antiquaria meritiſſimus, Laurentius Begerus, & quidem cum corona radiata dorſo cameli impoſita, in qua opinione præuium poteſt adducere Pigh. Tom. III. pag. 362. illam autem nunquam hactenus obſeruare mihi licuit, ſed ſaltem tegumentum quoddam ad vehenda onera aptum, etiamſi vltra centum eiuſmodi nummos viderim, & aliquot oſtendere poſſit Theſaurus Schuuartzburgicus: optarem ergo ſcire, an reuera talis nummus reperiatur, quia nullam perſpicere poſſum rationem, cur hæc corona radiata adeſſe poſſit: nam Rex Aretas, aliiq; Reges diademate, non eiuſmodi corona vſi ſunt, & apud Romanos illo tempore mortis erat ſignum, quippe qua Diuorum capita radiabant. In Numo Gentis RVSTIAE eadem corona ibidem fuit exhibita, ab aliis pariter nondum obſeruata, ſed huc etiam minus quadrat, quia Romani merito in ſuſpicionem venire potuiſſent, Vota pro Reditu Auguſti ea mente ſoluiſſe, vt mox Diuus fieret, ſiue moreretur: qua occaſione in mentem venit, me de nummo Gentis RVSTIAE doctiſſimas nuper legiſſe obſeruationes in Reu. Blanchini Epiſtola de lapide Antiati, & in libro de monumentis veteris Antii, quem ſuperiori anno edidit Illuſtris Philippus à Turre, quos Viros, etiamſi mihi noti non ſint, ex unguibus tamen in omni eruditione Leones cognoui. Vterque multus eſt in inquirendis & referendis Fortunis Antiatibus. Sed ſi nummum ipſum conſideramus, prius ex buſtis Romam repræſentare videtur; alterum autem Fortunæ eſt, ex quo datur colligere, Antiates Romam ipſam, ſiue figuram eius pro Fortuna vrbis ſuæ coluiſſe, & quia Fortunæ

p. 3. næ ipſius buſtum illi iunctum erat, opinio vulgaris prævaluit, binas eſſe Fortunas Antiates ſiue Antiatinas: quod vero SORTES appellatæ fuerint, doctiſſime negat Philippus à Turre, hinc etiam SORS & buſtum eius in primo nummo Gentis PLAETORIAE ad Antiates reſpicere non poſſet. Placet autem, quod in laudata Epiſtola Antiatinæ Sortes fraus Sacerdotum nominentur, quia eiuſmodi antiquitatis reliquiæ multis in locis adhuc in pio, ſcilicet, vſu ſunt.

In ſecunda dehinc huius Gentis tabula adiecit Patinus quartum nummum, quem, etſi vnde illum habeat, reticeat, conſtat tamen deſumpſiſſe ex Triſtano, qui eundem cum nomine ΜΑΡΚΟΣ ΛΕΠΙΔΟΣ, nobis obtulit: nummus ipſe ſeruatur in LVDOVICI MAGNI Theſauro incomparabili, in quo legitur ΝΙΚΙΑΣ, & exhibetur caput nudum Niciæ, qui, vt ait Strabo, Coorum Tyrannus fuit, &, teſte Julio Polluce, purpura auroque mixtis decorauit ſcutum: duos eius nummos iam edidit Goltzius Tab: XXI. Inſularum Græciæ, ſed in nummis caput Niciæ barba & laurea non ornatur, pluresque alios vide cum diuerſis ab auerſa parte nominibus. Nicias vero Cous, quem memorat Cicero Epiſt. Lib. VII. ad Atticum, vti mones, homo Grammaticus fuit, & ad hoſce nummos non pertinet.

Quæ in Specimine meo de ſomnio Sullæ in tertium nummum Tabulæ III. huius Gentis commentatus ſum, Tibi, Vir Doctiſſime, non placent, nec vides, quomodo referri poſſint ad Sullam, quum ille Æmilius Buca IIII Vir fuerit ſub Cæſare iam Dictatore, eumque in ipſis nummis expreſſerit, nec auſus fuiſſet Sullæ memoriam, & decora renouare ſuis in nummis ſub Cæſare, qui inimiciſſimum expertus eſt Dictatorem Sullam & ipſum Fauſtum Sullam vtique interemit. Probabilia quidem hæc ſunt, ſed incerti ſumus, an L. BVCA, qui nummum dedit, idem ſit cum L. AEMILIO BVCA IIII Viro: hæc ergo oppoſitio ad ſententiam mutandam non ſufficit: figuræ in nummo conſpicuæ, & nummi Gentis Corneliæ per omnia conueniunt cum relatione Plutarchi, vt in explicatione huius nummi ſomniaſſe vix accuſari merear. Ab Amico etiam ad me relatum fuit, Virum quendam Celeberrimum atque Doctiſſimum, & quidem maximi moduli (vt termino artis iocari liceat) tres illas figuras interpretari de Somniis Endymionis. Quamuis vero palmam de Somniis nemini

inui-

inuideam, huic tamen opinioni me accedere non posse, palam profiteor.

Correctio Patini, qui p. 120. ex literis: L. H. TVB. effecit L. Helius Tubero, legendis tamen: L. Hostilius Tubulus, insignis est, & iudicio Tuo acutissimo prorsus digna.

In Dissert. III. pag. 223. mentio fit Gentis Veturiæ, qua occasione propono, an non eius nummi in Patino attribui possint Genti Vettiæ, idque ex eo, quod vtraque iisdem initialibus vtatur, & figuræ in auersa parte, fœdus inter Romulum & Tatium denotantes, potius ad Vettium pertineant, qui mortuo Romulo InterRex fuit, cuius rei memoriam sine dubio quidam ex Vettiis hisce nummis conseruare voluerunt. Illud tamen contra Vrsinum affirmare non ausim, præsertim quia Te ipsum in partibus eius stare, ex literis didici. Nam, vt verbis Tuis vtar, VETTIA Gens Noua fuit, nec occurrit facile ante bellum Sociale, & ciuitatem Italicis datam; VETVRIA vero Antiquissima & Patricia, inter primos quippe Consules post eiectos Reges, sæpius memorata, vt adeo quando apud Plutarchum in Numa nominatur Vettius InterRex, prorsus putes, legendum isthic VETVRIVS vel VETVSIVS, vt tunc dicebantur. Veturii autem multa gesserunt in Republica, ad quæ respicere potuit auersæ partis typus in illorum nummis. Veturia fuit, quæ filium Coriolanum adegit ad fœdus cum Romanis faciendum, & Vrbis obsidionem relinquendam. Veturius fuit, qui in felix illud fœdus Caudinum fecit, quo tamen Exercitus omnis seruabatur. Hisce Tuis insuper addo, quæ Doctissimus Begerus in continuatione Thesauri Brandenburgici pag. 592. de istis nummis tradit: Fœdus enim Tulli Hostilii cum Albanis exhiberi coniecit. Mones insuper TI: prænomen in Gente VETTIA nusquam reperiri, sed in nummo ipso T. VETTIVS legitur, vt bene obseruauit Vrsinus: Patinus vero literam T omisit, sine dubio hæsitans, an debeat esse L, quia Vrsinus de solo L. VETTIO loquitur, illique nummum assignauit.

De capite Augusti in nummo Gentis ARRIAE producto, aliquo modo dubitas, quia barbatum est, & vix pro Augusti agnoscendum: ipsius tamen esse, ex sequentibus apparebit. Primo perpendendum est, hunc nummum statim post Cæsaris necem fuisse conflatum, antequam

vera Augusti effigies Romæ esset nota, ac præsertim Sculptoribus; hinc nomen Cæsaris siue Augusti non adiectum cernitur, quoniam Arrius anxius adhuc erat, & euentus de rebus Cæsaris dubius ac incertus. Idem colligitur ex nummis aliis, e. g. illo quem pag. 251. n. 5. Vrsinus affert, qui statim post Cæsaris obitum fuit cusus à T. Sempronio, in quo caput quoddam exprimitur, quod nullo modo Augusto tribui posset sine adiectis literis: DIVI JVLI F. estque quodammodo senile ac barbatum, perinde ac in Arrii nummo, quæ omnia etiam conspiciuntur in rarissimo nummo aureo Gentis Voconiæ operi accessuro, itemque illo, qui pag. 136. n. 6. occurrit, vbi vix quispiam caput Caii Cæsaris vel Augusti coniiceret, si additum nomen id non doceret. Huiusque generis adhuc, & diuersi passim reperiuntur. Nam Augustus barbatus deprehenditur in nummis, cum iam fuisset III. VIR R. P. C. sicut Antonius & Lepidus; ex quo fluit, illos barbam aluisse propter luctum ob Cæsaris interitum, quod plurimi non obseruantes Lepido attribuerunt nummos Antonii caput referentes, in Gentibus Sepullia & Vibia. Novimus præterea ex Dione, Augustum barbam nutriuisse, primamque demum deposuisse quinto post Cæsaris necem anno. Quas rationes satis roboris habere crederem ad caput hoc Augusto in nummo Arrii vindicandum.

In secundo nummo Gentis FLAVIAE distincte occurrit caput Apollinis cum lyra, sed quamuis plurimi huiusmodi nummi in conspectum meum venerint, tamen non satis accurate affirmare possum, an legendum sit: HEMIS, vel HEMIC. THEMIS vero legendum esse coniecisti in Dissertatione III. pag. 248. & seq. per literas autem fassus es, Te rei veritatem excogitare non posse, si non sit HEMINa, quod cognomen vni Cassio peculiare fuit. Interim persuadeor, HEMIS vel HEMIC. non esse cognomen Familiæ, sed initium cognominis cuiusdam Apollinis à loco desumpti, vbi colebatur, quia tales denominationes Deorum fere innumeræ sunt, &, si coniecturis indulgendum, forte ab Hemissenis in Cœle Syria, siue ab Hemichara, oppido Siciliæ, deductum est, quo significaretur, C. Flauium in istis locis Magistratum gessisse, vel illustre quoddam facinus edidisse; si vero hæc non placeant, Apollo ipse erit rogandus, vt certiora aperire velit.

Quod MVSA cognomen fuerit vsitatum, certum est, quia Antonius

tonius Musa, Augusti Medicus, eodem vtebatur, sed an fuerit cognomen Gentis POMPONIAE, non sine ratione dubitatur, quia nusquam reperitur vlli Pomponio tributum: quapropter literæ Tuæ valde persuadent, Herculem Musarum, Musasque ipsas à Pomponiis in Gentis numis expressas fuisse, quia plures in ea Gente exstiterint Poëtæ. Incertum tamen est, an Musarum nummi à Pomponio Rufo cusi sint, etiamsi Vir doctus fuerit: nam firmissime credo, secundum nummum Tabulæ III. percusum fuisse errore monetali, iungendo caput tertii nummi Tab. I. auersæ parti tertii nummi in Tabula secunda. Obiter etiam mones, Antonium Musam in metro Horatiano MVSVS vocari, qua occasione in mentem venit, nummos extare Tiberii, cum inscriptione: M. ANT. MVSO &c. & talem edidit Cl. Vaillant in Colon. pag. 121.

Hactenus, Vir Eximie, quæ ad Te propius spectant, attigi: nune patere, vt alia quoque adiungam, & non Tuam tantum, sed & aliorum Virorum in his studiis versatorum, sententiam de his quoque rogem; pergo igitur ad quædam nummos Vrsini ac Patini cum maxime concernentia, vbi præcipue errores per supinam siue Authoris siue Sculptorum negligentiam commissos, quasi per transennam notasse iuuabit. Sint ergo speciminis saltem loco Tabulæ I. nummus quintus in Gente ABVRIA, qui argenteus nobis repræsentatur pro æreo, &, quod mireris, pessime insuper delineatus, & longe maiori cum accuratione ab Antonio Augustino in suis Dialogis in lucem iam productus. In Tabula V. Gentis Antoniæ num. 3. & 6. pro gallo gallinaceo in nummis coruus visitur, quamuis & Goltzius aliique eodem modo errauerint. In vndecima eiusdem Gentis Tabula nummus militem galeatum offert, ac seminudum, cum Antonii statuam nudo capite sistere debuisset. Pro viro nudo campanulam tenente Tab. I. num. 8. Gentis CASSIAE Goltzius iam, & quidem rectissime, libertatem triumphantem sculpserat pileumque tenentem. Gentis CORNELIAE nummus Tab. I. n. 2. ab illa parte, quæ capite insignis est, & vocem ROMA: & ab auersa Victoriam malleum, quo trophæum erigit, tenentem ostendere debuisset. Sirenem aut Tritonem, qui num. 4. in Gente COSSVTIA occurrit, Rhodiorum Rosam siue Balaustium esse, instituto nummi accuratiori examine, deprehendi. Ara cum imposito serpente media inter duas Jani

facies deest in secundo Familiæ EPPIAE nummo, quod idem & in septimo Gentis RVBRIAE accidit. Vnde enasci posset coniectura, fuisse ex hisce Familiis Legatos ad accersendum ex Epidauro Æsculapium missos: sed ad rem Medicam potius nummos hosce pertinere reor, comprobante id Plinii testimonio, Rubrios inter celeberrimos Medicos apud Principes recensentis. Male Patinus in primo Familiæ FVRIAE nummo FVR. reposuit pro literis PVR, ab Vrsino ita recte datis, ac nihil aliud, quam initiales cognominis PVRPVREO exponentibus, cuius certissimum indicium in ipso nummo deprehendimus, concham scilicet Tyriam, purpuram ex se generantem, minime vero Scorpionem, quem insculpserunt. Cæterum multo plura hic afferenda lubens transeo, contentus illorum modo dedisse gustum, & Beneu. Lectorem ad huiusmodi correctionum vel mille dapes, si quæ sunt, in ipso opere apponendas hoc ipso inuitasse.

Ex plurimis nouis à me producendis, & ordine alphabetico inserendis Familiis duas tantum nominabo. Vna est CRITONIA, ab Vrsino iam quidem in tertio nummo Gentis CREPVSIAE, eodem cum secundo nummo Gentis FANNIAE adducta, ipsi tamen & aliis hactenus ignorata. Nam literæ L. CRT. in ipso conspicuæ, quid volunt aliud, quam Ædilem CRITONIVM, de quo Appianus Lib. III. Ciuil. & quidem tam clare, quasi nummum ipsum explicare voluisset, huncq; locum iam obseruauit Pighius Tom. III. pag. 467. in quo Romanorum annalium Conditore maxima erat diligentia, ita, vt ex eius laboribus quam plurima discere possimus, & memoria tanti Viri omnibus gratissima esse debeat.

Alterius Gentis, AVFIDIAE scilicet, memoriam nobis suggerit nummus, qui Versaliæ asseruatur in Thesauro Regio. Vna enim eius pars legendum offert: M AF ROMA; auersa vero RVSO. Diu iam est, ingenue fateor, quod frustra huius nummi quæsiuerim interpretationem, donec nuper diligentius in eam mihi inquirenti ex Taciti annalium lib. VI. occurreret Abudius Ruso functus Ædilitate; quo lecto persuasus fui, nomen hoc corruptum esse, & præeunte nobis nummo, AVFIDIVS RVSO legi & restitui debere. An vero recte, an minus, iudicent me doctiores, quia variâ se præbent obstacula: in quibusdam

Taciti

Taciti exemplaribus legitur Abudius Ruſo, idemque Lib. I. nominat Aufidienum Rufum, vt nihil dicam de huius Gentis cognominibus, Baſſus & Luſcus. Abutius Tertius refertur in Antiquitatibus Italicis apud Glandorpium. Interim quædam coniicere liceat de Gentis AVFIDIAE origine. Aufidus amnis Romanorum clade ad Cannas celebris forſan hanc dedit, & eius accolæ ciuitatem adepti inde denominati fuere, ſicq; Rus Aufidius Gentem hanc Romam miſit. In eiuſmodi coniecturis audax ero, non vt credi velim, ſed vt occaſionem vlterioris inueſtigationis beneuolis Lectoribus obiiciam, etiamque diſcam.

Sequantur nunc dubia quædam, nonnullaque nouiter à me obſeruata, & quidem de ACCOLEIAE Gentis vnico nummo ſingulari quædam proponere libet, quamuis non propugnare. In illo an Phaëthontis ſorores compareant, nonnulli dubitant, quibus vero ex rationibus id ab ipſis fiat, non capio: nam etſi illæ tanquam ſtatuæ expreſſæ ſint, potuit tamen eſſe, vt iſto modo ad ornamentum ædificii cuiuſdam fuerint exſtructæ: ramuſculi illi ſpeciem arboris indicant, reſinam ferentis, ſicut pinus, & forſan hæ figuræ olim balneum quoddam ornarunt; ſumme laudandus Begerus in continuatione Theſauri Brandenburgici coniicit, buſtum muliebre, quod ab auerſa parte cernitur, Clymenes eſſe Matris, quæ Phaëthontis caſum defleuit. Ex ſtatuis autem cum eodem tegmine capitis, capillis, & veſtimentis, quæ ad nummi caput dignoſcendum iuuare poſſunt, concludi poteſt Veneris eſſe, vel mulieris balneo vtentis. Hoc inſuper notandum, quod eiuſmodi ſtatuæ vel figuræ ſemper vna manu globulum teneant (non pomum, de quo erat iudicium Paridis) quem aromaticum fuiſſe, firmiter credo, eundemque in vſum balneatricum confectum ex reſina è laricibus præter aromata. Nollem interim opinionem Amici cuiuſdam amplecti de iſto globo, cum iam Plinium puduerit profiteri, qualis fuerit vſus cuiuſdam reſinæ apud Viros.

Primus Gentis ACILIAE nummus in Goltzii Faſtis Ære magno exſtat, Patinus vero eundem æris minimi nota ſignauit, quia Vrſinus nummis ſuis magnitudinem non adiecit. Ego vnicum vidi Verſaliæ in Theſauro Regio ex Ære magno, ſed artificis manu nouiter ita reſtitutum, vt in teſtimonium adduci nequeat. Reperiuntur vero multi adhuc nummi apud Coios conflati cum capite Æſculapii & ſerpente, hinc ſuſpicari

 quis

quis posset, nummum hunc ipsum Vrsini ad hanc Familiam non spectare. Noui interim, Eruditis non probari Romanorum III. VIROS VALETVDINARIOS, quos Patinus ex primo & tertio nummo elicuit. Ad laudes potius rei Medicæ facere istos, Plinius confirmat, tradens, primum è Medicis venisse Romam Peloponneso Archagathum, Lysaniæ filium, eique ius Quiritium datum fuisse, & tabernam in compito Acilio emptam ob id publice, vt iam obseruauit Pighius. Subsumere exinde nobis licet, Acilios huius rei memoria gloriari voluisse, si non Authores exstiterunt Collegii Æsculapii & Hygeæ, de quo insignem nobis communicat inscriptionem Jacobus Sponius in Misc. erud. antiq. Sect. II. Art. XI. Quæ si pluribus corroborari queant testimoniis, eo certius nostrum redderetur assertum.

Quintus nummus Tabulæ I. in Gente ANTONIA indicat, C. Antonium (qui, vt ait Cicero de hoc suo in Consulatu collega, duorum fratrum ætatibus medius interiectus, vitiis cum vtroque certabat, & semper in ore habebat Macedoniam Prouinciam) in isto nummo exprimi iussisse caput Macedoniæ; siquidem exacte obseruaui, caput esse fœmininum cum crinibus intortis, & huius plane figuræ mulier cum eodem pileo capiti imposito visitur in nummis Hadriani, cum epigraphis: RESTITVTORI MACEDONIAE: & ADVENTVI AVG. MACEDONIAE. Nullo proinde modo dubitare licet, C. Antonium hoc nummo & Macedoniæ emblemate laudem quæsiuisse, quamuis hanc Prouinciam praue & auare administrasset. In nummo Cn. Plancii idem caput Macedoniæ apparet, (quamuis alii propter pileum Libertati assignare voluerint) in auersa vero parte capra cum arcu & pharetra, quæ symbola alias Ædilitatis esse solent. Cum autem eiusmodi capra in plurimis Ægensium nummis etiam occurrat, & huius figuræ nummum nobis Emin. Cardin. Noris (in quo, teste Illustri Philippo à Turre, singulos laudum titulos, & summum locum doctrina sibi vindicante, amplissima dignitas accessio est) in Epochis Syro-Macedonum exhibeat, credere possemus Cn. Plancium ab vna parte nummi Macedoniam, ab altera vero eius Regiam exprimere voluisse, si non adessent arcus & pharetra, quæ in ludis consuetas venationes denotare creduntur. Tres reliqui huius Tabellæ nummi caput Solis non vno modo continent, idque Nonnius eo refert,

p. 5.

refert, quod Antonius in Ægypto Osiris appellari voluerit, qui idem cum Sole sit. Sed vero propius accedere videtur, hosce nummos vel Rhodi vel in honorem Rhodiorum fuisse cusos. Nam hanc Insulam M. Antonio fuisse adiudicatam nouimus, quum Triumuiri Romanum inter se diuiderent imperium. Eiusmodi etiam capita in nummis Rhodiorum sunt frequentia, nec mirandum, Rhodios hisce nummis ad fidem & amicitiam fuisse incitatos, cum constet, idem paulo ante & Cassium fecisse, vti in nummis Cassiæ & Seruiliæ Familiarum apparet. Præterea M. Antonius Rhodiorum auxilio nauali imprimis ante pugnam Actiacam habebat opus, & in nummo tanquam Augur in spem Victoriæ, adiuuante Sole, Rhodiorum Numine, quod caput ab altera parte indicat, cernitur.

Tres primi sequentis secundæ Tabellæ cum impressis serpentibus in eadem Gente ANTONIA tantas excitarunt inter Eruditos disputationes, vt Cl. Geuartii explicatio (qui cum indignatione, referente Tristano, probare conatus est, quod serpentes symbola sint belli, persecutionis, pestis, odii & inimicitiæ) per iocum verissima existimari possit: quidam opinati sunt, hosce nummos in Creta fuisse cusos propter similitudinem figurarum, & quia M. Antonii Pater Creticus appellatus fuit, quod tamen nihil ad rem facere potest, quia Cretensibus bellum inferens, re male gesta animi dolore morbo correptus interiit: hinc incredibile est, Cretenses in nummis Filii, Patris odiosam memoriam conseruare voluisse. Sed hi nummi nihil aliud indicare videntur, quam stultitiam M. Antonii, qui se Bacchum alterum nominauit, & hoc nomen sibi ab aliis tribui voluit. Athenis id primum quidem emanauit, & quum Athenienses inter reliquos honores ei Mineruam etiam despondissent, probare se id matrimonium dixerat, sed dotis nomine simul quadragies sestertium ab illis exegit. Adulantes ergo Asiatici non vltimi esse cupientes in acquirenda Antonii gratia, id propter in secundo nummo Bacchum signarunt, vt & in primo caput Cleopatræ: Sapientiores Atheniensibus, Antonio Baccho Cleopatram iungentes tanquam nouam Deam, sed Reginam, quæ pro dote regnum attulisset, vt adeo sic ab illis dos exigi non potuerit. Propterea etiam nummis VII. VIII. & IX. Tabellæ, thyrsi nauibus impositi conspiciuntur, quibus copula illa magis indicetur. Quod vero post victum & sublatum Antonium Augu-

stus

ſtus nummulum cudi curauit, cum inſcriptione : ASIA RECEPTA, duobus inſuper ſerpentibus & victoriola ciſtæ impoſita, non ad hoſce nummos reſpicere videtur, ſed ad ea, quæ Alexandro, Aſiam inuadenti, contigerunt: delatus enim ille in continentem, iaculum velut in hoſtilem terram coniecit, & armatus de naui proſiluit; cum autem decidiſſet & mox viſi eſſent duo ſerpentes, hoc omnes in optimum augurium interpretati ſunt, quaſi iam totam teneret Aſiam. Huius forſan rei traditio ad Auguſtum peruenit, qui Alexandri memoriam magna ſemper cum veneratione coluit, eiuſque corpus Alexandriæ inſpexit, Ptolemæorum autem corpora ſpectare noluit, Regem ſe, non mortuos videre voluiſſe, dicens.

In eadem Gente ANTONIA Tab. IV. num. 5. & 6. exſtant duo nummi in Vrſino ad Gentem Fonteiam relati, prout etiam rei antiquariæ peritiſſimus J. Vaillantius in Hiſtoria Ptolemæorum pag. 191. illos eo retulit; ſed firmiter credo, Patinum erraſſe, illoſque nummos ad Gentem Oppiam rectius referri, quod pluribus probari poſſet rationibus. Interim enixe rogo, vt, ſi quis eiuſmodi nummos nouerit, vel poſſideat, me certiorem reddere, & de nummis inſcriptis literis edocere dignetur; idemque de BIBVLI, OPPII, & ATRATINI nummis expeto. Nam plurimos vidi, qui inſcriptionibus differunt ab illis, quos ſupra memoratus, ſummeque laudandus Vaillantius ibidem edidit.

Septimus AQVILLIAE Gentis nummus florem monſtrat ex curru triumphali ſurgentem, vix tamen eo interpretandum, quaſi ex eodem FLORI cognomen Gens illa traxerit, quia & eædem quadrigæ in Gente DVRMIA & alibi, imo etiam in nummis Titi ſtatim poſt obitum Patris Veſpaſiani cuſis comparent, hinc non ſine cauſa Albertus Rubenius, cuius memoria omnibus rei antiquariæ cultoribus merito ſancta eſſe debet, exiſtimauit, eſſe thenſam Circenſem, aut ferculum quoddam triumphale cum impoſito floſculo, aut alio ornamento. Æneas Vicus pro eo ponit ignem in ara quaſi lucentem; alii florem Spei eſſe reputarunt. Amicus quidam noſter florem eſſe aromaticum credit, & quandam in Arabia expeditionem deſignare, aut ramuſculos eſſe vel folia celeberrimi Syriæ Balſami; ſed cum odore flos ille plane careat omni, originem eius mihi odorari hactenus conceſſum non fuit, neſcio an alii.

Quid

Quid indicent Centauri in nummis Gentis AVRELIAE, illius Oedipum quæro. Scio quidem Illuſtr. Cuperum ingenioſe ad pugnam Pharſalicam illos accommodare; ſed forſan ſpecialius quid indigitant, quia in nummis Aureliopolitarum ſub Imperatoribus pariter Centauri conſpiciuntur, cauſam vero eius hactenus indagare potis non fui.

Quid ſentiendum ſit de Gente BELLIA, & an reuera antiquitus Duilia vel Duellia denominata fuerit, non ſatis conſtare mihi videtur quapropter informationis deſiderio laboro. BELLIO reſcribitur à Seuero & Anton. 8. Cod. tit. 14. de pignoribus, vt refert Glandorpius. Qua occaſione obſeruandum, huius Gentis nummum in Patino non eſſe Augusti, ſed Caligulæ, inde inutilia ſunt omnia, quæ de M. Bellio ſub Antonio & Auguſto, eiuſque Duumuiratu nauali tradit. In Opere vero de Ære medio Patinus hunc nummum Auguſto, & Caligulæ mendoſe tribuit, quod quidem Cl. Vaillant in Col. pag. 45. obſeruauit, tamen nummum ipſum Auguſto aſſignauit, quod maxime miror, nam aſſeruatur in Theſauro Regio Verſaliæ, & eius inſpectio Caligulam indicare potuiſſet.

Quamuis abſque peccato credere poſſimus, & ipſa Hiſtoria teſtetur, in quamplurimis Familiis Romanis inſignes exſtitiſſe Cornutos reales, tamen hucuſque ex nummis non apparuit, ad quam Gentem Cornuti cognomen pertineat: id nobis indicat rariſſimus nummus Gentis CAECILIAE, quo ſuperbit LVDOVICI MAGNI Theſaurus Verſaliæ: lectionem eius in Gallia aſſequi non potui, nunc autem ichthyocollam nummi expreſſam diligentius examinans, legi ab vna parte ΑΜΙΣΟΥ, circa caput Palladis, ab auerſa vero ſpectatur Roma ſedens, cum hac epigraphe: ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΚΑΙΚΙΛΙΟΥ ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ, ac infra ΡΩΜΗ, quæ omnia conueniunt cum numis [illegible] Papirii Carbonis in Bithynia cuſis; nam Amiſus, Ponti vrbs, p. 6. eodem modo Romam venerabatur, quia Pompeius Pontum Bithyniæ addiderat. Epochæ veſtigia nulla apparent in [illegible]hthyocolla, quapropter Virum omni virtute ac eruditione præſtant[illegible]mum Dn. Oudinetum, qui nunc ſumma cum laude huius incomparabilis Theſauri cuſtodia fungitur, ſubmiſſe rogatum cupio, vt pro humanitate ac amicitia, quam ſingularem ſemper expertus ſum, me de vera lectione & Epochæ literis numeralibus hærentem erudire non intermittat.

Eadem prope difficultas ſeſe exerit in flore nummorum CASSIAE & SERVILIAE Familiarum, ſine dubio tamen ad Rhodios pertinentium, Roſamque Rhodiorum præ ſe ferentium. Si quidem in primo nummo Tabulæ II. flos, ſiue roſa ramuſculo in imo nummi iuncta, in ſecundo vero diſtinctius expreſſa deprehenditur; quamuis & alii acroſtolium eſſe contendant. Sed de his elegantiſſima pro more ſuo iam tradidit Illuſtriſſimus Spanhemius in Diſſertat. p. 273. & ſeq. quem Oraculum velut Delphicum, ſummumqne Patronum conſulturus de his omnibus adiiſſem, ſi terram illam ſcirem, quæ Saluti publicæ vnice litantem Magnum illum Virum iam contineat.

Nunc videamus, quid ſignificet vexillum à poſteriore parte capitis C. COELII CALDI. Signum Hiſpanicum eſſe, probant ipſæ literæ impreſſæ: HIS, & in alio eiuſdem Caldi nummo cernitur ſignum militare, ſuis inſiſtentis figura conſpicuum, quod Hiſpanicum eſſe, clarum redditur ex nummo in Hiſpania cuſo, à me ipſi operi inſerendo, in quo eques eiuſmodi ſignum militare geſtans conſpicitur. In alio huius Gentis nummo in Doctiſſimi Begeri continuatione Theſauri Brandenburgici lancea cernitur, quo idem probatur: nam lanceam non Latinum, ſed Hiſpanicum vocabulum eſſe, docet Varro apud A. Gellium Lib. XV. c. 30. hinc ſine dubio hoc armorum genus ex Hiſpania allatum fuit, & forſan ex Lancia, Vrbe Aſturiæ maxima, vbi indubie inſignis armorum fabrica fuit, indeque vocabulum lancea ortum: hanc Vrbem T. Cariſius expugnauit, & in eius nummis lancea Hiſpanicis armis iungitur. De C. Cœlii rebus fortiter in Hiſpania geſtis ambigitur, & Pighius contenta iſtius Numiſmatis ad fabulas retulit, coniiciendo, Caldum Triumuirum rei monetariæ ſtirpem ſuam vana Nobilitate exaltare voluiſſe, nam C. Cœlius Caldus Conſul nouus erat homo, qui haud paruis nobilium inimicitiis ad ſummos honores contendit, quapropter ambigo, an caput in nummo expreſſum illius ſit. Cœliorum autem nomen apud Romanos illuſtre fuit, à primis Vrbis temporibus, & dupliciter ſcribitur per OE, & AE, hinc intricata eſt huius Gentis Hiſtoria. Cœlii per OE Principem Gentis ſuæ adduxerunt Cœlium Vibennam, Tuſcorum Ducem Nobilem, qui Romulo Regi contra Sabinos cum ſuis auxilio venit, & in Vrbe remanens monti Cœlio nomen dedit: Qui per AE ſcribunt, ab antiquiſſi-

quiſſimo Deorum Cælo Gentem deduxerunt: præbent itaque hi nummi non contemnendam occaſionem, vt vlterior inquiſitio inſtituatur: idem fiat de nummo Liuiæ Æreo, ex quo Patinus in omiſſis Gentem CELIAM eruere conatus eſt; at cum nummum ipſum Verſaliæ in Theſauro Regio inſpexiſſem, errorem Patini facile quidem deprehendi, ſed veram Nummi inſcriptionem nec aſſecutus ſum, nec intellexi; ſequentia tamen mihi apparuerunt: T. RVSTI CEL. IVS. L. vel C. CORDVS II. VIR. QVINQ. D. D. Literæ prænominum non ſatis expreſſæ ſunt, ſed CEL. IVS diſtincte puncto intermedio diuiditur, poteſt ergo legi: T. Ruſticellus, vel Ruſticelius Juſtus. L. vel C. Cordus &c. Qua lectione vterque Duumuir denominatur. Interim de huius nummi vera lectione ſupra memoratum auxilium à Dn. Oudineto expeto: hæc Patini correctio ingenioſa, reique veritati proxima debetur Reu. Raph. Fabreto, cuius memoria benedicta ſit, illumque legant plura expetentes. L. vel C. Cordus forſan Pater vel frater fuit A. Cremutii Cordi, qui ſub Tiberio crimine poſtulatus, egreſſus è Senatu vitam abſtinentia finivit, & filiam reliquit Martiam, à qua Liuia culta eſt, vti notauit Glandorpius.

Joh. Vaillant, quo in re nummaria vix verſatior alter, inter nummos Coloniarum, Tiberii vnum euulgauit, huius inſcriptionis: PERMIS. P. DOLABELLAE PRO. COS. eundemque in Africa ſignatum non ſine ratione exiſtimauit. Alius habetur in Anglia maximi fere moduli, cuius ichthyocollam mihi humaniſſime ſubmiſit Illuſtriſſ. Spanhemii ex ſorore Nepos Nobiliſſ. Bonnetus, hanc ſuſtinentem epigraphen: PERMIS. P. CORNELI DOLABELLAE PRO COS. quam ſequuntur ſeptem literæ aliæ detritæ, quæ tamen hæ videntur: CPCASDD. In area cernitur Mercurius nudus ac elegantiſſime effictus, inter has maioris formæ literas C. P. Quia vero hic nummus ex Morea ſiue Peloponneſo in Angliam fuit translatus, exinde nonnulli hanc conceperunt opinionem, cuſum illum fuiſſe in Colonia Patrenſi: ſed cum hæc vrbs in nummis illius temporis C. A. A. P. Colonia Aroë Auguſta Patrenſis communiter audiat, & nummus Druſi apud Cl. Vaillantium p. 134. cum capite Mercurii in Africa Prouincia percuſſus videatur, litem hanc meam non faciam, ſed eius deciſionem peritioribus relinquam.

Nummus ſeptimus Gentis FONTEIAE, prout credo, ſub Claudio Imperatore demum apparuit, quia iidem II. Viri reperiuntur in nummis Meſſalinæ. Tres differentes exhibiturus ſum, ſed nullum adhuc vidi, ex quo Colonia vel Vrbs, quæ illos cuſos dederit, colligi queat.

Sequitur in Gente CASSIA Tab. II. num. 8. nummus Æreus, qui & idem reperitur in Familia LIVIA. In nummis ipſis roſtrum nauis impreſſum eſt, ac tres hæ literæ: D.S.S. quibus manifeſtum fit: naues illas DEO SEMONI SANCO fuiſſe ſacras, de quo egregia iam in Fuluio Vrſino p. 305. legenda ſunt.

Venio ad quintum nummum Gentis LOLLIAE, credoque, illum cum tertio eiuſdem Gentis concernere Lollium, qui Gallo-Græciam in Prouinciæ formam redactam primus tenuit, quem quidem Rufinus M. Lollium nominat, ſed in prænomine facile peccare potuit. Hunc nummum etiam vidit Excell. Pighius, putauitque, caput in illo expreſſum eſſe Deæ Baſilidis vel Baſiliſſæ Veneris, quia adeſt ſceptrum Regium, & ſub capitis mento litera B. quam Patinus omiſit, quæque forſan denotat, caput eſſe βασιλέως vel βασιλείας, ſed hoc incertum eſt, quia alium perſpexi nummulum Æreum cum capite diademato, poſtica inſcriptum: ΛΟΛΛΙΟΥ B. ſicque B. nomen ipſius Lollii immediate ſequitur, exhibetq; caduceum cum papauere & ſpica, quæ in alio nummo Titi Veſpaſiani occurrunt adiecto monogrammate, literiſque nummum ipſum in Galatia cuſum fuiſſe, clare indicantibus. Hæc omnia mihi perſuadent, caput quinto nummo Gentis LOLLIÆ impreſſum, eſſe Deiotari, Galatiæ Regis, quod iſte apud Romanos magni æſtimaretur, &, teſte Cicerone, vnus haberetur in orbe terrarum fideliſſimus imperio, atque amantiſſimus Romani nominis. Hinc ſine dubio memoriam eius nummis conſeruarunt, etiamſi cum filio iam mortuus fuiſſet: nam Amyntas, Deiotari ſcriba, quem M. Antonius Galatiæ Principem conſtituit, non magnæ authoritatis erat ſub Auguſto, quapropter illo mortuo Regnum filiis eius non tradidit, ſed Prouinciam P. R. fecit. De litera B inſuper notandum, me illam obſeruaſſe ſub ceruo ſexti huius Gentis nummi pro IZ, quas Patini nummus exhibet, inde non ſine ratione colligere poſſe-
p. 7. mus, eaſdem literas eſſe numerales propter variationem, etiamſi Pighius

literam

literam F obseruasse putauerit, indeque coniecerit, in hoc nummo repræsentari Fascellinam: quod Aricinæ Dianæ cognomen fuit ad lacum Nemorensem. In auersa quinti nummi sub sella Curuli etiam litera Γ conspicitur, quæ an Galatiam ipsam vel γερȣσίαν indicet, id peritiores me edoceant. Ὡς ἐν παρόδῳ addo, quartum nummum dictæ modo LOLLIAE Gentis cum capite Tiberii fuisse conflatum, quamuis summe laudandus Vaillantius in nummis Coloniarum asserat, nullum esse in Re antiquaria tam parum versatum, qui Augusti effigiem in hoc nummo non agnoscat.

Forte vnum ac alterum moueri posset dubium de expositione trium vltimorum nummorum Gentis MAECILIAE, & an Vrsinus ac Patinus recte huic Familiæ illos tribuerint: qua occasione referam nummum Vespasiani, mihi visum apud Abbatem Bisotium, meliori, quam expertus est, fortuna dignum, qui inscriptus erat: ΕΠΙ Μ. ΜΑΙΚΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, exhibetque figuram stantem, aratrum & temonem tenentem, cum literis ΒΙΘΥΝΙΑ. Sed cum de huius nummi fide indubia per omnia mihi non satis constet, præsentem eius possessorem (quem credo esse Virum Summum, Nicolaum Josephum Foucault, Galliarum Regi à Consiliis, & Neustriæ Præfectum, quique ditissimo suo nummorum Thesauro peritissimum Gallandum præfecit) hisce obsecro, velit me de illa informare, atque quam proxime: huius nummi tamen vera lectio confirmatur alio nummo Domitiani adhuc Cæsaris in Thesauro Regio Versaliæ, in quo circa clypeum eadem inscriptio M. Mæcii Rufi Proconsulis legitur, & non ΕΠΙ Μ. ΜΑΡΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥπΑΤΟΥ, prout descripsit & edidit Cl. Vaillant, de Mæcia Gente nihil reperi, quia autem Romæ Tribus MÆCIA erat, quare non & Gens hoc nomine appellata. Metii autem plurimi fuerunt, & Mæcii aliquot nominantur in inscriptionibus Gruteri.

Reperitur nummus, qui primo Gentis OPPIÆ plane similis, præter quod capiti Capricornus adhæret, & quoniam huius Familiæ nummi omnes ad res nauales spectant, coniectura mea eo redit, Capricornum in Augusti nummis nihil aliud denotare quam summum Imperium victoria nauali Actiaca fuisse ab Augusto acquisitum. Nam huius generis fortunam Capricornum inferre, pluribus & eleganter carmine exposuit

posuit Manilius. Vt adeo Suetonii fides vacillet, nummos, inquientis, Capricrono notatos, thema natalitii Augusti designare, præsertim cum à Viris doctis iam sit euictum, Capricornum natale Augusti sidus minime exstitisse.

In Familia PAPIRIA duo sunt nummi Græci, quibus quatuor adhuc alios in Opere meo additurus sum cum literis numeralibus ΔΚΣ, annos 224. exprimentibus. Quis autem in iis occurrens C. Papirius Carbo fuerit, exponit Dio Lib. XXXVI. illeque Bithyniam tenuit A. V. C. circiter 699. & quidem annis aliquot, postquam M. Cottam accusasset, à cuius filio Patrem vlturo, ipse postea fuit accusatus: inquirendum nunc, quo anno inceperit hæc Bithyniæ Epocha: hoc colligere datur ex nummis Gentis VIBIAE, in quorum duobus ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ legitur, circum caput Cybeles turritum, & ab auersa parte aquila fulmini insistit, cum hac inscriptione: Επι ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ πΑΝΣΑ, quibus literæ ΒΑΣ additæ, annum 232. denotantes. In alio tertio caput Julii Cæsaris exprimitur cum iisdem inscriptionibus. At hi nummi cudi non potuerunt ante Bithyniæ recuperationem, quæ facta est A. V. C. 707. cum Julius Cæsar VENIT, VIDIT, & Pharnacem VICIT. Inde si 232. annos retrogradimur incidimus in A. V. C. 475. sed quia hæc victoria exeunte demum anno parta est, certior statuitur retrogressus ab Anno sequenti V. C. 708. quo facto, Epocha inciperet A. V. C. 476. & hoc anno Nicomedes fratrem Zipœtum auxilio Gallorum vicit, Bithyniaque omnis in eius ditionem concessit: Galli tamen regnum cum Nicomede diuidentes Regionem à se possessam Gallo-Græciam cognominauerunt. Caput autem Julii Cæsaris in nummo expressum sine dubio indicat, cusum illum fuisse eodem anno, quo senatus monetam Julii Cæsaris imagine signare decreuit, si non velimus credere adulatores in Prouinciis Julio Cæsari hunc honorem citius, quam Senatus, attribuisse. Memoratum Julii Cæsaris nummum luci publicæ iam exposuit Clarissimus Vaillantius in suis Græcis Imperatorum numismatibus p. 1. sed istud miror, quod illum Pergamenis adscripserit.

Non vna Eruditis de duobus primis nummis Gentis SANQVINIAE est sententia. Clariss. Vaillant in illis caput Castoris exprimi credidit; Clariss. vero Begerus rectius caput ipsius Augusti repræsentari

exísti-

existimauit, quasi Diui Cæsaris spiritu animatum, propter stellam crinitam capiti imminentem. Vterque nummus asseruatur in Thesauro Schuuartzburgico, pluresque alios contemplatus sum alibi, ex quibus tamen nihil aliud colligere mihi licuit, quam caput esse ipsius Julii Cæsaris, à Goltzio & aliis iam ita expressum. Facies equidem cum Augusti delineamentis conuenit, sed figura & ambitus totius capitis Julium indicant, præsertim cum sculptorum in exprimendis capitibus non eadem semper fuerit accuratio.

Tertius nummus Tab. II. Gentis SEMPONIÆ est, si Patino credere velimus, capite Augusti insignis; accuratius illum vero edidit supra nobis laudatus Begerus cum capite cornuto, & in auersa parte additis literis ΠΥΘΙ. Ego quidem aliquot istorum nummorum inspexi, sed quod fateri simul habeo, omnes tam mutili atque corrupti erant, vt rei veritatem ex iis dignoscere nequiuerim: horum unus caput Julii Cæsaris exhibere mihi fuit visus, in quo laurea sic eminet, vt caput cornutum esse videatur: in alio caput muliebre velatum apparet, quæ tamen pro certo affirmare non ausim. Gratissimum ergo mihi accideret, si integrioris nummi possessor accuratam eius delineationem submittere vellet. Ex additis literis πΥΘΙ coniicere licet, SEMPRONIAM Gentem à Pythii denominatione cognomen desumpsisse, nam alium nummum delineaui, in quo ab vna parte caput Jani bifrontis cum literis πΙΤΙΟ conspicitur, & in postica L. SEMPronius cum prora nauis, cuius rei Oedipus omnibus gratus erit.

Nummus Gentis THORIÆ in Vrsini editione litera Q notatus est, asseruatur integrum in his nummis alphabetum in Thesauro Schuuartzburgico. Patinus quidem in Thesauro suo p. 42. idem iam obseruauit, sed in eo errat, quando putat, in huius Gentis nummis etiam muscas, cancros, aratrum, stellas, clauam & similia inueniri: talium vero notarum diuersitas prope infinita est ratione figurarum, literarum & numerorum in quamplurimis aliarum Familiarum nummis, ita, vt in admirationem trahere possint, sed in quem finem illarum vsus institutus fuerit, eius rationem nondum assequi licuit. Interim nihil aliud excogitare possum, quam per tales notas, monetarios in officinis distinctos, & ad explorandam cuiusque fidem ac industriam eas adhibitas fuisse.

Vber-

Vberrimus Goltzius in Fastis Consularibus nummum edidit in EMPORio cusum, quem C. Aurelio Cottæ assignat, & citat Pighius Tom. II. pag. 56. vterque multa de Emporiis refert, sed huic Epistolæ non inserenda; ab illis tamen didici, in Emporiorum nummis Familias & nomina Romanorum contineri, quapropter illos quoq; delineaui, & in rei veritatis testimonium vnicum afferam, in cuius vna parte caput Romæ galeatum se offert, cum hisce literis: L. M. RF P. C. Q. ab altera EMPOR. cum Pegaso decurrente. Rufus cognomen est Mesciniorum & Minuciorum, hinc credebam, hunc nummum pertinere ad Minucium, qui ab Appiano inter Imperatores in Hispaniam missos numeratur, cuiusq; successor Cato, cum Emporium peruenisset, hostibus circumuentus, eosdem vicit. Quia autem huic Minucio à Liuio semper Quinti prænomen tribuitur, ad Mescinios me contuli, credoque, hunc nummum referendum esse ad L. Mescinium Rufum, qui Ciceronis in Cypro Quæstor fuit, ergo in nummo forsan legendum L. Mescinius Rufus Procos. Cypri Quæstor. Si cui tamen hæc lectio non placeat, meliorem afferat, vt gratiarum actiones mereatur.

Ingenue fateor, aquam mihi hærere in interpretatione trium nummorum CORDIÆ, triumque priorum EGNATIÆ Familiarum; hinc votum meum eo redit, vt aliunde illa mihi affundatur. Atque ad hos dum deuenio, subnectam paucas adhuc quæstiunculas, resolutionem illarum exspectaturus. Sunt, qui dubitant, an figura in secundo CANINIORVM nummo de Prætorio tabernaculo interpretanda, & ad oppidi alicuius oppugnationem referenda sit. CLOVIORVM Pallas forsan Venus est, quam Cæsar annulo insculptam gestauit, eaque tessera in rebus summis vsus est. Monstrum marinum, quod Tab. V. n. 6. CORNELIAE Familiæ in nummis sub equis visitur, idem est, quod in secundo nummo Gentis Plætoriæ & sexto Valeriæ. Speciem quidem Nereidos illud præ se fert, num vero sit, pro certo affirmare non habeo, nec, an in auersa parte nummi HERENNIAE exhibeatur Æneas Anchisem ferens, an vnus ex fratribus Catanensibus. Neque desunt, qui binis oculis nolunt agnoscere Coclitem, & concedere, eum ad Gentem Horatiam pertinere, dicendo, Horatiam illam veterem Familiam hoc cognomine insignem, iam extinctam fuisse illo tempore, quo nummus cusus videtur. Inquiren-

rendum ergo esset vlterius, an alii Familiæ tribuendus. Quid septimus LICINIORVM nummus sibi velit, cum primis scire desidero. Nam figura muliebris equum ducens galeata est, habetque ad pedes modium; vix ergo ad Censorem referri poterit, prout Viri peritissimi iam scripserunt. Monogramma [monogram], quod nummis PROCVLEIAE Familiæ adiectum est, forsan ad ipsam Gentem pertinet, quæritur tamen, an non inde coniicere liceret, hosce nummos ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ esse, vel Corcyræ fuisse cusos, vt & apud Oscenses secundum Gentis QVINCTILIAE ex collatione Tabulæ II. num. 4. nummi Gentis Domitiæ.

Essent adhuc plura, quæ afferri à me possent, ac in vlteriorem disquisitionem proponi, sed ad finem properans pauca saltem adhuc addam de nummis quibusdam insolitis, quorum tamen cognitionem plurimi, licet parum proficuam, desiderant. Primo occurrunt quandoque nummi, qui ab vtraque parte genuini sunt, sed per errorem monetariorum duobus typis, vel duabus diuersis nummorum matricibus, vt Galli vocant, aliquando adhibitis, ex illarum coniunctione vnus est conflatus, duas diuersas Familias falso indicans, ex. gr. in Vrsini prima editione pag. 98. caput Gentis Considiæ iungitur auersæ parti Gentis Flaminiæ, atque hanc ob causam Patinus hunc nummum, vt suspectum, omisit, quamuis postea in Thesauro suo Numismatum aliquot horum exempla ediderit: sic & in Goltzio, alibique plura occurrunt, ac in Thesauro Schuuartzburgico insignis est nummus cum auersa parte M. Antonii, coniuncta cum postica parte Gentis Pompeiæ, quo haud obscure simul probari potest, nummos Pompeianos cusos fuisse illo tempore, quo pax simulata inter Sextum Pompeium & Triumuiros sancita fuit. Interim eiusmodi nummi non alia continent mysteria, præter errores monetariorum, qui in nummis Consularibus frequenter accidere potuerunt. Nam infinitus prope numerus nummorum incusorum, & quidem per omnes Familias, nihil aliud nisi crebriorem typorum siue matricum tunc temporis mutationem arguit.

Quoad nummos subæratos, hi omnes à falsariis cusi sunt, & interdum eodem errore monetali, de quo iamiam mentio facta est; in plurimis vero falsitatem ipsorum produnt variatæ in iis figuræ, omissæ literæ, & huius generis signa alia: multi tamen tanta arte effecti sunt, vt à

peritis genuini æſtimarentur, ſi pondere leuiores non eſſent, & cuprum detrita lamina argentea, hinc & inde conſpicuum, fraudem non detegeret. Huius generis elegantem nummum ſubæratum, & quidem primum Gentis Lolliæ poſſidet Clariſſimus Thomaſius, Norimbergæ, in quo pro PALIKANVS diſtincte PALIANVS, & à parte capitis LIBERTAT.S tantum legitur, quæ teſtantur, nummum confictum eſſe à falſario Barbaro, & linguæ latinæ imperito, huiuſque ſortis fuit quintus nummus Gentis TERENTIÆ in Vrſino.

Pergo ad nummos, qui à Barbaris ſiue authoritate publica, ſiue à falſariis cuſi ſunt, horum quidam tam miſere effecti ſunt, vt vix litera legi poſſit: in aliis literæ retrogradæ ſunt, & figuræ tam inconditæ, malaque imitatione expreſſæ, vt vix dignoſcantur. Nam Barbaræ Gentes, Græcorum & Romanorum velut ſimiæ, nummos illorum imitati ſunt, cuius inſigne exemplum occurrit inter ſelecta Numiſmata ditiſſimi Theſauri Wildiani Tab. XI. hic nummus ab vna parte ad imitationem Nummi FVFIAE & MVCIAE Gentium percuſus oſtendit capita Honoris & Virtutis, & in auerſa parte equitem, ſolitum Gothorum in Hiſpania ſymbolum monetale, cum hac inſcriptione: BIATE: quapropter R. P. Harduinus hunc nummum ad Peloponneſum retulit, & eundem in BIA, Meſſeniæ amni abluere conatus eſt; ſed rectius peritiſſimus ac doctiſſimus Begerus in BIATIA, Hiſpaniæ vrbe, cuſum fuiſſe docuit. Quamuis autem omnes hi nummi inter Conſulares vix mereantur ſculpturam, nihilominus tamen quamplurimi in futuro prodibunt opere, ſaltem vt imperitioribus innoteſcant, & quid de iis ſentiendum ſit, diſcant.

Sed ne pagellæ hæ Epiſtolæ modum excedant, earundemque lectione Amicis moleſtus fiam, filum hic abrumpere cogor, ſub finem eo, quo par eſt, modo rogans omnes, vt, ſi ad quæſita beneuole reſpondere, aut doctis ſuis obſeruationibus me inſtruere velint, id faciant, miſſis vel ad me Arnſtadiam vel Erfordiam ad Poſtarum, vt vocant, Præfectum literis, & ſi Eruditorum quis de nummis Conſularibus me hærentem amice docere dignetur, nomen eius non reticebitur: nam inſigni diſcendi deſiderio flagro, omniſque φιλαυτία ſemper à me abfuit, nihil in hoc Rei nummariæ ſtudio, quam recreationem animi & Hiſtoriæ notitiam quærens. Numiſmata autem nihil ſunt, præter

ter rudera priscæ vanitatis, quæ si per omnia intelligerem, nec maior nec melior essem, sed si inde superbirem, circulus meus amplificaretur in sphæra stultitiæ cum periculo tituli auricularis societatis Bileamicæ.

Hisce nunc vale, omni modo colende Perizoni, & de votis amoris & obseruantiæ meæ erga Te, omnesque ac singulos certus, per omnia Felix Faustusque viue. Dabam Arnstadiæ, Calendis Septembr. A. MDCCI.



IV.

Excerpta e litteris

Cl. GALLANDI

AD

ANDR. MORELLVM,

Illustrissimi Comitis Schuuartzburgensis ab Antiquitatibus, scriptis occasione eius Epistolæ de numis Consularibus.

E Memor. Triuult. MDCCII. Maii p. 361. seqq.

CVm responsioni ad Te meæ satisfecerim, optabis, Vir clarissime, vt attingam quoque ea, quæ de opere, quo numos consulares persecuturum Te significabas, adiunxisti. Metuis enim, ne Tu & Valens noster, cuius de eodem argumento opus in Hollandia imprimitur, mutuam vobis alter alteri iniuriam inferatis. Non autem video, qua ratione hoc euenire posset, ille quippe animi tui sensus declarat, Te non satis perspectum habere Cl. Valentis institutum, ad quod plane ignarus gemini tui hoc in argumento laboris se accinxit.

Dicis in Epistola tua ad Cl. Perizonium, Te seruare integrum in

 numos

numos Conſulares textum, qualis extat in editione Fuluii Vrſini à Patino curata, inſerendo notas tuas & obſeruationes iis in locis, vbi opus eſſe tibi viſum, & vna emendationes, quoniam, vt dicis, religioni tibi fuit, autoritati Fuluii Vrſini detrahere quicquam, quod nemo ſit improbaturus. Porro mones, in Tabulis ære expreſſis, quæ operi accedent, te obſeruaſ-
p. 362. ſe ordinem & numerum a Patino adhibitum: denique in calce te adiecturum numiſmata Goltzii ordine alphabetico.

Labor Cl. Valentis à tuo admodum differt. Neque enim verba Fuluii Vrſini, neque additiones Patini operi eius accedunt. Numos Conſulares ordine alphabetico familiarum collocat, & ſingillatim quemlibet illorum eo loco, quem Hiſtoriæ atque Chronologiæ iudicat congruentiſſimum. Eandem porro, quam in numis Coloniarum aliiſque ſuis ſcriptis tenuit methodum, hic quoque obſeruat, & vtramque vniuſcuiuſque numi faciem accurate deſcribit, quod inſtitutum neque prima neque ſecunda à Patino curata Vrſini editio, neque adeo tua ſibi propoſuit. Interim neceſſarium hoc erat quam maxime ad explendum illorum deſiderium, qui nondum in numorum ſtudio probe verſati, accurata explicatione indigent omnium, quæ in vtraque numiſmatum Conſularium facie occurrunt notatu digniſſima. Deſcriptioni ſingulorum numorum Cl. Valens conuenientem cum inſcriptionibus & typis in vtraque parte obuiis explicationem ſubiicit, & plana ea reddere conatur, tum per conuenientiam, quam inuicem inter ſe habent, tum per teſtimonia, quæ huc ſpectare poſſunt, e græcis latiniſque petita ſcriptoribus.

Fuluius Vrſinus & Patinus numos conſulares non alium in finem conſiderarunt, quam vt Familias Romanas, quarum nomine numi ſunt percuſſi, illuſtrare poſſent. Inſtitutum vero Cl. Valentis haud idem eſt, ſiquidem ſibi propoſuit de numis ipſis, prout requirunt, accurate diſſerere; neque tamen inquirere negligit, quaſnam ob cauſas Romanæ familiæ in perpetuam ſibi ſuorumque maiorum memoriam hos numos cudi
p. 363. curarunt.

Vides itaque, Vir clariſſime, nequaquam eſſe timendum, ne mutuum vobis inferatis detrimentum adeo magnum, vt tibi perſuades, cum inter vtrumque veſtrum laborem tam exigua ſit ſimilitudo. Poteſtis quidem forte nonnullis in locis conſpirare; Sed differentia inter tuam &

Valentis

Valentis methodum facile prohibebit, quo minus lectores dicere poterunt, quod alter alterius legerit vestigia. Et curiosis, qui hoc opus tuum veluti nouam Vrsini atque Patini editionem, notis & animaduersionibus tuis auctam, in Bibliothecis suis lubenter collocabunt, non minus iucundus erit liber Cl. Valentis ob methodum in eo obseruatam.

Indicasti, Te ordinem seruasse numerumque tabellarum, quales in editione Cl. Patini sculptæ sunt. Non igitur reiicies numos nonnullos ibi delineatos, qui neutiquam possunt Consulares vocari. Saltim Te illos loco esse moturos minime dicis; quo ipso satis coniicitur, quod illi eundem in tua editione, quem in prioribus tenuerunt ordinem, sint seruaturi. Sic v. g. duo numismata gentis Aebutiæ Augusti nomine signata Corinthi, P. Aebutio & C. Julio Heraclide Duumuiris retinebuntur; quamquam minime dubito, optime Tibi constare, Coloniam Corinthum auspiciis Jul. Cæsaris conditam, a libertis ad vrbem hanc restaurandam illuc concurrentibus, quæ adhuc à famoso excidio deserta iacuerat. Horum libertorum, qui serui Romæ fuerant variarum familiarum, quilibet ex solemni ritu nomen familiæ gerebat, quæ libertate eum donauerat. Hinc Aebutium, qui nomen suum numis Corinthiacis insculpsit, aut pa- p. 364.
trem ipsius seruum fuisse oportet Aebutiæ familiæ, à qua nomen traxit, sed nullum ius familiæ siue gentis Aebutiæ simul est consecutus. Vnde colligitur, numos eius nomine cusos, nequaquam Aebutiis esse adscribendos, familiæ antiquæ Romanæ, è qua duo fasces consulares gesserunt, vnus A. V. C. CCLIV. alter CCLXXXVII, vt Patinus ex Tito Liuio jam notauit.

Quod si igitur nullos numos in editione Patiniana æri insculptos sis resecturus, saltim lectores à Te moneri desiderant, quod numis illis non ibi, sed inter numos Coloniarum sub Augusto cusos proprius sit locus, quemadmodum Cl. Valens fecit, eosque operi suo de Coloniis Romanorum inseruit.

Idem de numo secundo gentis *Arriæ* obseruabis, quoniam *L. Arrius Peregrinus* in eo commemoratus, libertus tantum, aut filius liberti huius familiæ fuit. Quod etiam animaduertitur de *M. Bellio* in singulari numismate Belliæ familiæ: de *Q. Cæcilio Nigro* in quinta tabula gentis Cæciliæ; de sexto septimoque Claudiæ in secunda tabula. (cum nul-

lo modo fieri possit, vt Pulcher Duumuir ad hanc spectet familiam, si nomen eius fuit *Claudius*, cognomen *Pulcher* aliis etiam quam Claudiæ familiæ commune.) Idem denique iudicium ferri oportet de tribus vltimis familiæ Juliæ in tabula sexta. Iniuriam enim faceremus Juliis, si adiungeremus iis *Lucium*, & *Caium Julium*, Duumuiros Corinthi, quorum maiores serui fuerunt gentis Juliæ. Eadem nota ὀβελίσεις numum familiæ Mussidiæ in quarta tabula. Hic enim Mussidius Priscus, cuius
p. 365. ibi mentio fit, aut pater ipsius seruitutem seruiuit in hac familia. Neq; alia est ratio ceterorum numorum, qui Corinthi iam Coloniæ vicem restauratæ signati sunt, & à me fortassis prætermissi.

Probe tamen succurrit memoriæ numus itidem Corinthi signatus, de quo idem notasse fuerit operæ pretium. Exstat ille inter numos familiæ Aciliæ prætermissos, vbi admodum praue, præsertim quod ad inscriptiones vtriusque partis attinet, delineatus est. Sed æreus maximi moduli cernitur in Cimeliarchio Illustrissimi Focalti, & quamquam in editione F. Vrsini à Patino aucta, minimam formam æreorum numorum referat, neutiquam tamen dubito, Patinum ita eum delineari iussisse ad numum maximi moduli, dum vestigiis Vrsini insistere voluit, qui neglecta numorum, quos nobiscum communicauit, magnitudine, omnes solemni argenteorum forma repræsentari curauit. Non equidem significasti, Vir Clarissime, hoc Te vitium, quod neque Patinus sustulit, esse emendaturum. Quod si non feceris in figuris ipsis ære descriptis, saltim operæ pretium esset, hanc differentiam à Te in obseruationibus tuis adnotari.

Cl. Patinus in auersa huius numi facie, quæ duo capita prodit, M. ACILIVM supra & GLABRIO*nem* PROP*rætorem* infra scriptum legit. Equidem in summa parte numismatis Focaltini itidem M. ACILIVS deprehenditur, sed inferior pars indicat TI. CLAVDIVM CAESAR*em* COR*inthi*, ex qua inscriptione res duas discimus. Vnam, quod duo ista capita sint Claudii Imperatoris & Agrippinæ eius vxoris, non autem, vt Patinus sibi persuasum habuit, Augusti Liuiæque facies: alteram, quod numus fuerit Corinthi signatus, eamque ob causam *M. Acilius* neutiquam
p. 366. debeat Aciliæ genti adscribi, nisi quatenus eius libertus, aut filius vel nepos liberti fuit, cum sub Imperio Claudii signatus sit, quo tempore vix credi-

credibile est, quemquam adhuc exstitisse è libertis, qui primi tempore Jul. Cæsaris in hancce coloniam fuerant deducti.

Inscriptio in auersa eiusdem numi facie non minus mutila est. Patinus enim CAESAR*em* legit supra caput, cui victoria aduolans coronam imponit; infra vero D. JVLIVM. At in summa numi Focaltini parte supra illud caput clarissime cernuntur litteræ IMP. CAESAR. & in infima AVGVSTVS. Hæc itaque facies non Julii Cæsaris est, vt quidem putauit Cl. Patinus, sed Augusti eius successoris. Porro IMP*eratoris* vocabulum pro DIVO positum hoc in numo notari meretur, quippe qui solus forsan post eius mortem cum Imperatoris elogio est cusus.

Etiamsi certo constaret, numum à Patino productum eiusmodi esse, qualem delineatio repræsentat, non minus tamen suspicio quædam & veri species relinquitur, eum fuisse Corinthi percussum, quod ex ipsa numi compositione colligi potest. Quod si hoc in numo legitur GLABRIO PROP. inferre quidem ex hoc poteris, quod PROP. *Proprætorem* significet hunc M. Acilium Glabrionem, virum vere Romanum, atque adeo numus iste ad Aciliam gentem referri, & inter numos Consulares reponi debeat. Verum tum optarem ipse numum oculis meis considerare, atque inspectione ipsa conuinci. Vtcunque tamen res se habet, certissimum est, numo cimeliarchii Focaltini neutiquam hic locum esse.

Quamquam Agrippina Claudii Imperatoris vxor materque Neronis hic minime nominatur, nihilominus tamen ipsius esse faciem ex opposito Claudii collocatam, duo alii numi euincunt, quos Cl. Valens explicatos Tomo I. Coloniarum cum publico communicauit, exhibetque p. 163. & 164. hanc inscriptionem in auersa parte habentes: M. ACILIO II. VIR. COR. Cl. Valens non iudicauit hos duos numos debere consularibus accenseri, itaque eos alio in loco retulit, nec verbum de illis adiunxit, vnde colligi possit, eiusdem eum fuisse cum Patino sententiæ, qui hunc Acilium Aciliis adposuit, quos tamen neq; gente neq; patria attingit. Iisdem in numis prætermissis adsignatus ille familiæ Aebutiæ, quæ Aciliam gentem insequitur, cum litteris in antica parte CORINT. & in postica cum L. AEBVTIO.... VIR. itidem haud possunt ob rationes modo memoratas huic familiæ adscribi.

p. 367.

Idem

Idem porro, quod de numis Corinthi ſignatis obſeruaui, eos Conſularibus adiungi non poſſe, de omnibus quoque, vt quidem exiſtimo, numis Coloniarum Hiſpaniæ Africæque dici poteſt, qui nomina Magiſtratuum præ ſe ferunt, atque, vt mihi videtur, hic collocati ſunt haud ſatis probeque inſpecti. Omnes enim, in iis commemorati, aut milites tantum gregarii, aut ad ſummum Ductores exercituum Romanorum parua auctoritate, aut horum etiam filii fuerunt. Vnde difficile vt credam adducor, eos è Romanis fuiſſe familiis, quæ vel ſtante adhuc Republica, vel demum ſub Imperatoribus ipſis functæ ſunt ſummis in Imperio officiis.

Interim tantum abeſt, vt omnes huius generis numos è tua editione eiiciendos eſſe exiſtimes, vt nouis potius eam augere inſigniter ſtudere videaris, v. g. numo illo Emporiarum, ciuitatis in Hiſpania antiquæ, hodie *Ampourias* nominatæ, qui in auerſa facie notam habet EMPOR. h. e. EMPOR*iarum*, ſi cum Tito Liuio lib. XXXIV. nomen vrbis
p. 368. intelliges, aut EMPOR*itanorum*, qua appellatione incolæ audiunt in inſcriptione eadem in vrbe reperta atque allata a Nonio in Opere de Vrbibus Hiſpaniæ. Inſcriptio in aduerſa huius numi facie, qui itidem in Cimeliarchio Focaltino exſtat, inter numos Vrbium, ad quos omnino nec ad aliam claſſem debet referri, hæc eſt: L. M. RVF. P. L. C. tribus litteris RVF. per monogramma repræſentatis, quam ita interpretaris: *L. Meſcinius Rufus, Pro conſul, Cypri Quæſtor*, atque hunc *Meſcinium Rufum* eundem eſſe contendis cum eo, qui Cicerone Proconſule Quæſtor inſulæ Cypri fuit.

Sed, Vir clariſſime, eo tempore nulli amplius Romani hac in vrbe Emporitanorum vixerunt, ſed Græci, e Phœnicia orti, atque Maſſilienſes, quos hodie Marſilianos vocamus, illam incoluerunt. Græci vrbis partem, littori adiacentem, ſibi deligebant; Hiſpani vero alteram, quæ terram ſpectabat, & ad quam Romani demum peruenerunt, cum Jul. Cæſar rerum eſſet potitus, qui poſt deuictos Pompeii liberos, Coloniam illuc deduxit. Sic enim Liuius, poſtquam Græcorum atque Hiſpanorum huius vrbis incolarum mentionem feciſſet, loco iam citato: *Tertium genus*, inquit, *Romani Coloni ab Diuo Cæſare, poſt deuictos* Pompeii *liberos adiecti: nunc in corpus vnum confuſi omnes.* Hinc ſatis liquet, nullam

Iam hic esse veri speciem, quod numi à Te producti ad tuum Mescinium Rufum referri possint, qui forsan iam erat mortuus, numus cum cuderetur; haud enim credibile est, Emporiis numos cum latinis signatos esse nominibus, antequam sedem ibi fixerant Romani. Et qua quæso ratione fieri potuit, vt hac in vrbe nomine Mescinii Rufi numi percussi sint eo tempore, quo Quæsturam ille exercebat in insula Cypro? In- p. 369.
scriptiones decurtatæ in numis Emporitanorum obuiæ, nomina Magistratuum ibi regnantium denotare omnino videntur. Omitto hic alias rationes quamplurimas, quæ idem euincunt; tantum interrogo, an vllo modo sit veri simile, Mescinium Rufum vno eodemque tempore Quæsturam Cypri & Emporiis Magistratum gessisse?

Si minus vero hæc tua expositio inscriptionis, in qua Rufus iste designatur, placet lectoribus, meliorem vt afferant ab iis expetis, pro qua gratias sis acturus. De me quidem fateor, quod nullas mereri possim gratias, neque ænigma istud explicare, vti neque alia, quæ in ceteris numis eiusdem Emporiarum vrbis reperiuntur, atque in cimeliarchio Focaltino exstant: C.C.A.T. C.O.C.AB. it.C.O.G.C.M. it. M.A.B.M. B.it. M.O.C.A.Q. it.P.L.F.Q.L.N.COM. it.R.B.E.C.M. Optime enim video, nihil a me, quod aut mihi, aut lectoribus satisfaciat, inueniri posse. Hoc tamen firmiter mihi persuadeo, quod, etsi certe nobis constaret de nomine familiæ huius Rufi, non tamen fas esset propterea affirmare, quod ad vllam earum, quarum numi exstant, esset referendus.

Illustrissimo Focalto plures sunt numi Obulci ciuitatis in Hispania Bætica cum hac inscriptione in auersa facie: L. AIMI. L. JVNI. AID. pro L. AEMI. L. JVN. AED. I loco E in AIM. quod *Æmilium*, & in AID quod *Ædilem* designat. Primo quidem intuitu hunc numum Consularibus annumerabis, eumque ob *L. Æmilium* & *L. Junium* Æmiliæ aut Juniæ genti adscribes; sed cum mente expendo, ædiles hosce fuisse potius ex Officiariis vel militibus Romanis aut Hispanis, hac in vrbe degentibus, qui nomina ista in honorem cuiusdam Æmilii & Junii in vrbe, Euergetarum suorum Patronorumque adsciuerant, quam ex illis ipsis or- p. 370.
ti familiis, neque tuam sententiam sequar, neque numum ipsum Consularem esse censebo. Quare & ei non inter Consulares cimeliarchii Focaltini, sed, quod approbauit Vir iste Illustrissimus, in illa serie locum de-

di, quæ numos græcos pariter atque latinos vrbium comprehendit.

Desiderasti ab Illustrissimo Focalto ectypon numi curiosi Augusti, qui Pergami cusus in auersa facie hanc habet inscriptionem: Μ. ΦΟΥΡΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ ΚΑΙ ΑΣΙΑΡΧΗΣ ΑΣ ΠΕΡΓΑΜΕΝΩΝ. M. *Furius Sacerdos & Asiarcha olim Pergamenorum.* Eum haud dubie ob M. Furium in eo commemoratum ad Furiam gentem referre instituisti. At ille neutiquam fuit Romanus, sed potius Græcus, qui in honorem cuiusdam e Furiis Romanis, Patroni sui, aut apud quem hospitii iure vsus fuerat, ita se vocari voluit. Romani enim in Provinciis munera Pontificis & Asiarchæ infra se existimarunt, Græcis ea concedentes, vt levamentum qualecunque ipsis esset sub iugo, quod iis imposuerant; sibi vero reseruarunt munus Proconsulis, aliasque in administrandis Prouinciis amplissimas dignitates. Neque vero M. Furius solus est e Græcis, qui, cum Græcia sub Romanorum potestatem esset redacta, nomen patrium deseruit, atque purum putum assumsit Romanum. Nihil certe notius, & exempla in numis græcis adeo sunt obuia, vt haud operæ pretium sit illa in medium afferre. Fuerunt etiam alii, qui Romanum græco nomini, quod retinuerunt, iunxere, & cognominis loco vsi sunt, vt iidem numi faciunt fidem.

Haud itaque probandum esse censeo, quod numum hunc Con-
p. 371. sularibus annumeres. Reperitur ille in Cimeliarchio Focaltino inter numos Augusti græcos, cuius caput aduersa parte refert, nec dubito, eum omnino esse hoc loco collocandum. In selectis meis, quæ præ manibus habeo, hunc numum iam explicaui, atque de hoc M. Furio hæc eadem monui. Annotabis porro, si placet, quod in hac inscriptione legatur: ΑΣΙΑΡΧΗΣ ΑΣ, non autem simpliciter ΑΣΙΑΡΧΗΣ, vti in numo à Valente producto. ΑΣΙΑΡΧΗΣ ΑΣ vero declarat, Marcum quidem Furium Asiarcham fuisse, sed eo tempore, quo numus fuit signatus, iam esse desiisse. Quæ etiam est ratio quod vocem hanc per *olim Asiarcha* interpretatus sim.

Tom. II Non incongruens porro fuerit Tibi reuocare in memoriam, quod
Novemb. numus Claudiæ genti tributus inter Consulares prætermissos editionis
p. 361. Patinianæ itidem debeat loco suo moueri. Quamquam enim M. Marcellus

cellus ex hacce familia ortus, Æſerninus fuit cognominatus, quod Aeſernii captus eſſet, nullum tamen argumentum exſtat, quo hic numus ei tribui poſſet. Ille enim aut inter numos Deorum propter Vulcani caput, quam clariſſime in eo repræſentatum, aut inter numiſmata vrbium ob Æſernium, quæ numum cudit, collocandus eſt. Cognomen ſane Æſernini nullum ius facit hunc numum adſcribendi viro cuidam è gente Claudia. Legitur in eo AISERNINO, ſaltim ita inſcriptum eſt in numo cimeliarchii Focaltini, pro AISERNINON, quod latinis licet elementis ſcriptum, ſecundum apud Græcos caſum refert, atque AESERNINORVM ſignificat.

Verum hoc eſſe, è numo Sueſſanorum in eodem cimeliarchio Illuſtriſſimi Focalti poteſt probari, in quo SVESANON cum capite Apollinis legitur, & in altera numi parte Minotaurus ſiſtitur, nulla alia inſcriptione addita præter duas litteras græcas IΞ. Vnde non abſurde licet colligere, numos quoque exſtare Æſernii ſignatos, qui integrum nomen AESERNINON præ ſe ferunt. Quod ſi vel maxime non ita ſe haberet, certum tamen eſt, vereque dixi, quod AISERNINO in numo legitur, atque per AISERNINORVM explicari debet; neque pro tertio eſt neque pro ſexto caſu accipiendum, vti Patinus feciſſe videtur, cum ad M. Marcellum illud nomen retulit. p. 362.

Sed vt ad ea redeam, quæ de numis modo dixi, qui e conſularibus remouendi ſunt, meo quidem iudicio præſtaret, non ſolum omnes ſupra a me notatos eiicere, ſed illos quoque in eodem opere inſertos, qui Pompeii, M. Antonii Lepidique capita referunt, ac primum locum inter numos Imperiales occupare debent. Ad quos illi æque ac non pauci numi Jul. Cæſaris & Auguſti, nec non alii huius generis ſub inſecutis hoſce Imperatoribus ſignati, ab ipſis Antiquariis quampluribus, qui hoc tractarunt argumentum, relati ſunt. Nulla ſane iuſta ratione nobis aliter licet illis hoc loco vti, quia numi iſti a Ducibus Romanis ſignati ſunt, qui perturbata Republica hiſce adfuerunt Principibus.

Obiicitur quidem, quod numerus numorum Conſularium inſigniter ita minueretur, ſi eiuſmodi numos familiarum, quarum mentio haud alibi quam in hiſce reperitur, loco ſuo motos Imperatoriis adiiceremus. Sed reſpondeo, quod cum in ſerie numorum Conſularium ad

has familias perueneris nomina illarum ordine suo sint inserenda, sed lector ad Imperialia numismata, in quibus illa leguntur, remitti debeat. Hac ratione constaret, quod magis iam comperta sit ratio numos Consulares ab Imperatoriis distinguēdi, quā olim fuit. In hoc enim eruditionis genere, perinde ac in omnib9 aliis, nihil reperitur vtilius iucundiusue ordine exquisito certoq;.

Quæ si probe consideres, quoniam opus tuum prælo submittere nondum cœpisti, adhuc tempus est de corpore numorum Consularium edendo à te cogitari. Nec dubito orbem eruditum insigni approbatione illud esse prosecuturum; Tu vero extricares Te e difficultatibus, quibus te inuoluisti, quod non initio statim instituti tui rationem recte satis atq; ordine animo concepisti. Dubium porro, quo incertus hæres, vtrum verba Vrsini atque Patini emendare debeas, neutiquam Te morari debet. Auctores enim illi præstantissimi se ipsi emendassent, si singula probe expendissent. Expetis denique, vt omnibus his iam a me notatis præterea addam animaduersiones meas in nonnulla loca tuæ ad Cl. Perizonium Epistolæ.

Quod itaque ad primum numum gentis Aemiliæ attinet, multos existimare dicis, quod vir in genua procumbens in altera facie sit Rex Aretas; non obstante tamen hac virorum doctorum opinione, ac præter alios Vrsini Patinique, (hic enim nihil illi sententiæ in sua editione opponere est ausus) Tibi potius videtur referre Arabiam, quæ in numis Traiani erecta visitur. Sed aliam adhuc tertiamque sententiam de simili numo Tibi proponam, qui optime conseruatus in cimeliarchio Focaltino exstat, & cuius ectypon e numo ipso petitum ad Te mitto.

Quæso igitur, annon figura in genua procumbens Victoria potius quam Rex Aretas, aut Arabia Tibi videtur? Ala, vestitus similis ei, quo sexcenties in aliis numis erecta occurrit, & palma, quam manu tenet, persuadent mihi hanc esse victoriam, haud iusta satis accurataq; attentione consideratam ab iis, qui sub illa Regem Aretam videre sibi sunt visi; vel a Temet ipso, qui eam existimas esse Arabiam, habitu moreque supplicis. Qui enim Regem Aretam hac figura repræsentatum voluerunt, non considerarunt animo, quod hoc nullo modo ita esse possit, siquidem Princeps iste non captus, sed in fugam tantum fuit coniectus, & ad Petram vsq; a M. Scauro pulsus. Non potest itaque supplex repræsentari, qui nondum erat eo redactus, vt se submitteret. Quod ex Historiarum monumentis euidentissimum est.

At

p. 363.

p. 364.

At victoriæ imago difficultatem obiiciet & ipsa non leuem. Semper enim in aliis numis, aut erecta cernitur, aut gradiens cursuue rapido & effuso, aut plane volans, aut curru vecta, nunquam vero, (a) vt in præsenti, in genua procumbens. En igitur Tibi rationem, ob quam mihi videtur ita supplicis habitu repræsentata. Facilis illa eo vsque fuerat Aretæ, vt occuparet Hierosolymas; cum vero posthac deserere eas, & Pompeii armis & M. Scauro Duci Rex cedere cogeretur, fas sibi esse Scaurus putauit, sic eam adumbrare, vt in numo cernimus; veniam nimirum postulantem pro delicto, quo antea se Romanorum inimicam gesserat. Cameli habenam tenet ad designandam Arabiam, huius generis beluis abundantem. Inscriptio porro *Rex Aretas* Regem victum prodit, qui Arabiæ imperabat.

In gibbere huius beluæ corona apparet, quam, vt notas, Begerus in numo a se producto obseruauit. Verum illam minime cum Begero coronam radiatam, sed lauream potius habuerim, quam victoriæ conueniebat manu gerere, qua camelum freno retinet. Hæc sane corona non exstat in simili numo cimeliarchii Focaltini, quem Plautiis accensui, siquidem altera eius facies numis huius familiæ optime competit. Quæ obseruatio tuæ iuncta, quod nimirum in aliis numis huic similibus, quorum vl- p. 365.
tra centenos ipse lustrasti, eandem haud deprehenderis, numariæ rei studiosos edocet, omnes hac corona insignitos esse rarissimos.

Adhuc operæ pretium esset notare, num corona ista inueniatur quoque camelo superimposita in alio numo gentis Plautiæ, cuius inscriptio est: BACCHIVS JVDAEVS. Nulla enim in numo huius familiæ apud Illustrissimum Focaltum corona occurrit; sed sarcina quadam videtur onustus, quæ etiam tuber, ex medio gibbere cameli assurgens, haberi potest. Vt itaque ex voto tuo cognoscas, quod eiusmodi numus, qualem Begerus exhibuit, vere exstat, ectypon numismatis Focaltini Te huius rei certiorem reddere poterit, Tibique persuadere, Cl. Begerum minime illusisse lectoribus, quando numum a se visum descripsit.

De cetero vix dubitandum esse censeo, quin Rex Aretas, in hoc numo

(a) Occurrere tamen videtur victoria stolata genibus prostrata atque coronam dextra præferens in numo Panormitanorum apud Parutam in Sicilia n. CIII.

numo Aemiliorū Plautiorumq; cōmemoratus, idem ſit cum eo, cuius tempora diademate cincta in ectypo cernes, quod itidem litteris hiſce adiunxi.

Compoſitio numi, numiſmatibus, quæ in Syria olim ſignabantur, non diſſimilis, documentum eſt omni exceptione maius. Cognomen ΦΙΛΕΛΛΗΝος ſeu *Amici Græcorum*, quod in eo gerit, ni fallor, ſignificat, Aretam e regionibus Arabiæ copias ſuas eduxiſſe, & Græcis ſuam erga ipſos benevolentiam teſtatam feciſſe, cum auctus Mithridatis aliorumque ſibi fœderatorum Principum ſociali exercitu a Romano iugo liberare eos inſtituiſſet. Sed & ipſius & Mithridatis aliorumque ſociorum conſilium, quamuis optimum, ſucceſſu caruiſſe conſtat.

Cum porro victoriam in auerſa facie rari huius numiſmatis erectam vides, forte Tibi mecum perſuadebis, M. Scaurum, vt ægre faceret
p. 366. Regi Aretæ, qui victorias ſuas adeo iactauerat, hac occaſione iuſſiſſe eandem victoriam genibus nixam repræſentari; quo ipſo mea ſententia confirmatur & adſtruitur. Forſan litteræ AP numerales ſunt, atque epocham denotant, qua familia Aretarum rebus præfuit in Arabia, quæ tunc temporis annum numerabat primum & centeſimum; Aut vero initiale innuunt nomen monetarii aut ciuitatis, in qua numus ſignatus eſt. Hac enim in re difficile eſt certi aliquid firmique definire, cum temporibus illis a noſtra memoria vſque adeo remotis, tanta ſit rerum Arabicarum obſcuritas, ſiue ipſorum gentis, ſiue Græcos vel Latinos Hiſtoricos conſulamus. Hoc tantum vniuerſe ex Hiſtoricis conſtat Arabicis, quod inſignis numerus in Arabia fuerit Regum, qui nomen Hareth geſſerunt, pro quo Græci adſpiratione demta dixere Aretas. Ex hiſce vnus adhuc fuit ſub Juſtiniano Imperatore, quippe qui Aretam in Arabiæ regno firmauit, vt ex Procopio obſeruatum Illuſtri Spanhemio Diſſ. VI. p. 583.

De ſecundo numiſmate gentis Flauiæ, cuius hæc eſt inſcriptio: C. FLAV. HEMIS. LEG. PROP. ais, Te quamuis eiuſmodi plures ipſe vidiſti, etiamnum dubitare, vtrum HEMIS aut HEMIC legendum ſit. Sed certiorem Te facere poſſum, quod in numo Focaltino ſatis integro optimeque conſeruato, non HEMIS ſed HEMIC exſtet. Quamquam vero HEMIS in eo legeretur, hinc tamen minime colligi poſſet, vt tu quidem coniicis, hanc eſſe ex *Hemiſſeno* decurtatam, atque ad vrbem Cœles Syriæ referendam, cuius meminiſti; hæc enim vrbs non Ἔμισα

Græcis

Græcis, ſed Ἔμισα abſque adſpiratione ſcribitur. Si autem, vt firmiter mihi perſuadeo, HEMIS legendum ſit, haud Tecum crederem litteras has initiales eſſe *Hemicharæ* vrbis Siciliæ, aut nominis cuiuſdam ab ea deducti. Si vero illæ vna ſerie cum tota inſcriptione legi iunctim debent, p. 367.
contra tuam ſententiam putarem, cognomen C. Flauii hoc loco ſubeſſe, quod integrum nos adhuc fugit. Hæc ſunt, quæ, vt ego quidem exiſtimo, hanc in rem poſſunt afferri, donec Cl. Valentis quæ ſit ſententia ex ipſo intelligemus.

Ad gentem Belliam, & præcipue ad numum Corinthi cuſum, qui ad illam refertur, proderit tibi mea, quam ſupra attuli, obſeruatio. Nulla ſane ratione dici queat, M. Bellium hoc in numo commemoratum ex hac familia fuiſſe. Idem obſeruare debes in ſeptimo gentis Fonteiæ, cum hac inſcriptione: VICTORIA. AVG. CAPITONE ITER. Iſte Capito neutiquam pro C. Fonteio Capitone ſumendus eſt, (vt perſuaſum Cl. Patino) qui cum Germanico faſces conſulares geſſit. Cum enim Duumuir fuerit Corinthi ſub Claudio Imperatore, certiſſime conſtat, ex ſeruo huius familiæ deſcendiſſe, vno ex illis, quibus tum temporis hæc colonia incolis frequentata fuit.

Nullum vidiſſe Te ais numum, cuius auxilio iudicare potuiſſes, in quanam colonia, aut quanam in vrbe hic ipſe fuerit cuſus. Hoc vero edocet nos numus æreus minimæ formæ in Cimeliarchio Focaltino, vel ideo ſingularis habendus, quod nec Cl. Valens in ſuis Coloniis eius meminit, nec Tumet ipſe quidquam de eo dixiſti; Tu, inquam, qui tam inſignem numorum numerum oculis tuis luſtraſti, manibus tractaſti, delineaſti atque deſcripſiſti. Iſte igitur numus in auerſa facie circa templum ſex columnarum hanc inſcriptionem refert: CAPIT*one* ITER.*um*, CYTHERONTE II. VIR*is* COR*inthi*. Ex quo facile vides, quod Capito hic, perinde ac Cytheron eius Collega, neutiquam debeat cuidam e familiis Romanis accenſeri. Hi Duumuiri Corinthi pariter nos edocent, numum p. 368.
gentis Fonteiæ quoque fuiſſe Corinthi ſignatum in memoriam Auguſti, cum Magiſtratum illic gererent, adeoque alieno loco eſſe collocatum.

Dubitari vix poteſt, quod tu diuinaſti, litteram B infra ceruum in numo gentis Lolliæ a Te obſeruatam, numeralem eſſe. Illuſtriſſimus Focaltus, ne vnum afferam elegantiæ plane ſingularis, qui in aduerſa facie

cie caput diademate cinctum, & in auersa sellam curulem refert, quinque alios possidet cum hisce notis infra ceruum scriptis Δ. Ε. IB. IF. K. Mea quidem sententia de litteris IF hæc est, quod illas pro ΙΓ posuerint, & F illud digamma sit, quale Pighius pro simplici Γ adhibuit ad numerum ternarium significandum.

Quartus numus eiusdem gentis Lolliæ ansam Tibi præbuit existimandi, caput in eo repræsentatum Tiberii esse, quamuis Cl. Valens in Coloniis suis Augusto illud tribuit. Sed non considerasti, Vir clarissime, lituum auguralem anteriori capitis parti adiunctum, qualis in Tiberii numis haud obseruatur, licet æque ille ac Augustus Augur exstitit, hac enim ratione Valens permotus Augusto numum adsignauit. In eodem opere alium Tiberio adscripsit, cuius auersa facies Liuiam refert sedentem, in eo autem deest lituus Auguralis, atque hæc inscriptio legitur; G. LOLLI. M. DOM. &c. Hinc statim colliges, Cl. Valentem cum duos hosce numos Coloniis suis inseruit, haud credidisse cum F. Vrsino atque Patino, quod in numero Consularium isti habendi sint. Sane existimo, eum nequaquam de his numis in isto opere suo fuisse locuturum, nisi eo ipso innuere voluisset, quod hi, ab Vrsino Patinoq; Consularibus adscripti, minime eiusmodi, sed numi Coloniarum vocari debeant.

p. 369. Jam ante Te monui, quod numus Vespasiani græcus cum inscriptione Μ. ΜΑΙΚΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΘΟΥ apud Abbatem Bizotum olim a Te visus, in cimeliarchio Focaltino non exstet. Nec forsan in Signelæano fuit, vti existimas, siquidem Illustrissimus Focaltus, qui numos eius æreos sibi comparauit, eum non potuit inuenire.

Post has litteras exaratas Parisios veni, vnde cum Versalias excurrissem, Oudenetus mihi monstrauit numum, de quo Vir ille clarissimus ad Te perscripserat. Vere Tibi affirmare possum, quod ΜΑΙΚΙΟΥ *perspicue in eo legatur. Sed hinc nullum nobis ius est eundem inter Consulares gentis Mæciæ referendi: Inter numos potius Vespasiani græcos collocari debet, cuius nomine cusus est, non Mæcii Rufi.*

In Papitia gente mentionem facis numismatis Julii Cæsaris, in quo hæc est inscriptio: ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ ΒΑΣ. atque capiti adscriptum ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ: aut vt Valens in suo reperit ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ pro ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. Fides sit penes Valentem, an hæc inscriptio in numo ga-

zæ

zæ Regiæ reperiatur, e quo ectypon suum desumsit. Ego autem Tibi affirmare possum, quod Illustrissimus Focaltus similem huic numum possideat, vbi caput occurrit Julii Cæsaris anaglypho insigni elegantique cælatum, atque clarissime legitur: ΝΙΚΑΙΕΩΝ.

De secundo numo, quem familiæ Quinctiliæ Patinus tribuit, obseruas, quod ex quarto Domitiæ gentis numismate constet, illum ob typi in auersa vtriusque facie similitudinem, Osciæ in Hispania percussum esse, quæ sane animaduersio recte se habere videtur. Sed non addis, vtrum Tibi persuadeas, hunc numum esse ad gentem Quinctiliam referendum, quoniam infra scribitur: C. VAR. RVF.. Referendum enim esse vix crediderim. Quin immo mihi persuadeo, Te ipsum aliter sensurum, cum obseruaueris, quod notæ istæ legendæ sint *Caius Varius Rufus*. p. 370. Sic enim familiæ Variæ adscribendus erit, neque secundum ea, quæ a me disputata sunt, inter numos Consulares collocandus. Sane nulla veri specie hic C. Varius Rufus, qui Magistratum Osciæ gessit, affinitate iunctus fuisse videtur Variis, qui Romæ vixerunt.

Hisce denique nonnullas alias obseruationes in litteras tuas adiungere possem, sed vereor, ne nimis Tecum iam multa, ego præsertim, qui non satis probe possum videri cogitasse quid agerem, cum me ingessi iis, quorum sententiam de egregio consilio tuo exposcis. Spero tamen Te pro humanitate tua libertatem meam æqui bonique consulturum.



V.

Anonymi ad amicum Epistola
de numismate quodam
NERONIS GRÆCO,
Serenissimo Duci Cenomanensi oblato.

E Memoriis Triuultianis An. MDCCI. Tom. I. p. 217. seqq.

DVx Sereniſſimus Cenomanenſis tanto maiore ſtudio gaudet maximas Heroum res geſtas percipiendi, eaſq; memoria firmiter tenendi, quanto maiore deſiderio fertur egregia facta exequendi, quæ obliuioni tradere minime decet. Hæc cauſa eſt, quæ eum mouet, vt numiſmatis cognoſcendis mirifice delectetur, quæ etiam ſane, ſi rem probe putemus, monumenta hiſtoriæ ſunt certiſſima pretioſiſſimaque. Hæc enim exhibent nobis præclariſſimos quoſque vitæ Principum euentus, & numi vetuſti nos ſæpius edocent id, quod Hiſtorici neglexerunt, aut quod certe in hiſtoriarum monumentis, qualia ad nos peruenerunt, non continetur. Itaque ex officiariis huius Principis quidam, cui ſtudium Sereniſſimi Ducis erga numiſmata, & voluptas, quam capere ſolet in iis colligendis, nota eſt; dum hybernare ipſum contigit in ciuitate quadam, Romano olim Imperio ſubiecta, quæ potuit reperire numiſmata in eius vſum diligenter conquiſiuit.

Inter alios, quos ibi inuenit, æreus quoque minimi moduli ipſi occurrit, qui illico ob duo, quæ exhibebat, capita eximiæ raritatis apparuit. Cum autem a rubigine, qua obtectus erat, numum mundaſſet, ex iſtis duobus capitibus, alterum Imperatoris Romani, alterum feminæ Principis eſſe perſpexit; & cum paulo diligentius numum deterſiſſet, ſuperne nomen AΓΡΙΠπείνη ſcriptum obſeruauit. Hæc græca vox maius adhuc pretium addidit numiſmati; nec dubium fuit, hanc eſſe Agrippinam iuniorem, Neronis matrem, huius enim nomen in loco numiſmatis maxime honorifico ſculptum exſtat; nomen vero Agrippinæ, Germanici vxoris, quæ nunquam titulo vſus eſt Auguſtæ, ſemper poſt titulum mariti apparet: hoc iudicium confirmauit, quod in litteris nonnullis infra emicantibus obſeruatum eſt nomen ΝΕΡΩΝ. Nihilo tamen minus facies huius Principis dextram verſus collocata eſt, ita vt videantur auctoritatem matris & filii in æquilibrio collocare voluiſſe numi cuſores; dextram tribuendo faciei Neronis, & primum locum nomini Agrippinæ.

T. III. n. 4.
p. 218.

Conſtat, cum Claudius Imperator morte violenta ſuſtuliſſet Meſſalinam vxorem, quæ Britannicum ipſi, futurum regni hæredem, reliquit; Agrippinam, viduam a Domitio relictam, filiamque fratris Claudii, viam mediumque reperiſſe, libertos, a quibus ſe regi flectique patiebatur Impe-

Imperator, in ſuam partem trahendi. Hac igitur ratione beneuolentiam auunculi ita ſibi conciliauit, vt ducere illam ſibi propoſuerit, poſtquam Senatum permouerat Vitellius Cenſor, ratum vt haberent coniugium legibus interdictum. Solio occupato, Agrippina nihil maiori curæ habuit, quam vt ad Imperium Neronem filium ſuum extolleret; quod conſilium ea dexteritate feliciter ad euentum perduxit, vt Nero anno ætatis XIII. a Claudio fuerit adoptatus: eum tantum in finem, vt data occaſione Britannico, qui annis quatuor minor erat, poſſet præferri. Eandem ob cauſam Neronis nuptias cum Octauia Imperatoris filia conciliauit.

Quamquam vero plurimum apud Claudium valeret Agrippina; denique tamen ſenſit Imperator, licet ſtolidus ſtupidiorque exiſtimaretur, auaritiam & ambitionem incredibilem Coniugis ſuæ, & ſera pœnitentia eum ſubiit, quod eius filium adoptaſſet. Sed ſigna, quibus dolorem ſuum prodidit, magno pretio ipſi conſtiterunt. Agrippina enim interficere illum ſibi propoſuit, occaſionem arripiens ex leui quadam Principis infirmitate. Eam in rem vſa eſt miniſterio celeberrimæ veneficæ Locuſtæ, vt boletis veneno infectis e medio eum tolleret. Princeps hæc crudelis mortem Claudii celauit, vt tempus ei daretur, milites Prætorianos in ſuam partem trahendi, quos etiam liberalitate ſua ſibi conciliauit. Ab his itaque Nero ad Imperium fuit euectus, & a Senatu Romano in detrimentum infelicis Britannici receptus.

p. 219.

Haud eſt mirandum, poſtea Neronem, qui matri ſuæ vnice debebat imperium, cum ea partiri honores voluiſſe; quod numus hic paruus ac rarus nos edocet, in quo ambo iuxta poſiti conſpiciuntur ſeſe intuentes. Nouus Imperator annum adhuc decimum ſeptimum non erat egreſſus: Sic ſola Agrippina nomine filii ſui præfuit Imperio; & quidem tanta prudentia, vt Traianus Princeps, ex quo exemplum ſibi ſumere alii debent, votis expopoſcerit: vt quinque priores Neronis annos ſuis annumerare ſibi liceret. Sane annis his quinque matris ſuæ conſiliis Nero feliciter bellum contra barbaros geſſit, ac hoſtibus, regnum ne inuaderent Romanum, eo tempore obſtitit: Adeo vt hæc Germanici filia ſub vitæ finem Templum Jani quarta vice clauſum viderit. Eſt ſane fatendum, hanc Principem regnandi artem optime tenuiſſe, & Imperio

quoque fuiſſe dignam, ſi ambitioni immenſæ, quæ reddidit eam crudelitatis exemplar, fines terminoſque conſtituere ſciuiſſet.

Sed ratio temporis poſtulat, Vir clariſſime, ea tibi exponere, quæ pars numi auerſa continet. Animal ibi apparet, quod primum ob alas magnas expanſas Pegaſum eſſe duximus; perſpecto autem, non eſſe erectum, ſed pedibus ſtratum, Gryphem ſtatim agnouimus. Hoc Goltzius quoque Tabula Aſiæ ſuæ inferioris decima tertia in numo quodam Megarenſium nobis exhibet. Pegaſus vero ſemper depingitur anterioribus in aërem pedibus, volatuque tendens ad ſidera, quæ inter poſtea conſtitutus eſt. Licet vtrumque hoc animalium genus ab Hiſtoricis quamplurimis fabulis fuerit annumeratum, nihilo tamen minus alii ſibi perſuaſerunt auctores, minime illa eſſe commentitia, quoniam hæc nobis antiquitas numis ſuis impreſſa ſæpius exhibet. Alios inter Seruius cum de Gryphibus loquitur, tales deſcribit eos, qualis in præſenti numo conſpicitur. Refert enim, hæc animalia vaſtam planitiem vltra montes Hyperboreos inhabitare, corpore Leonem referre, capite & alis aquilam. Adiungit quoque Apollini eſſe conſecrata, quia hunc fortaſſe Deum cultu & honore proſecuti ſunt regionum illarum incolæ, quod Pindarus in Pythionicis ſuis refert, quodque Strabonis libro VII. a Sophocle probatur, qui has regiones hortum Apollinis vocat.

p. 220.

Conſiderare nunc reſtat, quare Gryps auerſæ numiſmatis parti inſculptus eſt. Primo igitur notandum venit, quod directe infra ſtratum hoc animal verbum ΑΡΓΕΙΩΝ in ſubſcriptione legatur; vnde edocemur, illos, qui hunc numum percuſſerunt, incolas eſſe Argi, vrbis Peloponneſi celeberrimæ. Argus olim Græcis nomen indidit Argiuorum. Eius antiquitas a longo iam tempore primum locum Lacedæmoni reddidit dubium. Ipſemet quoque Strabo refert, Argiuos primoribus ſeculis ſemper Imperium obtinuiſſe. Adraſtus Rex e ſucceſſoribus eius in memoriam Regis exigua ſtatura Archemori Nemea inſtituit. Hos bello, quod excitauerat Nabis, & in quo Argus fuit occupata, intermiſſos, Romani reſtaurarunt, cum ex ea hunc depuliſſent Tyrannum. Hoc eſt, quod libro XLIV. T. Liuius narrat, quodque nobis prodit, quam ob rem vrbs hæc celeberrima honori ſibi duxit, monetis ſuis nomina Neronis eiuſque matris imprimere.

p. 221.

Eſtque

Eſt quoque ſecundo notandum; Argiuos cultu ſingulari Apollinem eſſe proſequutos, cui, vt ſupra monui, Gryps erat conſecratus. Cultus huius originem in Corinthiacis ſuis Pauſanias hoc modo narrauit: Danau, Beli filius, cum fratri ſuo maiori natu, Ægypto, Ægyptium regnum, quod ab eo nomen habet, reliquiſſet, claſſem conſcendit, ad quærendum alium, in quo ſedem figere poſſet, locum. Appulit in Græciam, Argoſque exſcendit; vbi cum Gelanore, qui in hac vrbe a longo iam tempore regnauerat, de regno contendit, ac licet Princeps iſte iure ſe vel maxime tueretur, populus, cui iudicium hac in cauſa delatum erat, in craſtinum illam decidendam reiecit. Poſtero die in pomœrio lupum obſeruarunt validum, qui taurum gregis ibi paſcentis ducem adortus eſt. Populus Gelanorem tauro, Danaumque lupo contulit; quare, cum in hoc certamine taurum lupus confeciſſet, Argiui cauſam Imperiumque Danao adiudicarunt. Tunc Danaus lupum ab Apolline immiſſum interpretatus, in notam grati animi ædem huic Deo ſub nomine Apollonis Lycii dicari iuſſit: cuius cultum ab eo tempore ſemper obſeruarunt Argiui.

Denique notandum quoque venit, Neronem tanto ardore in artem lyram pulſandi (cuius inuentor Apollo) fuiſſe propenſum, vt Senatus ei adulandi gratia monetam cudi iuſſerit, in qua, vt alter Apollo, manu lyram tangens Nero conſpicitur Dio etiam libro LXI. refert, illi, per vicos vrbis Romæ ambulanti, populum acclamaſſe: *Quam pulcer Cæſar, Apollo, Auguſtus vnus veluti Pythius.* Non incongruens itaq; videri potuit, quod Argi incolæ, cum nomen Neronis numis ſuis incudere vellent, in his imaginem Dei alicuius, quem diuino cultu proſequebantur, exprimerent, vtque inter Deorum ſuorum ſymbola illius ſibi ſignum eligerent, cuius ſe ſimilem eſſe Princeps iſte iactabat. p. 222.

Hæc ſunt, Vir clariſſime, quæ in præſenti de hoc numo dicenda habui, cuius exiguam molem ſi ſpectes, non credideris, tot in illo veteris hiſtoriæ reliquias in memoriam nobis reuocari. Quoniam igitur non mediocriter monumentis eiuſmodi delectaris, huius communicationem tibi non fore ingratam duxi. Sed Sereniſſimo Duci Cenomanenſi non deſunt alia, quæ maiorem referunt eruditionem, de quibus alibi fortaſſe tecum loquendi locus dabitur in poſterum.

VI.

EPISTOLA REV. PATR. GRAINVILLII JESV SOCII,

Ad amicum de numo quodam Vitellii Imperatoris.

E Memor. Triuult. MDCCIV. Febr. p. 145. seq.

VIR PRÆSTANTISSIME.

PRæſens Vitellii numus haud adeo vulgaris, digniſſimus mihi videtur nonnullis animaduerſionibus. Facies eius aduerſa caput Vitellii ſiſtit lauro cinctum cum lemmate: A. VITELLIVS. GERM. IMP. AVG. P. M. in auerſa vero parte Senator manum porrigit homini armato galea & clypeo, cum inſcriptione: ADVENTVS AVGVSTI.

p. 146. Primo. Vitellius hoc in numo titulum Imperatoris adſumſit, quod tunc proprie ſummam auctoritatem in omnem Imperii exercitum ſignificabat. Neq; in aliis quamplurimis numis Auguſtus cognominatur, quoniam per aliquod tempus hac dignitate non eſt vſus, perinde vti nec poteſtate Pontificis Maximi, quæ Imperatoribus tribuebatur, vt omnibus ac ſingulis tanto magis venerabiles haberentur. Sed vtroque titulo Vitellius in numo meo vtitur, ſiquidem ille paulo poſt aduentum ipſius in vrbem Romæ fuit ſignatus, quo tempore Auguſti & Pontificis Maximi dignitatem atque elogium ſuſcepit.

Secundo. Vitellius, neque in meo, neque in quocunque alio numo Cæſaris nomen gerit, quippe nomen familiæ nihil ad ſe pertinere exiſtimans; honeſtior etiam fuit & veritatis amantior, quam vt mentiri vellet, a Jul. Cæſare ſe deſcendiſſe. Splendore familiæ ſuæ contentus, noluit ſibi aliunde maius decus nobilitatemque citra ius & fas mutuari:

tuari: quod adeo verum eſt, vt ne quidem permiſerit, filios ſuos in numis, qui ex omni metalli genere quam plurimi hodie ſuperſunt, Cæſares vocari, ſed tantum LIBEROS IMP. GERM. AVG. Quod tamen Veſpaſianus, aliique eum inſecuti Imperatores haud adeo religioni ſibi duxerunt.

Deniq; quidem Vitellius, teſte Corn. Tacito, *(a)* cognomen Cæſaris ſuſcepit: & forſan aliquando in lucem prodibit monumentum aliquod antiquum, Taciti teſtimonium confirmans: quamquam hoc ægre mihi perſuadeo. Imperator enim iſte nimis ſero & omnibus iam exoſus *Cæſarem ſe dici voluit, aſpernatus antea, ſed tunc ſuperſtitione nominis, & quia in metu conſilia prudentium & vulgi rumor iuxta audiuntur.* p. 147.

Tertio Germanici cognomen, quo Vitellius hoc in numo vtitur, minime nomen eſt familiæ, vt vir quidem eruditus, neſcio qua ratione, contendit. Nam vt omittam, quod neutiquam appareat, eum eſſe familiæ celeberrimi Druſi adſcribendum, qui Germanici nomen in poſteros propagauit, numi nobis ſuperſunt, nec pauci illi, cum hac inſcriptione: A. VITELLIVS. IMP. GERM. AVG. &c.

Num vero vſquam numi primorum Imperatorum reperiuntur, qui nomen familiæ in medio poſt titulum Imperatoris habent inſcriptum? Num dignitatis elogium, quale eſt hoc Imperatoris, duobus familiæ nominibus interpoſitum cernimus? Sexcenties occurrit: *Nero Claudius Imperator. Imperator Nerua Traianus Auguſtus* &c. nunquam autem: *Nero Imperator Claudius*, aut *Nerua Auguſtus Traianus.* Neutiquam ſane, ordo enim naturæ & ratio repugnat; quæ iubet dignitates homini, non hominem dignitatibus adiungere. Atq; hæc ipſa fidem mihi faciunt, Galbam, cum Cæſaris nomen ſuſcepit, non cognomen familiæ, ſed dignitatis titulũ adſciuiſſe, ſiquidem numi ipſius nonulli hanc præferunt inſcriptionem: SER. GALBA. IMP. CAESAR AVG. Et Corn. Tacitus de Vitellio: *Præmiſit in vrbem edictum, quo vocabulum Auguſti differret, Cæſaris non reciperet, cum de poteſtate nihil detraheret.* Cæſaris itaque nomini per ſe adiuncta erat potentia ſimilis forſan ei, quam Julius Cæſar exercuit. Interim tamen pro certo affirmare non audeo, quod inſecuti Imperatores hanc diſtinctionem ſemper obſeruauerint. p. 148.

Sed

(*a*) Lib. III. *Hiſtor.*

Sed vt redeam ad Germanici, quod Vitellius gessit, cognomen, haud adeo adspernanda sunt verba Suetonii. Potius hoc addendum esse existimo, non ex sola adulatione cognomen illud prouenisse; sed admodum esse verisimile, quod Imperator, cum ad fines Rheni cum exercitu in Germaniam appulisset, de Germanis victoriam quandam reportauerit, eaque occasione Germanicum eum exercitus vocauerit. Numi saltim hoc nobis suadent, quorum alii, in auersa facie GER*maniam* exhibent CAPTA*m*; alii VICT*os* GER*manos* a Victoria clypeo inscriptos.

Hanc victoriam fortassis haud adeo insignem iudicarunt Historici, vt mentionem illius facerent; sed numorum mouente adulatione accuratior fuit diligentia.

Si quis in animum sibi induceret, vt factum a nonnullis videtur, Vitellium Imperatorem nunquam Romæ fuisse, quicquid etiam dicunt historici; sed in finibus Germaniæ atque Italiæ substitisse, vt hos Imperii fines tueretur, solus hic numus erroris eos conuincere valet. Hic enim in auersa facie ADVENTVM AVGVSTI prodit. Nulla siquidem iusta dubitandi ratio est, verba hæc de aduentu Vitellii in vrbem Romam esse intelligenda. Numis sane testibus constat, quod quam solemnibus lætitiis hæc Metropolis Orbis aduentantes e longinquo Imperatores exceperit, publica festa instituerit, vota nuncupauerit, atque percusserit numos cum lemmate: FORT*unæ* RED*uci*, ac si Imperator fortunam vrbis atque terrarum secum attulisset, vel cum hoc: NEPT*uno* RED*uci*, velut gratias habitura Deo, qui appellentem Augustum per mare saluum seruasset; communiter autem ADVENTVS AVGVSTI in iis signabatur.
p. 149. In numis quippe latinis solus aduentus Imperatoris in vrbem Romam celebratur, in qua tanquam in meditullio Imperii sedem figere illum oportebat, & omnia erant in prouinciis pacata, cum ipse tranquille Romæ commoraretur. In aliis autem vrbibus, veluti per transitum & incognitus versabatur, quam eius commorationem haud operæ pretium erat notare, veluti perbreuem atque exigui momenti, cum e contrario Roma tanquam ex centro Augustus per omnes Prouincias auctoritatem suam extendere, & cum illis communicare poterat: perinde fere ac in numo alio PROFECTIO*nem* AVG*usti* notarunt, quæ non ex alio loco, quam Roma est intelligenda. Hæc adeo vera sunt, vt, cum aduentum Imperatoris

ratoris in aliam regionem commemorarunt, hanc ſemper (b) in numis expreſſerint, quod clariſſime confirmant numiſmata Hadriani, in quibus legitur ADVENTVI AVG. ACHAIAE. ADVENTVI AVG. AFRICAE. &c. Neque ipſamet Italia hic excipienda eſt, quam ab Vrbe Roma hac ratione diſtinguebant. Nam cum de illa ſermo eſt, legitur in numis ADVENTVI AVG. ITALIAE, cum vero de hac: ADVENTVI AVG. Hoc ſatis quippe erat ad ſignificandum Imperatoris in vrbem aduentum.

Sufficit igitur & hoc ad perſuadendum, (quod in tranſcurſu notare iuuat) quod Nero poſt Græcum iter Romam redierit, licet vir quidam eruditus longe aliter ſentit. Niſi vero ad hiſtoricos eius temporis liceret prouocare, qui diſertiſſimis verbis reditum ipſius commemorant, ſolus hic numus de eo nos conuincere poſſet. Aduerſa eius facies Neronem ſiſtit cum inſcriptione: NERO CAESAR AVG. GERM. in auerſa vero parte nauis cernitur additis hiſce litteris: R. ADVENTVS AVGVSTI. G. P. hoc eſt, *Romam* in Vrbem *Aduentus Auguſti Græcia peragrata*. Nauis autem apponitur, quoniam mari Nero appulit. p. 150.

Quinto. Res quidem eſt haud contemnenda, quod numi fidem faciunt hiſtoricis; at numus meus inſeruire etiam poteſt ad differentiam inter Suetonium & Tacitum, duos ſcriptores grauiſſimos, diiudicandam. Prior de Vitellio inquit: (c) *Vrbem ad claſſicum introiit paludatus, ferroque ſuccinctus inter ſigna & vexilla.* Poſterior autem: *Ipſe Vitellius a Ponte Miluio inſigni equo, paludatus, decinctuſque ſenatum & populum ante ſe agens, quo minus vt captam vrbem ingrederetur, amicorum conſilio deterritus, ſumpta prætexta & compoſito agmine inceſſit.* En duos egregios ſcriptores inuicem diſſidentes, vtri horum aſſentiemus?

Doctiſſimus Oiſelius Taciti auctoritatem Suetonio præferre videtur, quoniam togatum in numo Senatorem ipſum eſſe Vitellium, al-

(b) At numus Diocletiani apud Begerum *Theſauri Brand. Tomo II.* p. 779. occurrit hac inſcriptione: FELIX ADVENT. AVGG. NN. cum mulier tamen in eo proboſcide exornata in Africa & Carthagine quidem Imperatorem aduenïſſe teſtatur. Quod pluribus contra Illuſtriſſ. Mediobarbum probat loco citato Begerus præſtantiſſimus. (c) Sueton. *Vitell.* c. XI.

teramq; figuram in armis Romam putat Amazonis habitu indutam, quæ in ſinum ſuum ſuſcipit Imperatorem. Hanc viri præſtantiſſimi interpretationem probare non poſſum. Figura enim armata primo ſtatim aſpectu nequaquam Amazonem vel aliam quamcunque mulierem præ ſe fert. Pugio ei hic tribuitur pro Amazonum bipenni: eiuſque veſtitus breuior eſt & ſuccinctior, quam vt Deæ cuidam conuenire poſſet. Sæpiſſime quidem Romam Victricem in numis cernimus, ſed haſtam ſemper vel haſtulam, nunquam vero pugionem manu tenentem, togaque indutam,
p. 151. non paludatam. Numus aureus, in quo aduentus ille Vitellii repræſentatur, Auguſtum hunc equitantem totoque corpore armatum ſiſtit. Nulla igitur ratione dubitare licet, Vitellium in hanc Imperii Metropolin introiiſſe armatum, numi enim diſerte hoc in capite pro Suetonio faciunt. In Taciti autem gratiam & ad conciliandum aureum numum cum æreo, hæc ſaltim afferri poſſunt, quod Vitellius Ponte Miluio conſcenderit equum, at prope portam Romanam precibus amicorum, quo minus vt captam vrbem ingrederetur, deſcenderit, atque (vſquequaque tamen armatus) pedes iuerit in Capitolium. Sic illum quidem & equitantem & peditem repræſentare potuerunt Romani, ſed armis ſemper indutum.

Integrum tibi per me erit, alias quaslibet in hunc numum obſeruationes adiungere. Saltim hæ ſufficiunt, vt appareat, eium eſſe digniſſimum conſideratione.



VII.

RESPONSIO MOISSONIERII AD HASCE GRAINVILLII litteras.

E Memoriis Triuult. MDCCIV. Decemb. p. 420. ſeqq.

REVE-

REVERENDE PATER.

NVmus vtique tuus Vitellii perrarus est, & dignus eruditis plenisque ingenii animaduersionibus, quas in Memoriis Triuultianis mense Februario anni MDCCIV. luci exposuisti. Sed raritatem maximi ex ære numi eiusdem Imperatoris, quem paucis abhinc mensibus feliciter erui, neutiquam attingit. Contendis, Vitellium ex incuria aut modestia in nullo numo Cæsaris elogium adsumsisse, aut adsumtum nimis sero sibi omnibus iam exoso adsciuisse. Pace tua, Pater Reuerende, affirmauero, omnes Imperatores, Galbæ & Othonis exemplo, saltim ad Postumium usque, quamquam minime fuerint e Juliana familia, hoc sibi cognomen attribuisse, veluti signum summæ in Imperio dignitatis & potentiæ. Ab his excipere Vitellium videris: At numus maximi moduli, modo a me memoratus, contrarium testatur, mihiq; persuadet, Tacitum summa fide notasse, quod Imperator iste recusauerit nomen, quod postea recipere non dubitauit. In illo, quem dixi, numo circa caput Vitellii lauro cinctum hæc leguntur: VIT. CAESAR. IMPERATOR PONT. PPP. E. SEMPER AVGVSTVS. In auersa vero facie Senator exstat sinistra caduceum tenens, dextramque porrigens feminæ, abundantiæ cornu gerenti, cum lemmate: CONCORDIA AVGG. & in area litteras S C. p. 421.

Omissio Germanici confirmat tuam sententiam, quod elogium hoc non sit nomen familiæ. Magnitudo huius numi, cuius diameter est binorum pollicum & septem linearum, crassities linearum trium; cognomen Cæsaris; auersa facies, quæ Vitellium Senatoris habitu clarissime repræsentat; & pulcritudo operis rarum eum & singularem reddunt. Etiamnum in nonnullis huius Imperatoris numis CONCORDIA EXERCITVVM, CONCORDIA PRAETORIANORVM, CONCORDIA AVGG. legitur; perinde vt in numis Galerii, Faustinæ, Aquiliæ, Septimii & Alex. Seueri, Caracallæ, Getæ, Juliæ Paulæ, Tranquillæ &c. In quibus nonnullis facies auersæ cum altera facie maximi huius mei numi admodum conueniunt.

Hoc antiquitatis monumentū integrum adhuc est, nulla parte nec deformatum nec corruptum, licet plus quam in triginta locis serra sit notatū ab

ab eo, qui primus illud detexit, ad probitatẽ metalli cognoſcendam. Imperitus etiam iſte diu hoc pro calculo eſt abuſus, adeo vt ſingulari fortunæ beneficio integer remanſerit. Neque dubitandum eſt, auerſa eius facie repræſentari Vitellium cum Galeria Fundana, altera ipſius vxore. Quæ circumſtantia eo maiorem addit numiſmati raritatem, quo minus numi huius Auguſtæ cogniti ſunt. Et argumenti inſtar eſſe poteſt, huncce
p. 422. Imperatorem minime cognomen Cæſaris eo tempore aſſumſiſſe, quo omnibus erat exoſus, quoniam Senatus per hunc numum maximi moduli voluit Vitellio adulari, ac ſpondere numeroſam poſteritatem ſucceſſuram ei in Imperio, aut hac ſpe implere hominum animos, atque de concordia Imperatoriæ familiæ certiores reddere. Ceterum, quod ingenue fateor, verſari me video in opido, in quo pauci ſunt antiquitatis ruſpatores, atque vbi nemo de hoc genere eruditionis niſi proprio Marte inſtruitur. Si mihi liceret, Te, Reuerende Pater, ſubinde adire, tibique μαθητεύειν, forſan mea in ſupellectile alia inſuper monumenta exquiſiti generis reperirem non pauca, quæ Tibi haud iniucunda conſideratu fore crederem, & de quibus tuum lubenter audirem iudicium. Interim ſincere me profiteor

REVERENDE PATER

Clariſſimi nominis Tui

Cultorem deditiſsimum.

Huic Epiſtolæ Clariſſimi collectores Memoriarum Triuultianarum hæc ſubiecerunt.

Reuerendus Pater Grainuillius, ad quem Moiſſonierius præſentem ſuam reſponſionem miſerat, illum ipſum maximi moduli numum falſum eſſe contendit, has ob cauſas: I. In genuinis numis Imperator ſemper inſcribitur A. VITELLIVS, vt eo diſtinguatur a fratre L. VITELLIO.

LIO. II. Compendium litterarum insolens est, siquidem in genuinis numis aut VITELLIVS integre, aut VITELL. inuenitur. III. Nunquam IMPERATOR*is* vocabulum occurrit integrum, nomine præsertim proprio decurtato. IV. Augusti vocabulo nusquam eo saltem tempore subiicitur PONTIFEX omisso MAXIMI elogio. V. Quid sibi volunt tres litteræ PPP? VI. E litteram in Imperatorum numis nunquam ita singulam reperimus. VII. SEMPER AVGVSTVS genium sæculi illius minime sapit.

Hæ sunt obiectiones Reu. Patris Grainuillii aduersus maximum numum Moissonierii, ad quas Vir iste eruditus haud dubie est responsurus. Quod publico etiam nomine ab eo efflagitamus, nec minus vt alia rariora cimelia vel per nos benigne cum eo communicare ne dedignetur.

Quod dum exspectamus, nolumus sane de veritate, falsitateq; antiqui monumenti, nobis haud visi, ferre sententiam. Interim argumenta a Reu. Patre Grainuillio obiecta, non ita comparata sunt, vt omni exceptione maiora esse videantur. Primo enim per litteras PPP. & quæ illas sequitur E, potest innui PATER PATRIAE, PATER EXERCITVVM. II. Nonne Vitellius a fratre titulis suis satis distinguitur? III. Contendit SEMPER AVGVSTVM non sapere genium sæculi Vitellii; sed nullum huius sententiæ suæ attulit documentum Vir Reuerendus. IV. Reliquæ, quas proponit, difficultates ad solemne illud argumentum quorundam Antiquariorum reducuntur: Hoc in aliis numis haud reperitur, ideo numus, qui illud habet insculptum, falsus est. At sane num argumento huic vel minimum inest ponderis? Nobisne omnes numi veteres adhuc restant? Nonne inscriptio ab aliis diuersa primum occurrere in numo quodam debuit, ante quam similis aliqua vsquam alibi fuit obseruata? Nonne veri videtur simile, quod tunc perinde vt etiamnum nostra ætate numorum ingenium, magnam partem dependerit ab imaginatione eorum, qui erant auctores, ab ingenio, studio ac respectu, negligentia vel imperitia monetariorum?

p. 423.

VIII.

DISSERTATIO GRAVEROLII

JCti Nemausensis,

De numo græco Imperatoris Traiani,

AD

TERRINVM

Consiliarium Regium in Tribunale Arelatensi.

Ex Clerici Bibliotheca Vniuersali A. 1687. *T. IV. p.* 272. *seqq.*

T. III. n. 5. RECepi testimonium singularis erga me beneuolentiæ, ectypon numi ærei Imperatoris Traiani primæ magnitudinis, ab Episcopo Apameensi tibi communicati, quod ad me transmittere benigne dignatus es. Auersa sane numismatis pars singulare aliquid exhibet, & quoniam petis a me, vt libere meam tibi de hoc sententiam indicem, dissimulare nequeo, quod licet Nili triumphum, in curru a duobus Hippopotamis super glaciem fluuii ducto, exprimere, cornu etiam abundantiæ, quod sinistra, & aristis, quas altera tenet, fertilitatem huius fluminis omnibus, quos inundat, locis communicatam, denotare, videatur; vti mente hæc concepit meritissimus ille Præsul, quem a longo iam tempore magna sum veneratione prosecutus: Attamen, hac ratione numum esse explicandum haud existimo; partim, quia Nili triumphus cum numo Traiani minime congruit, in cuius honorem Ægyptii hunc singularis & raritatis & elegantiæ numum cudi curasse neutiquam dubitandum est; partim quoq;, quia tantum abest, vt Nilus in numo triumphans inducatur, vt e contrario Imperator potius cernatur de Nilo tri-

um-

umphum ducere. Quoniam itaque, Vir Clarissime, libertatem mihi concedis quid sentiam exponendi, quæso te, in malam partem ne accipias, quod tecum consentire vix possum, neque hunc triumphatorem simpliciter Deum significare credo Serapidem, aut Jouem Ægyptiacum, qui Nili accremento & fœcunditati iuxta religionem huius populi præesse fertur, aquis suis hasce duas dotes communicantem, & curru ad eas iter instituentem, vt admodum ingeniose Tibi finxisti. Sed confirmare audeo, Æpyptios Imperatorem Traianum sub figura Serapidis siue Jouis in curru triumphali a duobus Hippopotamis super fluuium tracti, adumbrare voluisse, in memoriam beneficii ab eo accepti incredibili illa in calamitate, quam diuturnus inundationis Nili defectus ipsis attulerat. Absque dubio instituerant, magna, quæ in miseria sua ingenti ab Imperatore liberaliter acceperant, beneficia cum iis comparare, quæ communiter ad Jouem siue Nilum referre solebant, qui abundantia illos, & terram ipsorum fertilitate donare consueuerant. Quoniam itaque Nilus siue Jupiter, ipsorum, vt ita dicam, penitus erat oblitus; (hæc enim regio, iuxta Plinii obseruationem in Panegyrico Traiani, *inopina siccitate vsque ad iniuriam sterilitatis exaruerat, quia piger Nilus cunctanter alueo sese ac languide extulerat*;) videtur mihi, iure statuendum esse, quod populi isti ex grato animo tamquam Deum repræsentare voluerint Euergetam ac Seruatorem suum, cui multo magis quam Diis indigenis erant obstricti; dignum de ipsomet Nilo triumphare, quia illos permagna frumenti vi, ad ipsos aduecta, liberaliter donauerat, quam fluuius, vtcunque præcedentibus annis abundantissimus, hoc Imp. Traiani anno, quo regionem ipsorum inundare cessauit, communicare neutiquam potuerat. Huc etiam respexit eruditus ille scriptor Panegyrici, ad auersam numismatis, hac occasione percussi, partem fortassis alludens: *Inundatione, id est, vbertate regio fraudata, sic opem Cæsaris inuocauit, vt solet amnem suum.* Quicquid etiam sit, fatendum tamen est, Traianum, hoc insignis gratiæ beneficio Ægyptiis præstito, satis ac superflue ostendisse, quod ex se tamquam ex Nilo haurire possent, vt verbis, a Vespasiano Imperatore olim prolatis, vtar; qua ratione huius numi diagraphen facile meruit.

Parua, quæ in area numi cernitur, figura genium huius fluuii, qui

qui fertilem illum reddit, qui & hinc vtraque manu ariſtas tenens cernitur, congruenter denotare poteſt. Fluuios enim, ipſoſque fontes, vti & vrbes atque Prouincias ſuum ſingulos habuiſſe genium ex Ethnicorum ſententia, neutiquam te, Domine, latet. At ex eo ſenſu, quem ego numiſmati tribuo, genius Nili minime locum hic habere poteſt, niſi dixeris: quod a fluuio propterea tam longe diſtans exhibeatur, vt hoc ipſo indicetur, nuncium quaſi hoc anno flumini ſuo miſiſſe, nec Ægyptum inundare, illamque vberem reddere poſſe. Non incongruens itaque eſſe dictu exiſtimo, quod Nilus olim ſymbolo infantum altitudine duntaxat vnius cubiti fuerit adumbratus, varios eius incrementi gradus, per cubitos dimenſos, denotandi gratia, ita vt, ex veterum auctorum teſtimonio, fluuius hic quindecim ad minimum vel ſedecim gradibus efferre ſeſe debuiſſet ad fertilem reddendam Ægyptum. Hanc forte ob cauſam infans hic ſiſtitur a fluuio tam remotus, nec ab aquis attingendus, vt ariſtis, quas manibus tenet, indicetur, aquas oportere ad ipſum vſque excedere, ſi Ægyptum humectare, illamque vbertate donare velint. Fortaſſis etiam hac remotione denotare inſtituerunt, Nilum ob ingentem aquarum defectum fertilitatem illam, quam alias per inundationem ſuam quotannis Ægypto communicare ſolebat, ei donare hoc anno neutiquam potuiſſe. Sed & ea, quæ de hiſce infantibus tertio dialogo eruditus diſſerit Epiſcopus Tarraconenſis, a meis partibus ſtare videntur.

Deniq; ſtatim credideram, litteras haſce tres L. I. B. Λυκάβαντος ιβ. iuxta vulgarem modum explicandas eſſe, & Traianum anno Imperii duodecimo auxilium præbuiſſe Ægypto. Sed quia Panegyricum huius Imperatoris tertio anno Plinius habuit, ad gratum declarandum animum Conſulatus Vrbis Romanæ, quo & ipſe erat cum Cornuto Tertullo honoratus; certum eſt, annum, numo inſculptum, cum eo, quo hoc beneficium a Plinio tantis elogiis in Panegyrico effertur, congruere minime poſſe. Ita vt, quoniam auerſa numiſmatis pars nulli alii, quod mihi videtur, quam laudatiſſimo huic beneficio conuenire poteſt, nequaquam dubitem, Ægyptios, ne beneficium, ab Imperatore tam benigno acceptum, obliuioni vnquam traderent, hoc numo procuſo memoriam eius ſubinde, præcipueque anno imperii ipſius duodecimo, renouare

re voluiſſe. Sane numus eſt mihi græcus æneus maximi moduli, in honorem Traiani percuſſus, cuius poſtica in parte Nilus exhibetur Crocodilo incumbens, & vna manu Cornucopiæ tenens, cui infans aſſidet, eique proxime in area numi infans adhuc alius nulla inſcriptione, quam duabus hiſce literis Λ. Δ inſignitus, quæ annum huius Imperatoris quartum denotant. Exploratum quoq; habeo, numos eiuſdem Imp. reperiri alios, quorum alter in auerſa Nilum duntaxat cum voce: NILVS, alter fluuium ipſum, Crocodilo atque Hippopotamo comitatum, & cornu nonnunquam abundantiæ tenentem oculis ſiſtit; ſed omnes iſti Conſulatum Imperatoris IVtum inſcriptum habent. Cernuntur etiam numi græci variis in gazis rei numariæ ſtudioſorum, eodem imperante Traiano ſignati, in quibus Nilus cum Hippopotamo & infantum vno, iam memorato, repræſentatur. Huic adde, quod anno Imperii Traiani quinto Ægyptii, & ſingulatim fortaſſis Incolæ Canopi Inſulæ memoriam beneficii, ab Imperatore recepti, renouare inſtituentes, ipſum ſub figura adumbrauerint Dei, quem diuino cultu in hac inſula afficiebant, æque ac in aliis eiuſdem Prouinciæ locis ſub figura alterius Dei eum repræſentabant, vti in Selectis Cl. Seguini numis videre licet.

Denique, ſi numus, qui in poſtica parte ſiſtit figuram Sphyngis, ſymbolum communiter Ægypti, quem eandem ob cauſam cum Nilo ſæpius pingunt, iuxta nonnullorum coniecturam non fuerit eo cuſus tempore, quo Traianus ad Parthos debellandos per hanc Prouinciam profectus eſt; Minime dubitandum eſt, quin Sphynx iſte, cui in circuitu adſcriptum exſtat vocabulum ΑΕΓΥΠΤΟΣ, rem præclaram huius Imp. geſtam denotet, quæ materiam præſenti diſſertatiunculæ præbet. At ſi vltimus hic numus, & ipſi Cophtitarum ac incolarum Inſulæ Canopi, congruere cum aliis vitæ Traiani circumſtantiis debent; vel, ſi adulationis tantum gratia ſunt percuſſi, iuxta genium horum populorum, quibus vitio vertebatur, quod adulationem in ipſa vſque monumenta publica, ſaltim ad idem cum Græcis faſtigium protuliſſent: Affirmandum eſſe mihi videtur, quod alii numi, vbi Nilus tam variis modis depictus cernitur, quorum etiam nonnulli ſunt quarto Principis huius optimi conſulatu, alii quarto Imperii ipſius anno, alii iterum duodecimo notati, quemadmodum ille, cuius explicationem inſtituere auſus

hic ſum, ne aliorum, qui ad certum annum reduci non poſſunt, mentionem faciam; Videtur, inquam, mihi, affirmandum eſſe, quod omnes iſti numi eum in finem duntaxat fuerint cuſi, vt Ægyptii beneficium, a Traiano tempore famis, qua premebantur, publice teſtatum facerent, atque oſtenderent eius memoriam ex animis ſuis neutiquam vlla obliuione exſtinguendam eſſe. Propterea tam crebro eam renouabant, ac vniuerſum frequenter inſtruere nitebantur, ac ſi præter Traianum nullus alius ipſis fuiſſet Nilus, quia hic Imperator magna frumenti vi, ipſis aduecta, penuriam illorum alleuauit, quam defectus inundationis Nili illis attraxerat. Si, Domine, receptis veſtigiis moribuſque Criticorum inſiſtere vellem, nondum epiſtolæ meæ finem imponerem. Etenim oſtenderem, viro illi erudito, qui Occonem, notis ſuis illuſtratum, paucis abhinc annis publici iuris fecit, neutiquam dubitandum eſſe, quin Nilus, in numis Traiani exhibitus, hiſtoriæ huius Imp. ex aſſe conueniat. Probarem, Joſephum quoque Scaligerum, ſui temporis omnium eruditiſſimum, quemque ſæcula quoque ventura tanquam prodigium ſcientiarum abſque dubio admirabuntur, in Tractatu ſuo de emendatione temporum memoria fuiſſe lapſum, quando ex duobus diuerſis numiſmatibus, quorum alterum conſulatu Traiani tertio, alterum vero ſub quinto percuſſum, falſo colligit tempus, quo hic Imperator de Dacis triumphum deportauit. Sed intra materiæ meæ fines me continebo, atque haſce obſeruationes ad aliam occaſionem reiiciam. Quod ſupereſt, Domine, ſi hæ de numo a me expoſito coniecturæ tibi non improbantur, iam non deſpero aliorum approbationem; ſi vero tibi diſplicent, ſententiæ tuæ lubens concedam, qui hac in re pro arbitrio tuo poteris ſtatuere. Ita enim ſemper locum dare adſueui viris egregiis, quorum ingenium pro meo ſuſpicio.

IX.

IX.

DISSERTATIO
Cl. VALENTIS,

Academiæ Scientiarum & liberalium artium Socii, quam de numis nonnullis Imp. Traiani prima congregatione huius Academiæ Regiæ recitauit.

E Memoriis Triuultianis An. MDCCII. April. p. 294. seqq.

CVm numum potius Traiani quam alterius cuiuscunque explicare aggredior, neutiquam hoc fit ex singulari, quo Romanos numos persequor studio, aut quod græca nobis desint numismata. Vnicum enim Gazophylacium Serenissimi Principis ac Ducis Cenomanensis suppeditaret mihi facillime materiam per multos annos de illustribus vtriusque linguæ monumentis vobiscum colloquendi. Princeps iste Illustrissimus magnum non minus horum collegit numerum, quam sedulum iis studium operamque ipse impendit; persuasus, historiam dignissimam esse Heroum scientiam, inque pretiosis hisce antiquitatis lipsanis subinde reperiri plurima egregia, scriptoribus ipsis præterita. Et certe hisce in monumentis, si ita dicere fas sit, portatilibus, veluti in totidem paruis imaginibus adhuc cernimus, quæcunque olim gesta fuerunt dignissima, vt ad posteros transmitterentur, & nostram ætatem attingerent.

Ne autem a proposito nimis recedam, licet eruditi maiori studio græca amplectantur numismata; fatendum tamen est, haudquaquam in illis reperiri ætate Ludouici M. satis dignum. Quantusque etiam heros Alexander fuerit; vnicus Regum, qui alioqui cum Monarcha nostro Augustissimo conferri mereatur, attamen nimis exiguo tempore rebus præfuit, quam vt tam diuturnis, & tam continuata successione sese excipientibus rebus prosperis comparari debeat.

Vnicum Imperium Romanum æquauit gloriam Gallici regni, e
p. 295. cuius vniuerſis Imperatoribus ſolus Traianus vltra Auguſti merita eue-
ctus, hanc ob cauſam propius ad Ludouicum M. accedit. Ne enim ſin-
gula exponere aggrediar, quæ nobis hiſtoriarum monumenta de hoc
Imperatore ſuppeditant; vel ſola encomia, quæ ipſi in numo ad propo-
ſitum præſens delecto tribuuntur, nos magis farſan hoc edocebunt, quam
comparatio ordine nimis ac diligenter inſiſtens magnis illis euentibus,
qui regna vtriuſque huius Monarchæ ſplendidiora reddiderunt.

En verba in numo Traiani, capiti laurea cincto circumſcripta: IMP. CAES. NER. TRAJAN. OPTIMO. AVG. GER. DAC. PARTHI. CO. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Imperatori Cæſari Neruæ Traiano, Optimo, Auguſto, Germanico, Dacico, Parthico, Pontifici Maximo, Tribunitia poteſtate Conſuli ſextum, Patri Patriæ.*

In auerſa facie Imperator cernitur habitu militari, dextra haſtæ innitens, ſiniſtra tenens parazonium, cuius acies in altum erecta. Pedibus ipſius aſſidet Armenia, ſub figura feminæ tiara ſeu mitra tectæ, manibus poſt tergum ligatis. Adſunt præterea duo fluuii, vnus a dextra, alter a ſiniſtra, cum hac inſcriptione: ARMENIA ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P. R. REDACTAE. Quibus verbis, veluti æterno monumento, acquiſita per Traianum Armenia atque Meſopotamia ſempiternæ memoriæ conſecratur. Literæ S. C. *Senatus Conſulto*, quæ in area leguntur, gratum Senatus animum ſignant, quem præſenti numo omnibus omnium terrarum populis prodere voluit.

Jus monetas cudendi penes Senatum erat. Auguſtus enim re-
gni prouinciis cum Populo Romano diuiſis, teſte Dione Caſſio, vt oſten-
deret, re vera ſe cum illo diuiſum Imperium tenere, æreos numos cu-
dendi ius Senatui conceſſit, ſibi argenteos aureoſque reſeruauit. Hi ve-
p. 296. ro numi haud alii fuerunt, quam quos hodie *Medallìones*, ſiue antiqua
numiſmata vocamus. Videtur autem Senatus per triplex magnitudi-
nis genus in ære veterem aſſis, ſemiſſis & quadrantis valorem, qualis
pridem in Republica fuerat, conſeruare voluiſſe.

Cum itaque ærei numi aptiſſimi eſſent ad res geſtas formis exprimendas præ aureis & argenteis, iuſſu Imperatorum cudi ſolitis, Senatus Traiani clementiæ atque gloriæ tam vehementer obſtrictus, eidem ius

numo-

numorum æreorum maximi moduli obtulit, vt in illis pro lubitu omnia exprimeret, quæcunque vel in ſago vel in toga præclariſſima geſſiſſet. Sed Imperator propriæ oblitus gloriæ, publici tantum commodi rationem habuit, neque aliter poteſtate hac numos maxime formæ æreos cudendi vſus eſt, quam vt in iis tutelares Romæ Deos ſignaret; atque hoc ipſo oſtenderet, ſe non minus illis amorem populi, quam victorias ſuas in acceptis referre. Maximum hoc æreum genus, ſub Traiano eiuſque ſucceſſoribus receptum, ad cummercia vero & communem vſum ineptius, ſimile eſt numiſmatis hodiernis, quæ in honorem Regum ac Principum cuduntur. Denique quo rarius Traianus ipſe & modeſtius numiſmata eiuſmodi maioris moduli confici curabat, tanto maiori diligentia Senatus in ſuis iuſſit ſculpi quæcunque Imperator laudatiſſima geſſiſſet.

Numus, de quo in præſenti agitur, magnum bello acquiſitum regnum, partamque vaſtam prouinciam vna eademque auerſa parte repræſentat. Priuſquam vero eam explicare aggredior, iuuat in auerſa huius numi facie ſingula conſiderare prænomina, quæ titulis vulgaribus aliorum Cæſarum adiunguntur. Incipit Senatus ab elogio *Optimi*, quod ſoli Traiano conuenit; adeo vt ſolemni vſu Populi Romani obtinuerit, vnicuique poſt eum Auguſto in publicis acclamationibus votum offerre: *Sis melior Traiano.*

Plinius ille Junior refert, Traianum Patris Patriæ titulum, qui iam ad Imperium euectis tribuebatur, recuſaſſe, quoniam eo adhuc indignum ſe exiſtimabat: *at Tu*, inquiens, *nomen Patris Patriæ recuſabas.* p. 297. Sic affirmari queat, Imperatorem hunc non niſi admodum ſero prænomen *Optimi*, quod ad Jouem ſolum ducebat referendum, accepiſſe; quamquam auctor Panegyrici diſſentit; Numi enim nos docent, non prius Traianum quam Conſulatu ſexto illud acceptaſſe, marmoribus idem confirmantibus, & Dione, qui refert, quod titulus *Optimi* præ omnibus ceteris ei fuerit acceptiſſimus, qui ipſi ob acquiſitas quaſcunque regiones hactenus fuiſſent aſſignati.

Cognomine quoque Germanici in præſenti numo Traianus ſalutatur. Cum enim barbaros in Germania deuiciſſet, lauream coronam, reportatæ victoriæ ſignum, Neruæ tranſmiſit, quam ſtatim Imperator

 templo

templo intulit, Traianum vero adoptauit, eumque Cæſarem, Imperatorem, Germanicum vocauit. Hic nouus Cæſar Colonia Agrippina Romam ſtatim ſeſe contulit, & Nerua, ac ſi nihil aliud exſpectaſſet, quam vt a ſucceſſore tam digno Imperii in Deorum numerum adſcriberetur, paucis poſt menſibus e vita exceſſit. Traianus magnifico ſplendidoque eum extulit funere atque inter Deos retulit, cuius conſecrationis memoria in numis hac occaſione percuſſis etiamnum conſeruatur.

Contra Dacos, qui denuo ſub nouo hoc Auguſto Prouincias Romanas inuaſerant, ſtatim excercitus duxit, & Decebalum ipſorum Regem, qui velut alter Hannibal metuebatur, deuictum ad pacem a Senatu per legatos Romæ petendam coëgit. Collegium hoc Ampliſſimum illico Traianum Dacici cognomine inſigniuit, & ob victoriam tam inſignem triumphi honorem ei decreuit.

p. 298. Decebalus initam cum Romanis pacem non diu coluit, ſed auxiliis fœderatorum auctus, iterum arripuit arma. Traianus itaque iterato deuictum ad venenum capiendum adegit, regnumque ipſius in Prouinciam redactum Romanis auxit coloniis, intra minus quam quinque annorum ſpatium duplici hoc celeberrimo Dacico bello confecto. Senatus Populuſque Romanus ſempiternum monumentum harum inſignium expeditionum Imperatoris condiderunt, columnam illam admirandam, cui & barbaros & tempus ipſum in hunc vſque diem peperciſſe conſtat: in cuius baſi marmore Pario inſculptæ leguntur res ſingulares a Romanis in duplici hac expeditione præclare geſtæ.

Traianus, pace ſecundum reſtituta, Romam exornare, & Italiam inſtaurare vnice ſtuduit. Magno cum foret barbaris terrori, magnæ militibus admirationi, voluit ſimiliter eſſe ciuium delicium & amor. Hanc ob cauſam vrbem repleuit templis, palatiis & ædificiis magnificis, quorum inſignium monumentorum aliquam partem nobis conſeruarunt numiſmata, quæ tria ex ſuperbis hiſce templis adhuc exhibent, quorum vnum Joui dicatum adiunctæ binæ porticus ſumtuoſæ illuſtrant. Eadem oculis noſtris ſiſtunt celebre illud ædificium, iuris dicundi gratia Appollodoro Architecto peritiſſimo exſtructum, quod FORVM TRAJANI vocatur. Frontiſpicium innixum erat magnis octo columnis, ex marmore & ſcul-

ptis

ptis imaginibus quam plurimis exornatum. In alio numo exſtat palatium ſingulare, a Traiano conditum, cui nomen a familia ſua BASILICAE VLPIAE indidit. Porticus ſedecim columnis erat ſuffulta, multis ſtatuis ornata, &, vt ita dicam, coronata ornamentis triumphalibus. In medio huius ædificii ærea occurrebat equeſtris ſtatua Imperatoris, amorem pariter ac terrorem inſpirans ſpectantibus.

Edocent præterea nos numi, quæ Traianus extra Romam condiderit. Aquas enim Martias circa viam Valeriam diduxit, & nouo quodam aquæductu aliquam illarum partem in montem Auentinum deriuauit, ex quo in veterem familiæ ipſius domum recurrens abhinc per omnia circumiacentia ſeſe exonerabat. Qua occaſione numus ſignatus eſt cum inſcriptione: AQVA TRAJANA. In alio legitur VIA TRAJANA. Siquidem Traianus illam Viæ Appiæ partem, quæ ex porta Capena Brunduſium ducit, reſtaurauit, atque immenſis ſumtibus reſtituit longum illum aggerem, per paludes Pomptinas procurrentem, quem aſſiduæ eluuiones variorum fluuiorum euerterant. p. 299.

Alii bini ærei maximeformæ numi ſtructuram portuum duorum celebrium nobis repræſentant, quorum vnum in ſinu Hadriatico, alterum in maris mediterranei ora perfici Imperator iuſſit. Primi veſtigia etiamnum Anconæ deprehenduntur, cum arcu adhuc integro, qui inſcriptionem Traiani refert, & portæ inſtar inſeruiebat ad nauale accedentibus. In latere ſupra duas exiguas portas nomina Plotinæ, coniugis ipſius, & Marianæ ſororis eodem modo occurrunt, quo in numis apparent. Alter portus in Palæopoli, quæ olim *Centum cellæ*, hodie itidem exſtat. Hæc ciuitas, teſte Plinio, ſuam Traiano originem debet, eamque Ptolemæus Geographus, quemadmodum numi, PORTVM TRAJANI nominat. Area huius portus in formam Amphitheatri in magno numiſmate æneo, quod etiamnum ſupereſt, delineata cernitur, qualis fuit tempore Rutilii, qui ſub Theodoſio Imp. floruit, eumque in Itinerario ſuo ita deſcripſit:

Montibus æquoreum concluditur Amphitheatrum.

Fama victoriarum Traiani perterruerat barbaros, eoſque iam per ſeptem annos detinuerat, cum Romam perlati ſunt motus Coſrhois Parthorum Regis, qui Armeniam ingreſſus, Exedarum Juniorem, nepotem

Tiri-

p. 300. Tiridatis, cui coronam olim Nero imposuerat, regno pellere instituebat. Armenia subinde ob electionem Regis Parthos inter atque Romanos causa belli exstitit. Illi semper Arsacidem quendam præoptabant; Romani vero contendebant, Regnum hoc a Lucullo atque Pompeio expugnatum, adeoque ditionis suæ, pro lubitu illi cui maxime fauebant, conferri a se posse.

Traianus vt in posterum omnem belli causam tolleret, & fastum Parthorum simul reprimeret, collegit exercitum, & nouas legiones contra eos misit. Cuius rei Cosrhoes simul ac certior factus est, per missos legatos pacem expetiit, qui iam Athenis eum versantem inuenerunt. Sed Imperator recusauit ipsorum munera, responditque se in Syria visurum quid facto opus esset. Cum illuc aduenisset, statim e re sua esse iudicauit Armeniam ingredi, cuius omnes ciuitates se ipsi dederunt. Ibi Parthamasirin, quem in Exedari locum miserat Cosrhoes, ad se admisit in campis Elegis. Hic Rex Traianum cum salutasset, diadema suum ad pedes ipsius proiecit, tacitusque hoc vt redderetur sibi exspectauit. Imperator vero: Regnum hoc Populi Romani esse respondit, seseque velle inposterum ei Præfectum imponere. Quo audito Parthus recessit, Armenii se submiserunt, nihilque armis Traiani victricibus restitit, & omnia absque sanguinis effusione quieta esse cœperunt.

Insignis Imperatoris huius victoriarum celeritas non tempus concessit Senatui, vt pro magno hoc deuicto regno numos eius in honorem cuderent, itaque Mesopotamiam ei adiungere coacti sunt, hoc modo: ARMENIA ET MESOPOTAMIA. Ob hanc Prouinciam cognomen quoque Parthici Imperatori fuit tributum, quoniam in ea Nisibin expugnasset, & Bataneam, vrbes Tigridi vicinas adiacentes, hisceque victoriis de damno illo vindictam sumsisset, quod Romanæ legiones sub
p. 301. Crasso & M. Antonio erant perpessæ. Posthæc Traianus fluuium hunc traiecit, ibique constituit fines Imperii, quos Euphrates antea determinauerat, teste Lucano:

Diduit Euphrates ingenti gurgite mundum;

Ac si hi duo Imperatores vniuersum orbem terrarum tum in potestate habuissent.

Sed vt ad auersam præsentis numi partem reuertar, Armenia sub

ſub feminæ figura repræſentata pedibus Traiani, victoris ſui, aſſidet, tanquam captiua, eius manibus poſt tergum reuinctis, & Tiaram, regiæ ſuæ dignitatis ſignum, capite gerens. Meſopotamia vero per duas fluuiorum imagines Euphratem Tigridemque, qui eam affluunt, in eodem adumbrata eſt. Hi in terra conſident, veluti liberi fœcundæ huius matris; Vtriq; vero vrnæ innituntur, ex qua tanquam ex fonte aqua profluit. Admodum ſenes promittunt barbam; ita enim antiqui in numis ſuis fluuios, qui in mare ſe exonerant, ſolent deſcribere, cum alios referant ſub forma viri iuuenis, alios habitu florentis feminæ: ſub figura viri iuuenis quidem, ſi fuerint nauigabiles, ſub feminæ forma, ſi naues neutiquam ferant. Euphrates vero & Tigris pro fratribus habiti ſunt, quippe qui ex vno eodemque fonte originem ducebant, teſte vel ipſo Boethio:

Tigris & Euphrates vno ſe fonte reſoluunt:

Huic aſſentit Lucanus:

. . . . . *Quos non diuerſis fontibus edit.*

Neque alia ſententia Poëtarum Græcorum Oppiani & Orphei.

Armeniæ & Meſopotamiæ bello acquiſitis & in numo præſenti repræſentatis, res a Traiano apud Parthos geſtas adiungere poſſem; horum enim regnum expugnauit, iiſque Regem impoſuit, quod bini alii numi nos docent, quibus inſcripta ſunt verba: PARTHIA CAPTA, & REX PARTHIS DATVS. Narrat Julianus, Imp. Traianum Alexandri inſtar ad Indos vſque victorias ſuas extendere inſtituiſſe; &, Dione teſte, ipſe Traianus vlterius ſe quam debellator ille magnus arma victricia protuliſſe exiſtimauit. Præterea inſcriptionem apud Gruterum deprehendimus, in qua titulus PROPAGATOR ORBIS TERRARVM ob multiplicatas Prouincias Romanas ei tribuitur; tum alius: LOCVPLETATOR CIVIVM ob benignitatem ſuam in ciues effuſam. Omnia enim, vt numi teſtantur, VIRTVTI ET FELICITATI huius Imperatoris in acceptis retulere. p. 302.

Quantum eſt damnum paſſa Reſp. litteraria, quod non de integra hodie tanti Imperatoris vita conſtat: quod Commentarii ab ipſo tanquam altero Cæſare compoſiti perierunt, & Hiſtorici plus quam decem in eius rebus geſtis fere mutili ſunt, paucis veluti fragmentis e naufragio conſeruatis in Dione & Plinii epiſtolis ac Panegyrico, qui vix tres prio-

res Traiani Imperii annos persequitur. Parui quoque momenti scriptores, qui Historiam Augustam consignarunt, itidem perpauca de eo nobis reliquerunt, ita vt soli numi superent atque inscriptiones, quæ hanc iacturam resarcire possunt. Etenim fatendum est, pretiosa hæc antiquitatis lipsana longe reliquis monumentis præstare, & ex his solis constare Historiam Heroum, & eorum res gestas sempiternæ consecrari memoriæ. Hæc sunt quæ *mori vetant.* In quam sententiam Cassiodorus: *monetam*, inquit, *facis de nostris temporibus futura sæcula commonere, o magna inuenta prudentum!*

Hæc, Illustres Viri, quæ de Traiano iam attuli, si congruant regno pleno triumphis Monarchæ nostri gloriosissimi, numis hoc ipsius
p. 303. debemus, qui per tot sæcula conseruati nos hæc edocent. Quantopere igitur posteros vobis obligaueritis, cum vitam olim Ludouici M. ex numis a vobis illustratam sunt contemplaturi? Nimirum hæc est ratio, qua tot facta insignia, tot heroicæ res gestæ magni huius Principis æternitati commendantur. Ipsemet sane pretium ac diuturnitatem horum monumentorum quam optime perspectam habet, dum numerum Collegii vestri Amplissimi hanc ob causam locupletauit, vt ætati nostræ quasi præsentes reddatis, restituatisque res præclare olim gestas ab antecessoribus ipsius augustissimis. Sed vos, Illustres viri, vos quoque illorum gloriæ estis participes, cum eos obliuioni eripitis, qui absque hac vestra ope forsan olim hominum memoriam prorsus fugissent.



X.

Anonymi Epistola
de singulari
FAVSTINÆ
Numo cum inscriptione
SOVSTI.

E Memoriis Triuult. MDCCIII. Nouemb. p. 326. seqq.

Non

NOn absurde facis, Vir præstantissime, quod ex me scire deside-ras, quid eruditi Parisienses de numo illo iudicent, quem Reuerendus Pater Chamillardus ex itinere suo Bituricum suscepto secum attulit. Ille enim omnia, hoc de argumento ad eum perscripta, mecum communicare, & dissertationes nonnullas hanc in rem elaboratas fidei meæ concredere dignatus est. Itaque nemo fortassis poterit me plenius fideliusque hoc de negotio te instruere. Sed, quod pace tua dicam, male meam sententiam ipsius efflagitas; etenim neque eruditione, nec tempore, necessario ad eiusmodi, quam pro ænigmate habeo, inscriptionem explicandam abundo. p. 327.

Non te latet DIVA*m* FAVSTINA*m* in eo numo Faustinam esse matrem, atque in auersa eius facie Cererem cerni globo insistentem, & facem vtraque manu tenentem, addita, qualis pridem ad te missa est, inscriptione SOVSTI. Quamquam autem numus iste satis integer conseruatus; fateor tamen lubenter, me SCVTI legere, siquidem pro littera O aliquando C mihi fuit visum.

Occasione huius numi quilibet pro ingenio suo explicationem attulit, quibusdam non dubitantibus veteres suas ac præconceptas opiniones sequi; ita quidem, vt nulla interpretatio hactenus possit communior iure appellari vel receptior. Iudicabis itaque ipse, quænam ex iis magis Tibi videatur calculo tuo applausuque digna.

Illustris Abbas de ... sibi persuadet, numum hunc quoad auersam faciem bis esse cusum, quoniam monetarius incautus & errans Cereris figuram alio, quam quidem debebat, modo effinxit. Igitur globum non dubitat esse erasum Cereris caput. S lemmatis initiale e vocabulo *Augusta*, quod antea ibi legebatur, reliquum remansit. A deficit. Cum autem denuo idem cuderetur numus, minime mirandum est, quod typus pristinum locum non accurate tetigerit. Et paucis vt dicam, ex isto casu tota inscriptio est turbata atque haud intelligibilis. At vel sola numi inspectio confestim te conuincet, hoc omne merum esse commentum, neutiquam vero interpretationem numi, quo nullus reperiri potest elegantiore iudicio factus, neque exquisitioris artificii, neque integriore cælatura.

Vir... absque hæsitatione illico AVGVSTA*m* in litteris illis re-

p. 328. perisse se putauit. Vtcunque ipsi obiiceretur, spatium sex tantum admittere litteras, AVGVSTA*m* vero ex septem constare, nihil hoc refert ex eius sententia; nam litteram A monetarius neglexit, & S pro V posuit, I vero ex A, dimidia parte deleta, superest. Non dubitat igitur AVGVSTA*m* esse legendam. Verum eruditis quidem siue curiosioribus antiquitatis ruspatoribus hæc explicatio neutiquam placet, & videtur profecta ab homine, qui, quæ demum diceret, ignoraret.

Vir eruditissimus ... eo vsque penetrauit ingenio, quo vmquam peruenire fas est, de cuius vt tibi constet sententia, notabis, quod capiti paulo ante primum S adiaceat genus quoddam materiæ incendiariæ, quale etiamnum in ignibus artificialibus cernimus, quodque medium areæ tangit. Hunc enim numum in opprobrium Faustinæ cusum reputat, atque sic notas explicat: FVLMEN SACERDOTALI ORDINI, VENENVM SENATVI, TAEDA IMPERIO, contenditq;, fulmen loco F apposuisse monetarium, quo magis in eiusmodi numo signando verum animi sui sensum ille celaret. Eruditissimam eius dissertationem, quam primum videbit lucem, ad te transmitti curabo. Illam sane, & eum cum primis locum, quo causam exponit, ob quam Antoninus Pius tribus tantum primis Imperii sui annis Pontificis dignitatem suscepit, non sine voluptate leges. In hoc siquidem argumento tota reliqua vertitur: quod si enim Faustina Christianorum parti fuerit addicta, atque Antonino eandem persuasit, certissimam est, clarissimi huius viri detectionem omnium esse felicissimum. Sed vix tamen credam, tibi hanc sententiam probari.

C... tibi mihique amicissimus hanc vocem interpretatur: SENATVS OB VOTA SVSCEPTA TEMPORE INFIRMITATIS. Hoc fundamento nixus, quod vota Romæ & sacrificia Cereri fuerunt
p. 329. oblata in valetudine Faustinæ pro eiusdem salute. Sed multa huic sententiæ aduersantur, cum primis verba: TEMPORE INFIRMITATIS, quæ neque latina sunt, neque antiquum in numis inscriptionum genium sapiunt.

Ipsemet Chamillardus hunc numum suum, si O altera sit inscriptionis littera, interpretatur: SACERDOTALIS ORDINIS; si autem C, hac ratione: SACERDOTALIVM COLLEGIORVM VRBIS, SENATVS,

NATVS, TRIBVNI JVSSV. Conſtat tibi, Fauſtinam ante mortem fundamenta iecifſe ſuperbi ædificii, quo pauperes Populi Romani puellas alere conſtituerat, quod conſilium nec mors ipſius irritum fecit, ſiquidem Antoninus illud abſoluit, & inſignibus donauit reditibus. Exſtant enim Fauſtinæ numi cum inſcriptione in auerſa parte: PVELLAE FAVSTINIANAE, qui omnes poſt mortem eius cuſi ſunt, quoniam in aduerſa illorum facie DIVA FAVSTNA legitur. In gratam igitur huius rei memoriam Vrbs Roma, ex Chamillardi ſententia, ſtatuam Fauſtinæ ſub Cereris figura erigi curauit, cum litteris infra ſcriptis: SOVSTI. Hanc Deam, frugum Præſidem, ac quandam veluti nutriciam generis humani optime referebat Fauſtina, quæ eius in exemplum de alimento tot puellis proſpexit. Præterea, vt poſteri cognoſcerent, omnes ordines ciuitatis vnanimi conſenſu hoc gratæ memoriæ documentum conſecraſſe, inſcriptio ſtatuæ eos enumerat, & ſingillatim diſtinguit, atque nos docet, hancce ſtatuam Sacerdotum, hoc eſt, vt hodie loquimur, Cleri, Vrbis, Senatus atque Populi, cui Tribunus præerat, iuſſu poſitam fuiſſe. Denique Senatus, quo hiſtoricum hocce monumentum æternitati mandaret, numum eam in rem ſignari iuſſit, quod litteræ SC. confirmant. Statua igitur totius vrbis conſenſu ei fuit erecta; numus autem, in quo hoc monumentum repræſentatur, ſolo Senatus iuſſu percuſſus, quippe cui poteſtas numos ſignandi vnico erat conceſſa. Fauſtina deniq; globo inſiſtit, quo ipſo innuere voluerunt, Auguſtam hac eximia ſua liberalitate probaſſe ſe eandem Imperio Romano, quam Ceres toti ſe terrarum orbi oſtendit: globus enim in numis ſemper fere Romanum ſignificat Imperium. p. 330.

Nonnullas hoc quidem loco alias eiuſdem numi explicationes addere poſſem; ſed præſtat, ipſas Te legere eruditorum noſtrorum diſſertationes. Horum alii ſuas diatribas publicæ luci exponent, alii manu exaratas lubenter Tecum communicabunt, quas ipſas legere longe eſt iucundius, quam ex illis excerpta vtut fideliſſime & accuratiſſime.

Nec de numo ipſo verbum addo. Qui enim perinde ac Tu in hoc ſtudiorum genere verſatus eſt, haud dubie numum hunc rariſſimis & ſingularibus mecum annumerabit.

XI.

EXPLICATIO
Eiusdem numi
Per
TVRNEMINVM
JESV SOCIVM.

Ex iisdem Memoriis MDCCIII. Nouemb. p. 330. seqq.

NVmus hic vnius forsan exempli in cimelio R.P. Chamillardi Jesu Socii in Collegio Ludouici M. reperitur. In altera parte caput Faustinæ matris cum lemmate: DIVA FAVSTINA cernitur; in auersa vero facie Ceres exstat, qualis in numis pluribus aliis repræsentatur, altera manu facem tenens ardentem, altera papauer, aut potius *Agnum castum* plantam, huic Deæ sacram. Ceres globo insistit, cu-
p. 331. ius ad sinistrum latus titio, siue potius, vt ego existimo, serpens cernitur: sæpius enim ille quidem sub Cereris occurrit imagine, & Agnus castus, quem manu tenet, virtute sua serpentes enecare dicitur. Ab vtraque Deæ parte litteræ SC hoc est *Senatus Consulto* exstant, vt solet obseruari in numis, quos Senatus cudi curauit. In circuitu ad Cereris latus sex litteræ SOVSTI conspectui se sistunt. Quas initiales esse, ne dubitandum quidem censeo. Omnis vero difficultas in eo versatur, vt diuinare liceat vocabula, quorum illa sunt initium.

Inprimis cogitationi sese offert, quod Senatus, aut potius ille, cui Senatus inuentionem huius numi comiserat, litteris hisce causas indicare voluerit, ob quas Faustina sub Cereris imagine adumbretur. Hoc adulationis genus admodum erat solemne populo Romano, pridem nimis elati, iam adeo abiecti & humilis animi, vt Imperatoribus suis at-

que Auguſtis figuras & titulos tribuerent, Diis, quos adorabant, proprios. Sic Fauſtina in numis modo Junonis, modo Veneris, Cererisue habitu repræſentatur, additis huiuſcemodi inſcriptionibus: *Junoni Reginæ, Junoni Lucinæ, Veneri Auguſtæ, Veneri Genetrici, Cereri Auguſtæ.* Neque hic vnicus numus eſt, in quo Ceres Fauſtinam refert, ſed in eo etiam ipſo Auguſtæ cum Dea illa conuenientias notare voluerunt. Niſi fallor coniectura, ſex iſtæ litteræ initiales ſunt totidem verborum, quæ Fauſtinam eſſe ſignificant, vt Cererem olim, orbis ſalutem, ac felicitatem; & quemadmodum Ceres vxor fuit Saturni, Dei illius propitii, cuius ſub auſpicio ſæculum aureum floruit: ſic Fauſtinam coniugio eſſe deuinctam alteri cuidam Saturno, Antonino ſcilicet Pio atque benigno, qui felicitatem aurei ſæculi Romano reſtituit Imperio. Ecce tibi ſex iſtas p. 332.
voces a ſingulis totidem litteris hoc in numo ſculptis incipientes: SALVS ORBIS, VXOR SATVRNI TERRAE IMPERANTIS.

Qui fabularum rationes tantum ex Natali Comite aut Lexico quodam Poëtico addidicerunt, ſtatim exclamabunt, mihique obiicient, Cererem fuiſſe Saturni filiam, non vero vxorem. Sed quid reſponſuri ſunt auctoribus haud exigui numeri, qui contrarium euincunt? Vnus ex his mihi ſufficeret. E multis enim ſententiis fabricator numi illam ſibi deligere potuit, quæ ad Cereris & Fauſtinæ collationem comparationemque quam maxime faceret. Interim non vnus tantum auctor a mea ſtat ſententia. Arnobius *lib. V. contra Gentes* diſertis verbis Cererem eſſe Jouis matrem affirmat. Phurnutus eiuſdem eſt ſententiæ, & Scholiaſtes *in Platonis Cratylum*, veterem Orpheum in fidem huius rei citat. Inſignis ille *Salutis Orbis* titulus ſubinde in inſcriptionibus Cereri tribuitur, perinde vt Iſidi Deæ, cum qua multa Cereri ſunt communia.

Permitte quæſo, Vir amiciſſime, vt vlterius coniecturis meis indulgeam, quam enim propoſiturus ſum, ſaltim non iniucunda tibi videbitur. Non te latent ea, quæ de Cereris amore in Jouem, Neptunum, Jaſonem, Triptolemum, & alios Poëtæ fingunt. Neque te fugiunt, quam late in profectione omnia vaſtauerit, cum Proſerpinam filiam perquireret. Segetes exuſſit & ad inopiam homines redegit. Similiter tibi conſtat, vitam Fauſtinæ parum fuiſſe moderatam, eiuſque prodigalitatem ſuſtineri ſolitam exactionibus prouincias deſolantibus, neq; minorem

norem illis, quam incendium segetum, deuastationem inferentibus. Auctor numi fortassis ingeniose sex eiusmodi initiales litteras sibi delegit, quæ duplici modo Faustinæ cum Cerere conuenientiam æque notare possunt; alteram, quam modo retuli, in honorem Augustæ, alteram in eius
p. 333. opprobrium. Sex enim illæ litteræ has quoque totidem voces referre possunt: SIC OMNIVM VXOR, SIC TERRAS INCENDIT; quæ mores Faustinæ & patientiam Antonini nimis benigni acerbe satis atq; maligne perstringunt. Quod superest, peto a te, Vir amicissime, vt iudicaturus de hac mea coniectura cogitare velis, ænigma me explicandum aggredi ausum diuinando.

XII.

VIRO
EXCELLENTISSIMO
DN. GEORG. WOFFGANG. WEDELIO,
Med. Doct. Consummatissimo, Sereniss. Duc. Sax. Consiliario & Archiatro eminentissimo, Theoretices in Alma Salana P. P. Ord. celeberrimo &c.
MÆCENATI ac PATRONO
suo venerando
M. JO. CHRISTOPH. OLEARIUS *
S. D. P.

VEteris rei nummariæ studium, *VIR EXCELLENTISSIME*, valde iucundum cognituque esse vtilissimum, haud quispiam minus rudis ibit inficias. Illustrant monetæ antiquæ infinita, ad quæ Eru-

* *Hæc Epistola prodiit primum Jenæ apud Joh. Bielkium A. 1696. in 4.*

Eruditi cœcutirent; monent plurima, quæ alias ignorarent; in rebus & ſacris & profanis id prærogatiuæ habent, vt velut teſtes omni exceptione maiores in dilucide explicandis, plenam mereantur fidem, & quidem omnibus hiſtoricis maiorem, fraudis ſcil. & malitiæ omnis cum numi ſint expertes. Quis enim neſcit, quantam diligentiam in illis flandis feriundis adhibuerint apud Romanos Præfecti Monetales, Quæſtores, Triumuiri & alii? Veram animi efficit relaxationem, deſideria mentis faſcinat humanæ, & eſt quaſi ſpirans Hiſtoria, in qua recognoſcimus, quicquid ab omni æuo magnum & illuſtre geſtum, quæ nobis, ſi quid tacent annales, diſerte loquitur, & norma eſt certiſſima, ad quam commentariorum omnium fidem exploramus. Quam egregios ex decenti numiſmatum contemplatione capere queant fructus Theologi, Politici, Medici, Philoſophi, Philologi, imo cuiuslibet ſcientiæ Studioſi, teſtantur ſcripta & loca Clariſſimorum Virorum, quos inter eminent præter *BEBELIVM* (a) *HARDVINVS* (b) *MEDIOBARBVS* (c) *MEIBOMIVS* (d) *PATINVS* (e) *SVARESIVS* (f) *WEISIVS* (g) aliique, & aureum præprimis opus de Vſu & Præſtantia numiſmatum Viri Illuſtris *EZECH. SPANHEMII.* Hac enim in re, teſte *MORELLIO* (h) *PATINO* (i) aliiſque, præſtantius quid de numis non habemus, in ſuis nim. Diſſertationibus tanta elegantia & reconditæ eruditionis copia hocce argumentum pertractatum eſt atque ita excuſſum, vt ſi quis inpoſterum hoc tentare vellet, idem foret, ac ſi poſt Homerum Iliada conſcriberet. Et certe *ſtudium iſtud nobiliſſimum nuſquam habuiſſe oſorem & contemtorem niſi ignorantem*, aſſerit *PATINVS* (k). Hiſce autem deliciis

P. 4.

P. 5.

(a) *in Theſibus Philolog. de re numar. veter. it. in Diſp. Philologicis de Theologia Gentili, ex antiquis numis eruta & antiquitate illuſtrata.* (b) *in numis antiquis Populorum & vrbium illuſtratis.* (c) *in Occon. auct. præfat.* (d) *in Program. de numor. veter. in illuſtranda Impp. Rom. Hiſtoria, Vſu.* (e) *Introduct. ad Hiſtor. Numiſmat. Cap. I. II.* (g) in dem ausführl. Bericht an den Liebhaber der Politiſchen Beredſamkeit / denen zwey Chur-Sächſiſchen Leich-Reden beygefüget, *pag. 16.17.23.26.* (h) *in ſpecim. rei num. antiq. p. 19.* (i) *Impp. Roman. numiſm. ex ære med. & min. formæ, præfat.* (k) *Introd. ad Hiſt. num. Cap. I. p. 3.*

ipſa rerum natura me ſimul impenſe voluit deditum, vt eadem obſtetricante non parum iucunditatis atque vtilitatis exinde me percepiſſe lubens palamque profitear. Sæpius ſtudium iſtud ſum admiratus, nullis limitibus cum ſit circumſcriptum, ſed noua potius indies & nondum agnita ſuppeditet. Nihilominus non arcana ſolum illa & cognita vis, cuius intimas cauſas non facile reddo, ad hanc innoxiam & ingenuam me traxit delectationem (ſicut *LIPSIVS* de re hortenſi loqui amat) (*l*) ſed maior quoque cupiditas atque incrementum delectabile ex multorum numorum inſpectione, tractatione & delineatione mihi acceſſit. Qua in re primario Amantiſſimi mei Parentis ductus & affectus mihi deprædicandus, cuius Muſeum præter alia plura modernæ & priſtinæ Curioſitatis cimelia, inſigni quoque antiquorum numorum congerie eſt adornatum, (teſtantibus id elogiis *GLEICHII* (*m*) *MELLENI* (*n*) *REISKII* (*o*) *SAGIT-*
p. 6. *TARII* (*p*) *TENZELII* (*q*) *TREIBERI* (*r*) aliorumque) quorum contemplatione labores ſacros iam olim diſtinxit ac interpolauit: Ipſe autem non parum excitando me & ſuppeditando per ſubciſiuas horas adiuuit. Conuerſationi quoque, quæ cum aliis huius ſtudii peritioribus mihi volupe fuit, non parum tribuam, eaque præprimis, Jenæ quæ mihi obtigit felicior, multum contulit. Ibi enim, licet BOSIVM ipſa ſuum amiſerit vt virum eruditiſſimum ſic antiquitatum omnis generis perditum amatorem & poſſeſſorem locupletiſſimum, (his enim verbis eum luget *PATINVS*) (*s*) adſunt tamen Viri, qui non amore ſolum veteris numariæ rei tenentur inſatiabili, ſed & magno ambitu hæc & alia ſacræ & profanæ antiquitatis monumenta conquirunt. Ex illis præprimis ſiſtam TE,

EXCELL.

(*l*) *Lib.* II. *cap.* 3. *de Conſtantia &c.* (*m*) in dem Verfertigten Redener *Edit. Lipſ. 1691. p. 281.* (*n*) *in Epiſtol. de Antiq. quibuſd. num. Germ. Edit. Jenæ 1678. p. 2. 3. &c. It. in Hiſtoria Vrnæ ſepulchral. Sarmat. Edit. Jenæ 1679. p. 1. 9. 10. &c.* (*o*) *in program. de Pinacothecis, Cimeliothecis & Societatibus Doctorum, Edit. Guelferbyt. 1685.* (*p*) *in Epiſtola ad Mellen. Hiſtoriæ de Vrna ſepulch. annexa p. 38. It. in Diſſert. de Antiq. Archi Epiſcop. Magdeburg. Edit. Jenæ 1684. p. 53. 108. 112. &c.* (*q*) *in Colloqu. Menſtr. ann. 1691. Menſ. Dec. p. 1042. 1044.* (*r*) *in program. de Chriſto Crucifixo, Arnſtad. 1691.* (*s*) *Introduct. ad Hiſt. num. Cap. XXV. p. m. 222.*

EXCELL. WEDELI, non exclusis SAGITTARIO, SCHVBARTO & SCHMIDIO, Professoribus Academiæ nostræ celeberrimis, quorum fauorem & beneuolentiam erga me quouis tempore insigniorem non possum non impense venerari. Ast, quæ quantaque hoc in studio Tibi, VIR EXCELL., præ cæteris debeam, nunc recitare singula nec locus nec animus est, assentationi enim potius me litasse quam veritati alii forte opinarentur. Indolem tuam singularem, & eximias in omni genere virtutes pluribus abhinc annis suspicere non desii, potissimum, ex quo mihi aditus ad Te patuerit crebior. Cimeliarchium tuum non libris p. 7.
tantum rarioribus cuiuslibet scientiæ, sed & egregiis naturæ artisque miraculis refertum, sæpius perlustrando me summopere delectauit, maxime vero numismatum tuorum copia variorumque eorum delectus accuratius mihi ista inuisenti stuporem atque consensum incussit eximium, & quidem haud absque insigni commodo, edisserendo nim. explicando, notisque haud paucis obseruatu dignissimis adiectis expertus minus peritum peritiorem me fecisti. Et sane non raro meditatus sum benignum istud fatum, vi cuius Medici abhinc plures veteris nomariæ rei sint Studiosi, siquidem magnum eorum numerum, qui deliciis istis innutriti, scriptis quoque ea de re doctissimis inclauerunt, enumerat *ARNOLDVS* (*t*), præclara quorum nomina hæc sunt: Caspar & Thomas Bartholini, Capponius, Chiffletius, Conringius, Cuspinianus, Faber, Guidott, Henischius, Landus, Lazius, Licetus, Nonnius, Occo, Patinus, Piso seu Pois, Quatrocchus, Reinesius, Rhodius, Rœslinus, Sambucus, Sauotius, Seruius, Seuerinus, Sponius, Theophrastus, Vaillant, Wormius. Quibus ex meritis accensere non morabor Aldrouandum, Bonfiliolium, (*u*) Maiorem, Meibomium, Volkhamerum atque TE, WEDELIVM nostrum, qui procul dubio ex his celeberrimis Viris similitudinem duxisti, laudemque ipsorum imitando cupidissime prosequeris. Equidem numos p. 8.
Thesauri tui omnes & singulos magni æstimo, inter quos more solito nonnulli sunt obuii, triti, rari, elegantes, rariores, alii præstantiores, eximiæ raritatis & singularitatis, quos numorum gradus sistit *VAIL-*

P 2 *LANT*

(*t*) *in Epistola, quam Rarioribus Magnæ Græciæ numismatibus à Prospero Parisio editis & Joh. Georg. Volckamero Med. D. curante anno 1683. recusis, præfixit.* (*u*) *cuius meminit Mediobarb. l. c. p. 622.*

LANT (x). Ex hisce tamen cunctis singulari me præ reliquis affecit voluptate Numus iste M. Aurelii Antonini Contourniatus, quem merito eximiæ raritatis & singularitatis dixerim. Huius mentio licet in nupero *tuo scripto* (y) vt & in solenni Oratione Doctorali, egregia ipsius numi tunc addita applicatione, fuerit facta, eundem tamen modo dictum Contourniatum pro viribus pace tua delineatum vberiori illustrabo explicatione.

Primo autem aspectu numus iste ostendit se singularem, materiam dum sistit diuersam. Limbum habet ex diuerso metallo, æreus scilicet numus ora ex aurichalco quasi prætextatus est. Aliter conflatos non vidi Contourniatos, sed Celeberr. *WAGENSEIL.* (z) notauit etiam tales, qui ex aurichalco facti ærea circumuallati sunt extremitate, cuiusmodi numos Christina Sueciæ Regina in Francisci Gothofredi, Nobilis Romani, amplissimo thesauro numario magnis sumtibus sibi vendicato possidere dicitur. Cernimus autem, circulari modo quam apprime metallum exterius (b) circumuallare interius (a), ita quidem vt ’αυτοψία satis superque docente perspicue quilibet iudicare queat, non postlimi-
p. 9. nio (quod nonnullis visum) circumductum, sed primo statim labore artificis istud cum illo fuisse coniunctum, cum pars sculpturæ literarumque & exteriorem & interiorem mediam tangat numi materiam. Eiusmodi autem numus dicitur aliis Contourniatus, aliis Crotoniatus. *Contourniatum* qui appellant, nominis deriuationem sic probant: Circulus, quo talis numus veluti includitur, Italis dicitur Contorno, Gallis Contour; Crotone autem, antiquissima olimque celeberrima Italiæ Vrbs, nihil cum hisce numis habet commune, hinc melius Contourniatus quam Crotoniatus dicatur. vid. *PATINVS* (a). *Crotoniatum* qui malunt, hisce vtuntur argumentis: Italis Medaglioni Crotoniati hæc numismata dicuntur; antiquarios autem Italos, inuentores appellationis, a Gallis voluisse mutuo petere vocem Contour, & ad suum modum eam effor-

(x) *In præfat. Numismat. æreor.* (y) *Program. de Nummis serratis, Mens. Jul. 1692. p. 6.* (z) *in Dissertat. de re Monetali Veter. Romanor. Cap.* IIX. *p. 39.* (a) *in Suetonio notis & numismat. illustrato, p. 304. ibid. p. 468. It. Introduct. ad Histor. Numismat. Cap.* XIIX. *p. 130.*

efformare, vix credibile eſt. Italorum magis placet vox Contorniatus, ſuggerente Sauoto, Itali ſi ita loquerentur; at, quantum ſcimus, Attorniare & Intorniare probati dicunt Scriptores, non autem contorniare. Adeſt quoque haud inelegans obſeruatio, quod nim. Crotoniatus iſte numus græca attice mutata voce poſſit ſic dici. Sic enim, *Nos falli*, pergit laudat. *WAGENSEIL.* l. c. *poſſumus, ſed ſuſpicamur, ſuſpicamur inquam, græcanicam originem redolere vocem Crotoniata, & à Viris literatis primum illos, de quibus agimus, numos,* τὰ ΚΡΟΤΤΩΤΑ νομίσματα *quaſi fimbriata dicta eſſe; ex eo autem poſtea imperitiores effeciſſe Crotoniata,* p. 10.
quod græci vocabuli ſenſum minus haberent perſpectum. Nobis, opinor, quoduis nomen placere poſſe: vocitentur idiomate græco κρόττωτα νομίσματα, Italico Contorniata ſ. Crotoniata, Gallico Contourniata, latino circumuallata, germanico eingefaßte Münzen; modo ſit nomen perſpicuum. Allicientibus nos aliis in noſtro numo victorioſis atque iucundis, bellum mittamus criticum, cuilibet opinionem relinquentes ſuam optimam, præſertim cum varie & hæc & illa vrgeri ac defendi poſſit. Dantur autem Contorniati plures, licet rariſſime, id quod teſtatur *PATINVS*, (*b*) qui ſe vidiſſe, ait, præter Horatii numum egregium l. c. appoſitum, huiuſmodi quoque Homeri, Pythagoræ, Solonis, Socratis, Diogenis, Milonis, Saluſtii, Virgilii, Ouidii, Senecæ, Apollonii Thyanæi, Apuleii, Alexandri M., Deorumque plurimorum atque Impp. Roman. etiam Auguſtarum quarundam; producit & ipſe Neronis typum, *l. c. p. 304.* Recenſet etiam tales Traiani, Antonini, Getæ ex Chriſtinæ Sueciæ Reginæ Numophylacio laudat. *WAGENSEIL. l. c.* Alii alios paſſim ſiſtunt plures. Grauiora autem nunc eſſent inquirenda tam quoad originem quam eorundem vſum ſeu finem. Quo tempore nim. huius generis numiſmata primum cudi fuerit inceptum, adhuc ignotum. *Nondum licuit*, inquit *PATINVS*, (*c*) *eorum originem aſſequi, vtut numi hi elegantes & rari, Romanis tamen cedere neceſſe eſt temporis gratia, typo, inſcriptione, cælandi dexteritate, omnique artificii genere.* Et alibi *IDEM*, p. 11.
(*d*) *Nullam vel Autoris vel temporis notam Contourniati præferunt;* i. e. temporis illius, quo primum conflati, non autem eius, quo in rei cuiuſdam

(*b*) *In Sueton. l. c. p. 468.* (*c*) *Introduct. ad Hiſt. Numiſmat. cap.* XIIX. *p. 131.*
(*d*) *Sueton. l. c. p. 468.*

iuſdam memoriam fuerint cuſi, quod Tribunitiæ poteſtatis additus numerus etiam in noſtro omnino edocet. Sed videtur *CAROL. du FRESNE* (*e*) accuratius voluiſſe indicare, quo ſeculo, &, quod mireris, cuius ſub Imperatoris regimine, primus Contourniatus fuerit editus. Sic enim ſcribit: *Numi ad Virorum illuſtrium, qui prioribus ſeculis vixerant, revocandam memoriam cuſi ab Imperatoribus, alii reuocati, alii contorniati ab antiquariis appellantur, de prioris generis numis non ſermo. poſterioris generis tunc primum occurrunt poſt Conſtantini M. æuum, atque adeo circa Honorii tempora, in quibus primas tenet æreus ille Medallio, in cuius antica parte idem Auguſtus maiori habitu faciei effingitur, cum Inſcriptione HONORIO AVGVSTO; in poſtica expreſſus conſpicitur, vir triumphantis ſpecie cum Inſcriptione EVTYMI NIÇA &c.* Et certe quilibet æquo animo iſthanc reciperet ſententiam, eam ſi quis probaret pluribus, ſolidioribuſque argumentis. Quidni autem cuiuslibet numus etiam dici ac exiſtere poterit coæuus? Nonne peritia antiquorum elegantiores, quales paſſim cum ſtupore viſuntur, numos quoque tales conficere valuit? Ærugo etiam plurium, quos vidimus, haud exiguo longioris æui eſt argumento. Qua
p. 12. de re difficiliori celeberrimi *PATINI* exoptamus operam, ipſe nim. de origine Contourniatorum Coniecturas Eruditorum examini ſubmittere vberiores, omniumque eorum numorum ectypos commentario illuſtratos, Regis Galliæ ſumtibus communicare promiſit (*f*). Et optime hic id præſtare poterit, quippe qui tot millia numiſmatum, ſatiſque notabilem librorum rariſſimorum de re numaria conſcriptorum numerum vidit ac poſſidet, teſtantibus hoc ipſum ſcriptis ſuis elucubratiſſimis. Nec minus obſcurum, numi quem in vſum ſeu finem tales circumuallati fuerint facti. *EGGELINGIVS* (*g*) occaſione explicati numi Antinoi ſuſpicatur, *Contourniatos Gymnaſii quondam ornamenta fuiſſe.* Quam opinionem quidam comprobare non recuſant, exinde aſſenſum confirmantes, quia Conturniati nonnulli etiam perforati alibi exiſterent, quæ foramina forſitan

(*e*) *in Diſſertat. de Inferioris Æui Numiſmat. Gloſſario latin. annexa, n. LXIV. p. 43.* (*f*) *Introduct. ad Hiſt. Numiſmat. p. 131. it. Sueton. illuſtrat. p. 468. it. Numiſmat. Maurocen. Cap. X. conf. laudat. Tenzelius l. c. an. 1691. Menſ. Octobr. p. 883.* (*g*) *in Epiſtola ad Molanum de orbe Stagneo Antinoi.*

forsitan eum in finem fuissent addita, vt eo melius in Gymnasiis seu Palæstris in honorem Gladiatorum illustrium potuissent suspendi. Sed ratio videtur minus sufficiens; non enim Contourniati, sicut ille Antinoi, gladiatoribus fuere consecrati, nec omnes gladiatorum, potius aliorum icones & gesta ostendunt. Cernimus quoque fere omnes minime perforatos, & sane Contourniatorum hanc ob causam perforatorum ac suspensorum alibi nondum legimus mentionem, imo alios quoque videmus numos perforatos casu sic factos, quos in Gymnasiis fuisse expensos, quis dixerit. *PATINVS* sic sentit (*h*) *Dubium non est, quin in eorum honorem sint signati, quos referunt.* *Conf. CAROL. du FRESNE* l. c. p. 13.
Videtur autem, numos hosce rebus præprimis nobilioribus peractis ad singularem eorum memoriam testandamque dignitatem fuisse cusos, omnes enim, quos videre licuit, maioris sunt moduli & præclariora demonstrant. Eiusd. generis & moduli asseruantur non pauci (ex quibus tres mox cum aliis in lucem prodibunt descripti) in stupendo & mole & integritate Numophylacio, quod Illustrissimus Comes Schwartzburgicus ANTONIVS GVNTHERVS è IV. S. R. I. Comit. &c. Dominus meus Clementissimus, Arnstadii possidet. Vbi est, quod mireris, conquisita tot numorum millia Eiusdem vota non implere, sed vti nullam virtutis habet metam, sic numorum antiquorum acquisitioni terminum non statuit. Ast quid literatis vtilius gratiusue continget, quam si tantus aperietur thesaurus publicique fiet iuris, &, quantum fieri poterit, omnes eius numi delineati ac descripti in vnum colligentur corpus, cuius ope rem numariam literatus Orbis addiscere, de numis felicius iudicare, ac ex ipsis totam, vt ita dicam antiquitatem, summo cum fructu & voluptate consulere possit. vid. *BROEMELIVS* (*i*) *RECHENBERG.* (*k*) *TENZELIVS* (*l*) aliique. Nostrum interea elegantissimum nullo artificii genere Romanis aliis cedentem, adeoque indubie genuinum (*m*) Contourniatum vlterius scrutemur, & non solum crassitiem ipsius (c.) (d.) exhibi- p. 14.
tam

(*h*) *Sueton. l. c. p. 468.* (*i*) *in Epist. ad Sagittar. de Archiuo Arnstetensi Schwartzburgico.* (*k*) *in Præfat. scriptoribus aliquot insignioribus rei numariæ veteris Historiæ præfixa. Edit. 1692.* (*l*) *l. c. ann. 1691. Mens. Oct. p. 879. 883.* (*m*) *Sunt verba Excell. possessoris program. cit.*

tam, atque marginem cum punctulis paulo eminentioribus ob elegantiam numo maiorem conciliandam ornatum; ſed latera quoque eiusdem tam aduerſum ſ. anticum, quam auerſum ſiue poſticum, literas, figuguras ac iconem repræſentantia, diſquiremus. *Latus aduerſum ſ. anticum* oſtendit Iconem vel Imaginem viri ſuperiorem, h. e. caput tantum cum collo & pectoralibus, addita epigraphe: M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXIX. Eſt autem IMAGO iſthæc M. Aurelii Imperatoris, de quo mox plura. Aurelii nomen hic quidem non expreſſum, legitur tantum M. Antoninus Aug. Et eſt omnino iam quidem ab Antiquitatum ſtudioſis indagatoribus ſubnotatum, idque haud exiguum ſubſidium in dignoſcendis Antoninis, ſi vultus & barba cuiuſuis bene conſideretur. Nonnunquam enim nullum præter Antonini additum eſt nomen, id quod patet ex *MEDIOBARBO* (*n*): ibi Antoninus Pius, M. Aurelius, Commodus, Caracalla, Heliogabalus eadem nominis Inſcriptione, ANTONINVS AVG. in numis notantur. Illi igitur diſcernendi a ſe invicem vel per numerum Tribunitiæ Poteſtatis vel Conſulatus adſcriptum; præprimis vero peritior obſeruabit, ſicuti in cæteris ſingulis, ita in Antoninianis numis, faciem Imperatoris. *Antoninus* enim *Pius* forma conſpicuus, nobilis vultu, vid. *JVL CAPITOL.* (*o*) *Commodus* eſt vultu inſubido, quo quidem bibones comparere ſolent, additur etiam plerumque Commodus. *Caracalla* vultum habet truculentiorem, *Heliogabalus* plerumque
p. 15. abſque barba & ſola Tribunitiæ poteſtatis & Conſulatus, ſtellulæque nonnunquam adiecta nota (*p*) à reliquis ſecernendus eſt. In Contourniato noſtro *M. Aurelii* Icon ſatis notabilis, ipſe enim conſpicuus barba hiſpida, implexa & plane Philoſophicæ denſitatis, vt alicubi Arnobius loquitur, (*q*) vere prolixam & ſqualidam is pauit barbam, qualem an Carolus M. habuerit, diſceptatur ap. *FREHERVM* (*r*). Romæ M. iſte Aurelius eſt natus Sexto Cal. Mai. (*s*) in monte Cælio in hortis; Parentes

(*n*) *l. c. p. 225. 242. 205. 301. &c.* (*o*) *in Anton. P. vit. cap. 2.* (*p*) *obſeruante Oiſelio Theſaur. Select. Numiſmat. antiqu. p. 25. 29. 32.* (*q*) *Conf. laudat. Oiſel. l. c. p. 23.* (*r*) *de ſtatura Caroli M.* (*s*) *Conf. Jul. Capitol. Vit. M. Anton. It. Imagines Impp. ex Numiſmat. antiqu. fideliſſime delineatas, eorumque vitas conciſe deſcriptas à Jacobo Strada, quas ex eius Theſauro edidit Andr. Geſnerus, Tiguri 1559. fol. reg.*

tes fuere Annius Verus, Augur & Conſul, & Domitia Caluilla; ab Adriano adoptatus tunc primum AVRELIVS cœpit vocari, quod in Aureliam tranſiiſſet. Operam Philoſophiæ vehementer dedit, ſententiamque Platonis habuit ſemper in ore: *Florere ciuitatem, ſi aut Philoſophi imperarent, aut Imperatores philoſopharentur.* Amauit præterea artem pictoriam, pugilatum, luctamina, curſum, aucupatus, luſitque pila, & venatus eſt. Honoribus auctus eſt multis: in Saliorum collegium relatus Sacerdotio & præſul & Vates & Magiſter fuit, nec multo poſt factus eſt Præfectus feriarum latinarum, Quæſtor, Conſul, Cæſar, Seuir, Proconſul &c. L. Ceionii Commodi filia ipſi deſponſata ex Adriani voluntate, poſt Adriani autem exceſſum Pius per vxorem ſuam Marcum ſciſcitatus eſt, & quum diſſolutis ſponſalibus, quæ cum L. Ceion. Comodi filia deſpondere voluerat, impar adhuc ætati eſſet, habita deliberatione cogitare ſe velle dixit. His ita geſtis Fauſtinam Antonini Pii filiam duxit vxorem, & ea ſuſcepta *Tribunitia poteſtate* donatus eſt. Non infeliciter bella geſſit, ex quibus maximum contra Quados fuit, quantum nulla vnquam memoria fuit, magna tum virtute tum felicitate tranſactum, ex quo præter ſpem ſolius DEI beneficio provenit VICtoria AVGuſti, quam victoriam memoria digniſſimam etiam hoc noſtro numiſmate fuiſſe decoratam, infra pluribus oſtendetur. Æger alias toto fere principatus ſui tempore in plurimos incidit morbos, vſus opera Galeni Pergameni, Medici ſuo tempore clariſſimi (*t*). Tandem octauo decimo Imperii ſui anno, ſexageſimo & primo vitæ, diem vltimum peſte grauatus (*u*) clauſit. Tantus illius amor eo die regii funeris claruit, vt nemo illum plangendum cenſuerit, certis omnibus quod à Diis commodatus ad Deos rediiſſet. Quantam vero laudem virtutibus ſuis omnibus, tantam labem ſola Chriſtianorum perſecutione (quam V. numerant) ſibi contraxit. Conſpicimus autem hoc in numo M. Aurelii *caput laurea cinctum corona*, iuxta *ALDROVANDVM* (*x*) propterea ſic dicta, vel quod *cohonoret* geſtantes, vel quod *cordi vna* eſſe debeat i. e. ſemper omnibus expetenda, præmium omnigenarum virtutum, non militum ſolum, ſed & Imperatorum capi-

(*t*) *Ex Galeno lib.* περὶ τοῦ προγινώσκειν *annotante Patino Impp. Roman. numiſmat. fol.* 233. (*u*) *vt putat Salmaſius in notis ad Capitol. h. l. cap.* 27. (*x*) *Dondrolog. lib.* I. *p. m.* 96. *b.*

p. 17. ta ceu illorum ornamenta, tempora redimiuit. Antiqui Coronarum ferunt Auctorem Janum, alii Liberum Patrem siue Bacchum, quia primus habitus est, qui frondibus proprium circumtexerit caput, quem morem nationes integræ Gentium comprobarunt, & viris quoque præclaris ipsas concesserunt, præprimis in Victoriis mos iste inualuit. Principio coronas ex ramis arborum fieri in ludis & sacris mos fuit, postea varia florum mistura componi cœperunt, præter alias materias etiam è lamina ænea tenui inaurata vel argentata &c. Multiiuges hinc manarunt coronæ, inter quas etiam corona erat triumphalis, qua donabantur Imperatores; muralis, quam Imperator dabat illi, qui primus muros subierat; castrensis, qua eum donabant, qui primus in hostium castra introierat; naualis, qua is donari solebat, qui primus in hostium nauem transilierat, & hæ ex auro fiebant, vid. *POLYDOR. VERGIL.* *(y)* Triumphalis ab initio ex lauro; cœpit tamen radiata ex auro Diis olim adhibita, etiam ab Imperatoribus superbis, diuinitatis quadam opinione inflatis vsurpari, in quibus Caligula primus, teste *MASENIO* *(z)* reperitur, cuius in ambitu stellæ tres ac semicirculus lunaris visebatur, vt si totum iam capite orbem homo vanissimus suscepisset cum Atlante ferendum, radii vero ibi duodecim numerabantur à Mensium, quos Sol [qui sicut inter sidera, ita inter homines se eminere illi putabant] decurrit numero. Alii ex Imperatoribus hunc deinde sunt imitati; aliis laurus præ
p. 18. auro in coronis placuit, quod hanc Deorum voluntate Augustus de cœlo acceptam tulisset, vt *PLINIVS* [a] tradit. Accedit, quod Laurus fulmine non tangatur, adeoque vmbram latentibus tutam in tempestate boni ominis arbor præbeat, vnde Cæsar Tiberius cœlo tonante lauro caput vinciebat, teste *SVETONIO* [b] quod fulmine afflari negetur id genus frondis; imo etiam perpetuo virore non marcescat. Triumphis præterea proprie dicata, quam quoque triumphantes gerere solebant apud *DIONEM* [c] *vt quoties triumphans aliquis Coronam gestaret lauream,*

(y) de Inuent. Rer. lib. II. cap. 17. *(z) Specul. Imagin. Veritat. occult. Cap. XXXII. p. m. 419.* [a] *Hist. Nat. Lib. XV. 30.* [b] *in Tib. vita cap. 69.* [c] *Lib. XLIX. Hist. Rom.*

lauream; conf. *ROSINUS* [*d*], *CASALIUS* [*e*]. Nunc *Vestitum* contemplemur elegantem, tantoque Imperatore dignum. Licet alias studiis præprimis Philosophiæ adeo incubuerit, vel etiam habitum Philosophi assumserit [*f*], pallium nempe græcanicum, quo sine tunica cum totius corporis illuuie induebantur more philosophico etiam Principum liberi [notante *CASAUBONO* [*g*] & *SALMASIO l. c.*] dum in eo studio versarentur, vt etiam de Juliano notat *MARCELLINUS*. Toga tamen non minus quam sago clarus, habitu hoc in numo sistitur ex meritis militari, Sagum quem appellitant antiquarii; alii Loricam, vid. Francisc. Mar. *GRAPALDUS* [*h*], alii Thoracem. Meminit quoque *FERRARIUS* [*i*] vestitus cuiusdam, quem loco tunicæ præter sagum antiqui gestassent, fuisse nim. vestem scissam & manuleatam vsque ad pudenda, teste *Strab. l. 4.* de Gallorum habitu; aliis dicitur Cataphracta, vid. *VEGETIUS* [*k*]. Videtur insuper etiam Paludamento fibulato M. Aurelium h. l. esse vestitum. Sed satis de Icone. *Epigraphen* legimus: M ANTONINUS AUG. TR. P. XXIX. i. e. Marcus Antoninus Augustus, Tribunitiæ Potestatis annus vigesimus nonus. *Post excessum Antonini* [inquit *CAPITOL.* l. c. cap. 7.] *mox Antonini ipse M. Aurelius nomen recepit.* *Antoninus* cognomen fuit Arriæ Gentis: Pius Augustorum id primus gessit. Initio quidem vt cognomen, cum adoptatus fuisset à T. Arrio Antonino Avo materno, sed quod prius illi cognomen erat, accedente Pii cognomine factum est nomen: a Pio transiit eadem appellatio ad Marcum, qui non quasi cognomine, sed vt vero nomine dictus est M. Antoninus. In Marco cœpit hæc appellatio velut Symbolum esse Imperii. Posteriores Imperatores ad Maximinum vsq; praenomine hoc vsi tanquam omnibus Augustis debito. conf. *CASAUB.* l. c. *LAMPRIDIUS* [*l*]. AUGUSTUS quoque Imperatoris nomine dictus, quo nomine primum Octauium appellatum fuisse notat *DIO* [*m*]. *SUETONIUS* [*n*] scribit, *Octauius deinde Augusti cognomen assumsit*, *Munitii*

p. 19. p. 20.

[*d*] *Antiquit. Roman. Lib. X. in paralipom. ad Cap.* XII. *p. m. 1039.* [*e*] *de Vrbe & Imp. Rom. P.* II. *cap. 1. fol. 177.* [*f*] *vid. Capitol. l. c. cap. 2.* [*g*] *in notis ad Capitol. h. l.* [*h*] *Lexic. de Part. ad* Cap. X. *p. m. 259.* [*i*] *de re vestiar.* P. II. *Lib.* III. *cap. 9. p. m. 111.* [*k*] *de re militar. lib.* I. *cap. 16. & 20.* [*l*] *passim in Diadumeno cap. 6. 7. Heliog. cap. 1. &c.* [*m*] *l. c. Lib.* LIII. [*n*] *in vita Octau. cap. 7.*

Munatii Planci sententia: cum quibusdam censentibus Romulum appellare oportere, quasi & ipsum conditorem vrbis, praeualuisset vt Augustus potius vocaretur, non tantum nouo, sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu vel ab auium gestu, gustuue, siue etiam Ennius docet scribens:

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Augusta sicuti honore dignissima ac sanctissima dicuntur, ita & Σέβαςον graeci *Augustum* interpretati sunt, quasi venerandum dicas. Nonnulli quidem Imperatores nomen Augusti repudiarunt. *LAMPRIDIVS* [o] Antoninos notauit, Pium & Philosophum Imperatores primos dictos Augustos. *SPARTIANVS* [o] inquit, *Annius & Verus & M. Antoninus duo pariter Augusti primi Rempubl. gubernarunt;* postea caeteri Imperatores Augusti, Candidati Imperii Caesares dicti. conf. *DIO*, [p] *BVLENGERVS* [q]. Haec insuper & alia ipsi M. Aurelio fuere nomina, v. g. *Armeniacus*, *Parthicus &c.* quae propter res prospere gestas ipsi delata sunt. *Philosophus* autem nunquam ipsius verum nomen, quamuis & omnes
p. 21. Libri [vitam M. Aurelii enarrantes] hanc Epigraphen: M. ANTON. PHILOSOPHVS: agnoscant; bene scil. *CASAVBONVS*, *SALMASIVS* ll. cc. aliique eruditissimi Viri aduerterunt, hanc non esse veram ac veterem, sed recentiorum Criticorum inuentum. Omnes antiquae Historiae hoc cognomen ignorant, omnes saxorum inscriptiones; omnes numi qui extant [pergunt *Aa. cc.*] etiam hodie quam plurimi. Non negabit quispiam, sapientissimum Principem iam inde à puero per omnem vitam philosophantem à multis antiquis scriptoribus Philosophum legi appellatum, sed ἐπιθέτως non ἐπωνύμως. Recte quoque sentit *HEMMELARIVS* [r]: *Philosophi titulus illi delatus, quod stoicorum sectam vita & sermone omni serio semper sit professus.* It. *OISELIVS* [s]: *Marcus Aurelius Philosophi habitum assumsit, hinc etiam postea Philosophi Epitheton ipsi vulgo adhaesisse videtur, quod alii pro eius cognomine male accipiunt.* Addi-

[o] *in* Commod. *Vit.* [p] *l. c. Lib.* LIII. *p. m.* 581. [q] *de Imp. Rom. Lib.* I. *c.* XII. *p. m.* 22. 23. [r] *Impp. Rom. Num. aur. Tab.* XXVII. *g. p.* 84. [s] *l. c. p.* 23.

Additur TR. P. XXIX. eo ipſo denotatur Tribunitiæ poteſtatis XXIX.
annus, quam M. Aurelius habuit. Fuit autem *Tribunitia Poteſtas* titu-
lus Imperatorum, quem nemo poſt Auguſtum prætermiſit, quare tam
in numis & ſaxis veteribus frequentiſſimam eius dignitatis haberi men-
tionem omnes ſciunt, vid. *CAPITOL.* [*t*]. Et ſane hæc erat pars maxi-
ma regalis Imperii, vid. VOPISCVS [*u*]. TACITVS [*x*] ſcribit, Au-
guſtus id ſummi faſtigii vocabulum reperit, ne Regis aut Dictatoris no- p. 22.
men aſſumeret,& tamen appellatione aliqua cætera Imperia præemine-
ret. Hinc non confundenda, bene monente OISELLIO [*y*], præro-
gatiua Tribunitiæ poteſtatis & Tribunorum, quod tamen ab eruditis
quibuſdam factum; cum prior omnia alia complectatur Imperia, poſtre-
mi vero,vtut ſacroſancti, infra Conſulum tamen faſtigium cenſerentur.
Effecit vero hæc poteſtas Trib. vt intercedere poſſent iis, quæ ab aliis
contra ipſorum placitum mouebantur, ac eſſent ſacroſancti, ita vt ſi vel
minimo ſermone ſe ab aliis læſos exiſtimarent, indicta eum cauſa, tan-
quam qui ſe piaculo obſtrinxerit, necare poſſent. Gerere quidem
Tribunatum Plebis nefas duxerunt Imperatores, quum vtique ipſi
eſſent Patricii; omnem vero Tribunitiam poteſtatem, quanta vnquam
maxima fuit, accipiebant. Et quia quotannis eam poteſtatem cum
Tribunis Plebis renouabant, annorum Imperii ipſorum hinc ſumma
concipi ſolebat. Conf. *DIO* [*z*], *BVLENGERVS* (*a*). Hanc autem
poteſtatem Tribunitiam M. Aurelius, teſte *CAPITOL.* (*b*) accepit, cum
Fauſtinam Ant. Pii filiam duxiſſet vxorem. Et vtinam,inquit *VAILLANT*,
(*c*) numi omnes Tribunitiam poteſtatem vnius cuiuſque Imperatoris
exhiberent, ſic enim annus iſte, quo numus fuerit cuſus, facili negotio
poſſet euolui, quod alias difficile. Noſtrum exinde Contourniatum eo
ipſo dicimus & demonſtramust, eſtantibus *ONVPHRIO PANVINIO*(*d*) p. 23.
& *MEDIOBARBO* (*e*) A. V. C. 928. A. C. 175. COSS. Calpurnio Pi-
ſone, & M. Saluio Juliano, cuſum. Cuius autem rei memoriam ipſe

[*t*] *in vita Ant.* Pii *cap.* IV. [*u*] *in Vita Taciti Imp. cap.* 1. *ibique* Caſau-*bonus & Salmaſius in notis.* [*x*] *Annal.* III. *cap.* 56. [*y*] *l. c. p.* 9. 10. [*z*] *l. c. Lib.* LIII. *p.* 582. (*a*) *l. c. lib.* I. *c.* XV. *pag.* 26. 27. (*b*) *in Vita M. Aurel. cap.* 6. (*c*) *Numiſmat. ær Impp. &c. fol.* 265. (*d*) Comment. *Lib.* II. *Faſtor. p. m.* 232. (*e*) *l. c. p.* 225.

denotet, mox manifeſtetur. Præter iſtanc Trib. poteſtatem, IMPeratoris quoque & COnSulis nomine M. Aurelius in numo noſtro legitur ornatus. *Latus nim. auerſum ſ. poſticum* has oſtendit literas: IMP. VII. COS. III. Appellatio *IMPERATORIS* [*f*] prænomen fuit, quo primum Julius Cæſar, deinde Filii eius, ac nepotes Senatus Conſulto ſunt affecti. Intelligi autem Imperatoris vocabulo non eum ſolum voluerunt, qui re bene geſta id nominis, vel militari ſtudio, vel Senatus autoritate conſecutus, ſed qui potentiam & autoritatem in Rep. ſummam adeptus eſſet. Quo factum, vt quotquot poſt Octauium ius ſummum in Rep. obtinuerunt, Imperatores appellarentur. Quanquam etiam prior huius Tituli vſus non penitus abolitus, ſed tum in aliis, Principibus fuerit retentus & obſeruatus, cum ſcil. rebus in bellis præclare geſtis, quo Victoriarum numero Imperatores II. III. IV. V. &c. nuncuparentur, quemadmodum de Octauio legimus, quod XX. [i. e. viceſimum] Imperator propter res præclare geſtas, & toties reportatam ex bellis victoriam, fuerit appellatus. Conf. *ROSINVS* [*g*]. Sæpius autem quam ſemel
p. 24. vno de bello non licuit Imperatoris nomen aſſumere, vid. *DIO* [*h*]. Noſter M. Aurelius Imperatoris nomen VII. accepit ex Victoria illa maxima contra Quados A.V.C. 927. N.C. 174. vid. præter *ONVPHR. PANVIN.* [*i*] *MEDIOBARBVS* [*k*]. Hic eundem l. c. deſcribit numum, niſi quod manus Victoriæ inuertat, dum Victoriam dextra tenere clypeum, ſiniſtra palmam, ſcribit, cum tamen in noſtro dextra palmam, ſiniſtra clypeum ſeruet victoria. Cæterum notetur, omnia ex Imperatoris ſententia fuiſſe acta. Quod ne videantur ex potentia potius quam legibus habere Imperatores, omnia quæ in populari forma Reip. multum valuerant Senatu populoque volentibus, ea cum ipſis nominibus in ſe recipiebant, excepta Dictatura, vid. *Dio* [*l*]. *Conſules* enim quoque fiebant ſæpenumero, & quoties extra pomœrium eſſent, Pro-Conſules dicebantur. *Quamquam autem Proconſularis dignitas,* inquit *CASAVBONVS* [*m*] *omnibus Imperatoribus competierit, non omnes tamen æque vſurparunt, in veteribus quidem Inſcriptionibus ſex tantum, niſi fallor, inuenias, qui*

[*f*] *Sueton. in Tib. c. 26.* [*g*] *l. c. Lib.* VII. *12. p. 702.* [*h*] *l. c. lib.* LX. *p. 781.* [*i*] *l. c. p. 232.* [*k*] *l. c. p. 225.* [*l*] *l. c. lib.* LIII. *p. 581.* [*m*] *in not. ad* Capitol. *vit. Ant.* Pii *c. 4.*

qui Pro-Consules nominantur: Seuerum, Caracallam, Macrinum, Heliogabalum, Alexandrum Mammeæ, & Aurelianum. Hi passim in veteribus saxis Pro-Consules vel iterum Pro-Consules vocantur: Cæteri quod meminerim nusquam. Quid igitur fuerit, cur alii Imperatores dici Pro-Consules præclarum duxerint, alii eum Titulum insuper habuerint quasi fastidientes, vt maiestate sua minorem, velim eius rei causam inquirant Studiosi rerum antiquarum & nos doceant. Noster M. Aurelius Consulatum III. suscepit A.V.C. 913. A.C. 161. inque eo Consulatu mortuus est. Ast, pergimus ad reliqua. Figura nim. adest nuda, velamine tantum circa pubem cincta, sedet super spolia varia, habet alas, dextraque palmam, sinistra tenet clypeum, cui inscripta: VIC. AVG. è regione extat Trophæum. Figura illa est *victoria*, quam à Vincendo seu quod victi hostes vincirentur, dictam, Pallantis filiam, Lycaonis neptem, cum Minerua enutritam fuisse & in numerum Deorum ab ipsa relatam, Victoriamque appellatam nonnulli tradunt. Religiose à Romanis hæc fuit culta. Simulacrum eius fuit, vt in antiquis numis & marmoribus passim cernere est, Virgo vultu liberali & blando, capite lauro coronato, manu tenens palmam, humeris alatis, de qua Poëtæ passim. CLAVDIANVS (*n*) p. 25.

---- ---- quam certa fuere
Gaudia, cum toties exsurgens ardua pennis
Ipsa Duci sacras Victoria panderet alas,
Et palma viridi gaudens & amicta trophæis
Custos Imperii Virgo &c. ---- ----

OVIDIVS (*o*): *---- ---- diuque*
Inter vtrumque volat dubiis victoria pennis p. 26.

Conf. ÆL. SPARTIANVS (*p*), DIO (*q*). Verum quid VIC. AVG in clypeo? Eo ipso denotari VICtoriam AVGusti, nullus negabit. Eandem vero hoc ipso numo posteritati monstratam breuibus describere non pigrabimur. Bellum erat stupendum Romanorum cum Quadis, Marcomannis, Vandalis, Sarmatis, Sueuis atque omni pene Germania. In Quadorum vsque fines progressus erat Exercitus. Interclusi denique à Quadis Romani fortiter pugnabant, barbari interea differebant prælium,

(*n*) *Lib.* III. *de laudibus Stiliconis.* (*o*) *Metamorph. Lib.* IIX. *Fab.* 1. (*p*) *in Seuer. vit. cap.* 22. (*q*) *l. c. Lib.* LI. *p.* 526.

lium, certi eos calore & siti perituros, quos circum occupatis locis omnibus ita obsidebant: ad Imperatorem extrema metuentem venit Præfectus Prætorianorum, aiens, nihil esse, quod Christiani, quorum vna legio in castris militet, impetrare precibus non possent. Ab illis petendas supplicationes pro salute sua & totius exercitus. Fit, quod erat necesse. Imploratus à Christianis Deus, statim vniuersas Romanorum copias recreauit copiosissimo imbre, & Barbaros fulmine & tempestatibus prostrauit. Pars eorum confugiebat ad Romanos, pars prælio occidebatur, pauci fuga euasere. Legio exinde fulminatrix dicitur dicta, remque ita gestam Imp. M. Antoninus publice notam fecit, atque exinde
p. 27. Christianos pœnis liberauit, constituto accusatoribus eorum supplicio, accusatis ad honores aditu aperto (*r*). Verum tota res hactenus in vtramque partem agitata fuit. Non solum BARONIVS (*s*) pugnat pro veritate facti, WITSIVS (*t*), sed & ONVPHRIVS PANVIN. ex variis Scriptoribus (*u*) [passim eosdem emendando] varia depromens argumenta, certissima hæc recensere allaborat. Epistolam quoque M. Aurelii hac de victoria accurate conscriptam, & in fine vetustissimi *Codicis Bibliothecæ Vaticanæ* Operum S. Justini Philosophi & Martyris repertam ipse addit, in qua præprimis id notatur: *Eos, qui apud nos Christiani dicuntur, ego* (M. Aurelius) *accersiui ac rogaui, inuenique magnam eorum multitudinem, illosque minus compuli, quod minime decuerat, propter quod postea illorum vim ac potestatem cognoui. hi cum se proiecissent, non solum precati sunt pro me, sed etiampro toto hoc exercitu, vt famis ac sitis qua vrgebamur, remedium aliquod adferatur, quinque enim diebus aquam non sumseramus, quod ea non suppeteret, eramus enim in media Germania montibus vndique conclusi. Simul autem atque sese humi abiecerunt, ac Deum illum precati sunt, quem ego ignorabam, statim e cœlo pluuia delapsa est, in nos quidem frigidissima, in Romanorum vero hostes grando ignis specie ac simi-*
p. 28. *litudine & fulmina: eorumque orationibus ac precibus statim præsto Deus fuit qui neque vinci, neque expugnari potest &c.* Ad hæc autem DANIEL LARRO-

(*r*) *vid. ex Eusebio lib.* V. *Hist. c. 5. Orosio lib.* VII. *cap. 15. &c.* Cluuer. *Epit. Histor. p. m. 254.* (*s*) *Tom.* II. *Annal. ad Ann. Christi 176. p. m. 253. &c.* (*t*) *in Diatrib. de Legione fulminatrice.* (*u*) *l. c. p. 233. &c. ex* Capitolino, *Dione, Eusebio, Tertulliano.*

LARROQVANVS [*x*] reſpondit, duo ſibi l. c. demonſtranda ſumens, (1.) pluuiæ non fuiſſe comites fulmina. (2.) Imbrem, licet is non negetur, non fuiſſe miraculoſum. Nonnulli quoque legionem fulminatricem iam Auguſti æuo fuiſſe ſic dictam, & à veſtitu, milites ſicut alii, ita & hanc à clypeis fulmine inſignitis nomen accepiſſe volunt. Hanc Victoriam Auguſti deſignat quoque additum in numo noſtro *Trophæum.* Hoc autem ἀπὸ τῆς τρωπῆς i. e. conuerſione hoſtis & fuga eorum ISIDORO HISPAL. [*y*] dictum, ex conſuetudine veteri in excelſiſſimo loco, vbi hoſtes deuicti, ad rei memoriam erigebatur. *Conſpicua hoc erat arbos*, inquit ALDROVANDVS [*z*]. *ſuis ramis detruncata, frondes pro coronis conſtruendis Victori nonnunquam ſuppeditabat, ipſaque hoſtium ſpolia propriis artubus adaptata in cuiuſdam permutationis ſpeciem recipiebat.* Alias quoque in locis hoſtium ſaxeas erexerunt Romani turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus trophæa fixerunt. vid. FLORVS [*a*]. Hoc in numo cernimus ſpolia in trunco ramis amputatis ſuſpenſa varia, galeam ſcil. veſtimenta ac arma hoſtium, cuius rei deſcriptionem elegantiſſimam apud VIRGILIVM [*b*]:

Vota Deum primo victor ſoluebat Eoo p. 29.
Ingentem Quercum deciſis vndique ramis
Conſtituit tumulo fulgentiaque induit arma
MEZENTI Ducis exuuias, Tibi magne trophæum
Bellipotens aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca Viri & bis ſex thoraca petitum
Perfoſſumque locis: clypeumque ex ære ſiniſtræ
Subligat atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

[*x*] *in peculiari Diatribe de Legione fulminatrice, quæ acceſſit Aduerſariis Sacris Matth. Larroquani, Patris &c. Edit. Lugdun. Batav.* 1688. [*y*] *Lib. XVIII. Etymolog. cap.* 2. [*z*] *l. c. lib.* 1. *p. m.* 79. *b.* [*a*] *lib. III. c.* 2. [*b*] *Æneid. Lib. XI.*

PANCIROLVS quoque [*c*] ſiſtit æri egregie inciſam Trophæi ſtructuram. Conf. *POLYD. VERGILIVS*, [*d*], *VEGETIVS* [*e*], *ÆLIANVS* [*f*], *CASALIVS* [*g*]. Quid vero magnificentius, quam vbi deuictorum arma de trunco pendent addita Dea Victoria? Neque potuiſſent Romani terrarum Domini, aliud commodius medium æternandæ gloriæ ſuæ, cuius auidiſſimi erant, inuenire his ipſis numis, per quos in omnes terras miſſi ſunt, vt præſentes vbique eſſe ac cerni poſſent, factorumque ſuorum magnitudinem apud ſeram poſteritatem explicare, & apud nos
p. 30. Germanos reportatas de maioribus noſtris victorias poſt plurium ſeculorum decurſus cum Trophæis depictis oſtendere. Hæc autem ſunt, VIR EXCELLENTISSIME, quæ *de numo M. Aurelii An. Contourniato* per literas haſce Tecum communicare volui, & quidem ideo, cum numus iſte Tibi proprius, eiuſdemque æſtimatorem Te non ignorem peritiſſimum. Quod ſupereſt, de Cimelio iſto inſigni impenſe Tibi gratulor, & vt numiſmata tua indies non ſolum augeantur, ſed & antiquarum rerum ſtudioſi egregios exinde capiant fructus, exopto. Ipſe autem hac de re & alia in iſto elegantiori ſtudio ſi quædam obſeruaueris, eadem [ſicuti hactenus ſolitus es] in publicum afferre non dedignaberis. Interea vlteriori patrocinii, beneuolentiæque affectu me amplecti haud deſines, id quod futurum non deſpero, DEVS T. O. M. ſi TE ſoſpitem diuque ſuperſtitem [quod omnes, qui Te norunt, anhelant] ſeruauerit. Vale. Scribebam Jenæ Menſ. Sept.

A. N. C. cIɔ Iɔc
XCII.

[*c*] *Notit. vtriuſque Imp. lib. de Rebus bellicis p. m. 206. b.* [*d*] *l. c. lib. II. cap. XVI. p. 144.* [*e*] *l. c. Lib. I. 20.* [*f*] *de inſtruendis aciebus* [*g*] *l. c. P. II. cap. 1. p. 174.*

XIII.

XIII.

ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

DOMINO

JOH. HEINRICO à TIMÆS,

SERENISSIMI PRINCIPIS COTHENO-ANHALTINI MINISTRO à CONSILIIS INTIMO ET CANCELLARIO &c.

DOMINO AC PATRONO SVO

Omni deuotæ mentis cultu deuenerando

S. P. D.

JO. CHRISTOPH. OLEARIVS, HALLENSIS SAXO. *

p. 3.

QVam iucunda, ILLVSTRIS AC GENEROSISSIME DOMINE, itineris istius mihi sit recordatio, quod mensium aliquot præteriti anni spacio, cum fructu feliciter, per vrbes & oppida absolui varia, mens mea summa adhuc delectatione exinde perfusa, verbis nunquam satis exprimere poterit. Haud enim exigua in primariis studiis, Philosophico pariter ac Theologico meo, ex Bibliothecis mutis atque animatis seu Viris celeberrimis [a] addiscere mihi licuit, & in meos

* *Hæc Epistola prodiit primum Jenæ apud Jo. Bielkium A. 1696. in 4.*

[a] Sicuti Longinus dictus *Eunapio* in Porphyr. p. 12. βιβλιοθήκη τις ἔμψυχος καὶ περιπατοῦν μουσεῖον. i. e. *Bibliotheca animata ac viuum Museum.* Eodem Titulo legitur insignitus Janus Dousa, P. de quo *Acad. Leidens.* d. 2. b.

p. 4. conuertere vſus. Quæ ſeria, ne animum nimis defatigarent intentum, iucundis (b) miſcere, ex ſententia mihi occaſio obtigit crebrior. Bibliothecæ nimirum tam publicæ, quam priuatorum Muſea rebus vt plurimum memorabilibus erant referta, quas inter plurimas varia conſpexi, quæ contemplatione accurata, nec non admiratione ſumma ſunt digniſſima. Verum egregia ac ſplendida Tuarum, VIR ILLVSTRIS, Muſarum ſupellex, ex libris edecumatis rebuſque multifarie mirandis quæ conſtat, in meo præ cæteris adhuc hæret animo; Non ob præſtantiam ſolum earundem, varietatemque ſtupendam: ibi enim noſtræ & exoticarum gentium ſcripta, arma, inſtrumenta muſica, Naturalia, artefacta, Numiſmata varii metalli, moduli, ætatis, ponderis, notæ & æſtimii, vt & Romanorum inprimis Numos, gemmas, annulos, fibulas, claues, huiuſque generis plura cernere licet congeſta: Sed & propter rariſſimam TVAM eruditionem ac exquiſitam (aſt quid mirum, in quem tot animi, ingenii, ac interioris apud tantum Principem gratiæ, bona & ornamenta confluxerunt?) elegantiorum artium cognitionem, qua optime imbutus, cimelia ſingula promte & accurate demonſtrando illuſtrare vales. Maxime autem memoriam harum rerum mihi refricat cimelium iſtud eximium, quod ex ſingulari TVA munificentia abſque vllo merito adeptus poſſideo. Vrnam puto illam antiquiſſimam ſepulchralem, quam non ſingularitas ſolum materiæ, ſed forma quoque, eiuſdemque magnitudo (qualem in ſcriptis & cimeliarchiis mihi nunquam obſeruare licuit) quam maxime commendat. Sicuti autem hæc ipſa, qua nim. occaſione prope Cothenam, cum aliis notatu dignis ſimul in
p. 5. eadem cauerna repertis, fuerit detecta, peculiarem meretur hiſtoriam; Ita eandem, rebus hiſce quamuis me imparem profitear, lubentiſſime (vires & vitam ſi Deus conceſſerit) concinnare, atque vrnam hanc ipſam æri inciſam, nonnulliſque obſeruatiunculis illuſtratam, TVÆ ſubiicere cenſuræ, promitto & ſpondeo. Et certe, hæc licet non ſit aurea illa SEVERI vrna ſepulchralis, de qua *Spartianus* (c) & *Eutropius* (d); eam tamen in noſtris terris repertam, ob laudatam ſimul præſtantiam inſi-

(b) Monente id *Auguſtino* Lib. II. de Muſica: *Sapientis eſt, interdum animum à rebus ſeriis reuocare.* (c) In vita Seueri lib. 4. Hiſt. Rom. Scriptor. Tom. *II.* fol. 325. b. (d) Hiſt. Rom. Lib. IIX.

insitam, magni æstimo, multoque auro, quod vel rustici iactitant corradendo, præstantiorem dico; sicuti præsentem quoque æreum SEVERI numum, ob eximiam suam raritatem & singularitatem mox prædicandam, aureis multis cum optimis rerum harum peritis magis habebis, quem ILLVSTRI TVÆ GENEROSITATI arrhæ loco [sicuti Jenæ aureum rhenanum in aduersis Carolstadio dedit Lutherus] (e) inque promissi describendæ vrnæ laboris certitudinem, submisse offero rarissimum. Rarissimum inquam, non enim alibi, quod ego sciam, numus iste est editus, neque in Cimeliarchiis, quæ passim vidi & legi descripta varia, mihi vnquam occurrit. Ipse Cl. *Vaillant* (f) æreos Seueri numos dum dicit vulgares & obuios, inter suos rariores & rarissimos, quos l. c. sic appellat & describit, nostrum non habet. Ideoque notandum, quod prudenter celeberrimus noster *Morellius*, Antiquarius Arnstadio-Schwartzburgicus (g) asserit: *Nummorum infinitus est numerus, & terra quotidie nouos è gremio suo prodit thesauros, & quod potissimum est, nec vita vnius hominis, nec labor sufficit ad perlustranda cimelia, indeque colligendos numos.* p. 6. Publica ergo laude Illustrissimo Comiti ANTHONIO GVNTHERO, Domino meo clementissimo, gratulari fas est, quod singulari fato hunc ipsum Numum in Cimeliarchio suo possideat genuinum, eumque dignum, qui regio (h) isti Numorum thesauro insertus, tot millibus stipatus asseruetur numis, è quo eundem indultu clementissimo depromere eumque depictum licuit describere publice. Ipsius vero plus satis patefiet præstantia, si vtriusque lateris Inscriptiones & figuræ, notatæ fuerint ac explicatæ. Latus enim aduersum siue anti- T.III.n.7.
cum, laureatum ostentat Seuerum, quem characteres græce adscripti ita declarant: *ΑΥτοκράτωρ Καῖσαρ Λ'ύκιος ΣΕΠτίμιος* ΣΕΥΗΡΟΣ *Πέρτιναξ.* i. e. *IMperator Cæsar Lucius SEPtimius* SEVERVS *Pertinax.* In auerso seu postico, oppido rarum numus exhibet typum, Martem sc. galeatum, dextra hastam, clypeum sinistra, & quod maxime notandum, *Scalas* in

 vlnis

(e) Vid. Tom. *II.* Altenb. fol. 800. *Seckendorff.* Hist. Luth. Lib. *I.* p. 302. a *Beier.* Architect. Jen. p. 333. 334. (f) Tom. *I.* Numism. Impp. Rom. præst. æreor. edit. Paris. *IV.* 1694. p. 111. (g) Specim. Rei Num. edit. 1695. Lips. p. 4. (h) Qualem agnoscit & fatetur laudatus *Morellius* l. c. p. 11.

vlnis gestantem, idemque gradiuus conspicitur & nudus. Cæterum ΒΙΖΥΗΝΩΝ siue *Bizyenorum* hunc esse numum, indicat Inscriptio.

Admodum sane notabilis Seueri nostri cernitur effigies, & in hoc numo verbis respondet *Spartiani:* [i] *Ipse decorus, ipse ingens, promissa barba, cano capite & crispo, vultu reuerendus.* Eandem vero magis confirmat Epigraphe, cuius vox prior ΑΥτοκράτωρ seu Imperator, prænominis instar Cæsarum fuit appellatio, qua Julius Cæsar primo, post reliqui successores Senatus consulto gaudebant, teste *Suetonio*, [k] *Dione* [l] & aliis, eoque titulo summum Imperium in Republ. indicabant.
p. 7. Seuerus autem Juliano capite damnato, appellatus est Imperator, vid. *Herodianus*, [m] *Xiphilinus è Dione* [n] &c. Dicitur porro Καῖσαρ, quæ antea primi tantum fastigii, mox etiam secundi erat appellatio, ita tamen, vt ab vtraque fuerit retenta. Adhibitum nempe, vti Illustris edocet *Spanhemius* [o], hoc discrimen in numis, vt quæ Augusti successoribus ad Vespasiani tempora, cognominis loco cedebat, postea mutata sede prænominis vicem vt plurimum occuparit, ac pro cognomento Augustarum liberis aut apparitoribus, vt eos vocat Ammianus, vulgo sit relicta. Vnde qui ante Imperium *Domitianus Cæsar* vel *Aurelius Cæsar* in Numis vulgo appellantur, eodem adepto, *Cæsar Domitianus*, & *Cæsar Aurelius* præter alios principatus titulos in iisdem designantur. Cæterum de origine huius nominis erudite disserit vir multæ lectionis, *Zach. Goezius* [p], cuius promissos [q] in re numaria labores, optamus continuatos. Lucius & Septimius prænomen erat Seueri, sequens ΣΕΥΗΡΟΣ ipsius cognomen. Seuerus autem ab asperitate morum dictus, & pertinent huc verba *Spartiani* (r): *Damnabantur à Seuero plerique cur iocati essent, alii cur tacuissent, alii cur pleraque figurata dixissent, vt esset Imperator vere nominis sui, vere Pertinax, vere Seuerus.* conf. *Vaillant.* (s) Hæc autem græca nominis huius scriptio est plane singularis,

[i] l. c. p. 324. b. [k] in vita Tiberii cap. 26. [l] Hist. Lib. *II*, 41. p. m. 76. edit. Francof. IIX. 1627. [n] l. c. in vita Juliani p. m. 585. [o] de Præstant. & vsu Numismat. Dissertat. IIX. p. m. 661. [p] Dissertat. de num. *II.* quæ prodiit 1692. p. 8. 9. [q] Differt. de Num. 1689. §. 10. (r) l. c. p. 323. b. (s) De Num. Colon. lat. fol. 71. 112. conf. Herodian. l. c. Lib. *II.* 33. p. m. 66.

gularis, cum alias legatur in numis, apud Scriptores Rei numariæ, per Diphthongum *ου*, ΣΕΟΥΗΡΟΣ, hic vero *υ* pro *ου* more Græcorum vetusto est positum, & idem obseruat *J. A. Schmidius* [t] celeberrimus olim Professor Academiæ Jenensis, iam vero ap. Helmstadienses SS. Theologiæ & Antiquitatum sacr. ordinarius, Patronus rei numariæ mihique optimus. Alibi scribitur per *β* ΣΕΒΗΡΟΣ notante *Golzio*, [u] & loco *η* inseritur *ει*, ΣΕΥΕΙΡΟΣ, apud *Occonem.* [x] Pertinax denique dicitur in numo, de quo cognomine scribit *Orosius:* [y] *Seuerus se ex nomine Imperatoris, quem occisum vltus fuerat, Pertinacem appellari voluit.* Ipse sc. Seuerus eos, qui Pertinacem Imperatorem occiderant, morte multauit, Pertinaci parentauit huiusque mox suscepit cognomen, quod non Illyricis modo, sed Romano etiam populo gratissimum fore suspicabatur, teste *Herodiano.* (z.) Quamuis postea id nomen aboleri voluerit, querimonia amicorum, qua de re *Spartianus* (a.) & *Eutropius* (b.). Laurea Seueri, ornatus quæ Augustorum, fascia cernitur præligata; corona illam magis aurea æstimarunt Imperatores, dum eam à Diis traditam fulmine non tangi, eaque Deos qui violasset, expiare posse opinabantur; hinc non Colonia solum Cæsareæ Augustæ, Imperatori Augusto, in numis solam exhibebat lauream, sed & ipse Tiberius, cœlo tonante, capiti suo imponebat timidus. (c) Adhæc paludamento fibulato Seuerus conspicitur vestitus, quod *Nonio* (*) dicitur chlamys, & *Isidorus* (†) describit, quod sit vestis, *quæ vna parte induitur, neque consuitur,*

p. 8.
p. 9.

[t] Vid. Epist. de Numo Philip. edit. Jenæ 1692. p. 4 [u] Thesaur. Rei antiquar. p. m. 84. 85. edit. Antwerp. 1618. [x] Numism. Impp. Rom. edit. August. Vindel. 1601. IV. p. 363. [y] Lib. VII. cap. XI. (z) l. c. Lib. *II.* 35. 36. 37. (a) l. c. 322. a. (b) l. c. 657. b. (c) De quibus prolixius agit *Plinius* Hist. Nat. lib. XV. 30. *Suetonius* in Tib. vita cap. 69. *Dio* l. c. lib. 49. *Aldrouandus* Dendrolog. lib. *I.* p. m. 96. b. *Sponius* Recherch. Curieus. d'Antiquite Dissert. l. p. m. 9. 10. *Polyd. Vergilius* de Inuent. Rer. lib. II. 17. *Vaillant* de Num. Colon. Lat. fol. 20. *Paschalius* de Coronis Lib. IIX. cap. 1. *Onuphr. Panuinius* de Triumpho Commentar. ibique in notis *Maderus* p. m. 58. 59. aliiq; plures, quos suo loco euoluisse non pœnitebit. (*) De proprietate Sermon. cap. 14. (†) Origin. lib. XIX. c. 14.

tur, ſed fibula infrenatur. Huc etiam apprime ſpectant *Spartiani:* (*d*) *Seuerus tam exiguis veſtibus vſus eſt, vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, & cum hirta chlamyde humeros velaret.* Hic autem Seuerus noſter, poſtquam occiſo Juliano A. C. 193. rerum eſſet potitus, ſextamque in Chriſtianos perſecutionem exercens octodecim Imperii ſui annos in cædibus fere perpetuis belliſque abſumſiſſet, Eboraci deceſſit admodum ſenex, ætatis anno 62. vbi moribundus dixit: *Cuncta fui; conducit nihil;* vrnamque ſuam paulo ante obitum ſic allocutus: *Tu virum capies, quem totus terrarum Orbis non cepit.* (*e*)

Strenuum hunc & felicem bellatorem Bizyeni præprimis ſubditi prædicant Seuerum, dum Martem Gradiuum eumque ſingulariter armatum ipſi fauentem in hoc præſentant numo. Id quod ΒΙΖΥΗΝΩΝ addita innuit Epigraphe. Hi *Bizyeni* incolæ erant Bizyæ antiquiſſimæ Vrbis in Thracia, huiuſque Regum arcis ſplendidiſſimæ, quæ hirundinibus ob Terei nefandum crimen dicitur inuiſa; non quod illic facinus patratum ſit, (in Daulide enim oppido Phocidis contigit) ſed quod ea Terei Patria fuerit, qua de re præter *Thucyd. Stephan. Pauſan.* conf. *Plin.* (*f*) &
p. 10. *Vadianus* (*g*) &c. Sicuti autem ΒΙΖΥΑ *Stephano* dicitur ΒΙΖΕΝ, teſte (*h*) *Calepino*, ΒΥΖΙΑ *Plinio*, (*i*) aliis ΒΙΣΑ, notante *Spanhemio* (*k*); Ita & ipſi Bizyeni varie leguntur. Multæ enim literæ ob ſoni vicinitatem, aut ex veteri conſuetudine, vel loci dialecto promiſcue vſurpantur, vnde duplex (*l*) nonnunquam in numis cernitur ſcriptura. In noſtro legimus ΒΙΖΥΗΝΩΝ, in aliis ΒΥΖΥΗΝΩΝ; Accedit Διττογραφία plurimarum Vrbium, inter quas Bizyam quoque inuenies; in Numis enim Hadriani & noſtro Seueriano ΒΙΖΥΗΝΩΝ, in aliis autem Philippi ΒΙΣΣΗΝΩΝ & ΒΥΖΥΗΝΩΝ inſcribitur. Bizyam porro nouimus Vrbem Thraciæ Prouinciæ Cæſareæ, vtpote quæ ex earum numero, quam poſt Prouinciarum diuiſionem ab Auguſto inſtitutam, in Prouinciæ formam legimus redactam, & quidem ſub Veſpaſiano, vt *Tranquillus* obſeruat, id quod in ſpecie

(*d*) l. c. fol. 324. c. (*e*) Conf. *Xiphil. è Dione; Herodianus, Spartianus, Eutropius* ll. cc. in vita Seueri. (*f*) l. c. Lib. IV. c. 11. lib. X. 24. (*g*) in Notis ad Pomp. Melam. edit. Baſil. 1522. fol. 103. (*h*) Lexic. h. v. ibique cc. Aa. (*i*) l. c. Lib. IV. 11. (*k*) l. c. Diſſert. IX. p. m. 907. 909. (*l*) quod obſeruat *Jll. Spanhemius* l. c. Diſſert. IX. p. 907. 908. 909.

cie de Thracia, quod sc. Cæsari accesserit non populo, firmant lapides antiqui ap. Jll. *Spanhemium* (*m*): qua de re omnino conf. *Onuphr. Panuinius* (*n*). Bizya itaque Vrbs Cæsarea Seuerum quoque Cæsarem (id quod & alii Thraciæ incolæ fecerunt, in numis *Patini*, (*o*) imo ipsi Bizyeni, aliis temporibus cudi curarunt numos etiam in honorem Hadriani, M. Aurelii, Faustinæ Jun. Philippi Patris, quos è Cimelio regio *Harduinus* (*p*) notauit,) suum agnoscit, dicit, eiusque negotia bellica (quæ egregie extant in Arcu Seueri à *Suaresio* (*q*) illustrato) nec non expugnationem cuiusdam Vrbis notabilem hoc numo indigitare conatur. p. 11. Memoriæ enim sempiternæ tradere voluere Bizyeni, Byzantium Thraciæ vrbem maximam felicissimamque, viribusque & opibus (*r*) ea tempestate florentem, per triennium à SEVERO obsessam, A. C. 196. fauente Marte fuisse expugnatam. Et scalæ additæ muros ipsius Vrbis validos atque ingentes feliciter exuperatos indicant atque euersos. De quibus *Herodianus*, (*s*) *Ruinas*, ait, *ipsas reliquiasque cum videris, mireris vtique vel eorum artificium, qui primi extruxerunt, vel horum vires, qui deinceps sunt demoliti.* Hos adhuc integros vidit *Dio*, (*t*) [qui æuo Seueri floruit, eoque maior ei fides adhibenda est] eosque laudat sequentibus: *Habebat Byzantium mœnia munitissima, quorum dorsum exterius extructum erat magnis & quadratis lapidibus, tabulis inter se ex ære coniunctis, interius aggeribus ædificiisque ita fuerunt munita, vt tantum vnus murus firmissimus esse videretur, super quem ambulari poterat, ego quidem mœnia ita diruta spectaui, vt si ea Barbari cepissent, non Romani: Videramque ea, cum adhuc starent, eorumque sonitum, quem edunt, audiueram. In his septem turres à portis Thraciis ædificatæ spectabant ad mare; quarum reliquæ quidem per se vocales non sunt; Quodsi autem quis in prima turri vocem emisisset, aut lapidem in eam coniecisset, tale erat in ea artificium ac machina, vt is statim sonus ad secundam, indeque ad tertiam &*

S *omnes*

(*m*) l. c. Differt. VI. p. 561. (*n*) Descript. Imp. Rom. Lib. III. p. m. 368. 406. 416. edit. Francf. 197. (*o*) Impp. Rom. Numism. Ær. fol. 282. (*p*) De Numis Popul. & Vrb. p. m. 93. (*q*) Prodiit hoc scriptum Romæ, Typis Barberinis 1676. cum additis Tabulis æreis. (*r*) his verbis eam laudat Herodian. l. c. Lib. III. 2. p. m. 87. (*s*) l. c. p. 87. (*t*) vid. *Xiphil.* è *Dione* p. m. 588. 590.

omnes deinceps interceptus perferretur. Byzantio itaque singulariter ita munito à militibus Seueri capto, tantam lætitiam percepit ipse SEVE-
p. 12. RVS [tum erat in Mesopotamia] vt dixerit: *Tandem Byzantium cepimus.* Vrbem ipsam postea omnemque regionem, quæ sub illius potestate erant, Perinthiis concessit, qui ea vsi sunt vt vico, & à nullo genere iniuriæ temperarunt. Quæ tamen Byzantiis non adeo dura visa, quam quod mœnia vrbis euerterentur decantatissima. Bizyeni itaque, Thraciæ incolæ æque ac Byzantini, singulare istud negotium bellicum felicissime peractum, Marti suo [quem apud Thraces natum (u) primario colebant, teste *Euripide,* qui Thraciam Martis domicilium appellat & Strimonium Martem ipsum ab amne eius terræ] tribuentes, simulacrum ipsius in numo hoc posuerunt, qui pectore nudo ideo cernitur, quia in prælium ingressurus eo animo esse debeat, vt aduerso pectore fortiter se omnibus periculis opponat, vel, vt *Isidorus* (x) dicit: *vt bello se quisq; sine formidine cordis obiiciat.* Hasta & clypeus potissima belli denotant instrumenta, vbi notentur (y) *Seruii* verba: *Quod is, qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressurus, primo Ancilia commouebat, post hastam simulacri ipsius, dicens, Mars vigila!* Et *Statius,* (z) *arma Martis* dicit, *sunt galea, quæ ardere, ac fulmen ei coni loco affixum esse videbatur -- clypeus luce sanguinea fulgens* &c. Conspicitur porro festinanter procedens, ideoque *Gradiuus* appellari solet, nec male explicat *Isidorus* l. c. *Mars autem apud Græcos Gradiuus dicitur eo, quod in bello gra-*
p. 13. *dum inferant, qui pugnant, aut quod impigre gradiantur.* Addatur *Festus* (a): *Gradiuus Mars à gradiendo dictus in bella vltro citroque:* & denotat h. l. felicissimos Seueri progressus bellicos, in præliis & obsidionibus t. t. quos habebat. At, hæc vulgaris & obuia est Martis Imago, quam fusius

(u) Conf. *Herodot.* l. IV. qui Martem Thracum nominat pulchrum. Nam vnice aliquando ab ipsis cultus est adeo, vt cum intonuit aut fulgurauit, sagittis in cœlum missis Joui minitati sint, cum nulli alii div. honores, nisi Marti suo tribui vellent. vid. *Mela* Descrip. Thraciæ ibique in notis *Vadianus* p. m. 100. (x) Origin. Lib. VIII. cap. XI. (y) ad Æneid. conf. *Bebel.* Differt. II. de Theol: Gentil. E. i. a. (z) Lib. VII. Thebaid. (a) De verborum signifcat. h. v.

ſius notauit *Voſſius*, (*b*) *Chartarius*, (*c*) *Muſeum Ludov. Moſcardi* (*d*) & *alii*. Noſtrum plane ſingularem reddunt *Scalæ*, quas in vlnis portat. Earundem inuentorem Capaneum, figuram variam vſumque creberrimum memorat *Ouidius*, (*e*) *Vegetius*, (*f*) *Lipſius*, (*g*) *aliique* huic Aa. cc. Et licet hæ ligneæ fuerint fere omnes, *Maiolus* [*h*] tamen laudat au-
« reas & argenteas his verbis: *Sultanus Babylonicus, cum aduerſus Tar-*
« *taros, Gregorio IX. Pontifice, totis collectis viribus leui ex cauſa irrum-*
« *peret, deuictus ab iis eſt ob ſummam ſocordiam, nil metuens, hoſtem conte-*
« *mnens, profligatoq; innumerabili excercitu, præda omnis ad victorem Tar-*
« *tarum ceſſit. Collegimus autem innumerabiles eius copias ab ipſa præda:*
« *comperta enim fuere quadraginta millia curruum loricis & armis onuſto-*
« *rum, & quadraginta haſtarum millia, quarum cuſpides auro, non ferro pro-*
« *minebant, vt faſtus ſemper apud huiuſmodi barbaras gentes virtute ma-*
« *ior extiterit. Fuerant in eodem exercitu* Scalæ prorſus aureæ & argenteæ, *vt refert ex eius autoribus S. Antoninus p. 3. tit. 19. c. 8. §. 15.* Cum autem in aliis numis ſimulacrum Martis plerumque gaudeat titulo ſ. Inſcriptione, eique præſertim, quod Martem nudum, galea, haſta clypeoque armatum oſtendit gradiuum, ſequentes ſint additæ, *Mars Vltor*; [*i*] *Marti Propugnatori*, [*k*] *Marti Patri Propugnatori*, [*l*] *Marti Conſeruatori* [*m*]; Ita Mars noſter Seuerianus ob ſcalas nouam & aliam meretur appellationem, & non inepte *Mars Expugnator* dici poterit, dum Vrbem & muros deſignat expugnatos. p. 14.

Cæterum ex his apparet, VIR GENEROSISSIME, quanti nu-

 mus

(*b*) De Orig. ac progreſſu Jdololatr. Lib. II. 34. &c. (*c*) de Imagin. Deorum, edit. Lugd. p. m. 265. ſeqq. (*d*) Lib. I. cap. 19. pag. 36. 37. (*e*) Lib. IV. Triſt. Eleg. 3. (*f*) de re militari Lib. IV. cap. 21. p. m. 32. a. (*g*) Poliorcet. Lib. I. Dialog. VI. [*h*] Dier. Canicul. fol. m. 294. b. edit. Francof. 1642. [*i*] vid. *Occonis* l. c. aureus Sev. Alexandri. conf. *Guil. du Choul* edit. Veſal. 1672. IV. p. 205. [*k*] qualem ap. *Cl. Begerum* in Theſ. Palat. fol. 337. *Vaill.* Num. Impp. Tom. II. p. 344. &c. [*l*] qui extat in numo Conſtant. M. æreo. ap. *Occon.* l. c. *Oiſel.* in Comment. ad Num. ſelect. Tab. 39. n. 12. *Car. du Freſne* Tab. IV. Hiſt. *Byzant.* [*m*] vid. Gal. Maximini numos ær. ap. *Mediobarb.* in Occone aucto.

mus iſte ſit habendus, qui ſcalis ſuis Martialibus nunquam alibi viſis, gradum dignitatis conſequi ſummum, imo per hoſce gradus ad ſummum æſtimii faſtigium peruenire poſſe videtur. Neque tamen laus ſua huius numi contemplationi ac decus abunde conſtaret, niſi ex ea mirifica non ſolum oblectatio, ſed & *vtilitas* ſimul emergeret. Illi itaque, qui imperite nobiliſſimo rei numariæ ſtudio CVI BONO? oggarriunt, ſciant, ex noſtro etiam Seueriano (teſte *Cupero* [n]) ipſos *Principes* fructus capere poſſe peculiares. Sicuti enim Q. Fabio Maximo & P. Scipioni, maiorum imaginibus viſis, animi vehementiſſime accendebantur ad virtutem, menteſque ſuas, præclariſſima Romanæ Reip. lumina, cogitatione tam excellentium hominum conformabant: vt C. Julio Cæſari Gadibus Herculeis Alexandri ſtatua ſtimulos ſubiecit: vt Themiſtoclem quieſcere
p. 15. non ſinebant tropæa Miltiadis; ita nullus dubito, quin tam in genere ſpectatis tot optimorum Imperatorum, Regum, Principum, aliorumque vultibus, quam in ſpecie noſtri SEVERI glorioſiſſimi, flamma gloriæ in pectore ipſorum creſcat, eiuſque virtutes Principe dignas imitari famamque optimam exinde conſequi conentur. Et hinc factum, vt Principes & Magnates in exoticis & Germaniæ præprimis locis egregia ſibi comparauerint Numophylacia, quorum multa recenſet *Patinus*. [o] Etiam *Theologi* ſpartam inde ſuam exornare poterunt, dum abominandum Martis ſimulacrum eiuſque cultum à Bizyenis præſertim exhibitum ſingularem obſeruant, & pro Dei veri religione cultuque vero reuelato ſaluifico gratias agunt ſempiternas, ſuperſtitioſam quoque Lauri opem explodunt, cum fulgura ipſam non curent, ſed ſola arbor Crucifixi placare queat Numen iratum. Addiſcunt *Politici* Cæſarum veſtitum, ornatum & titulos, ſubditorum reuerentiam & affectum erga Principem, Vrbium priuilegia numos cudendi cognoſcunt antiqua. Metallum Bizyenorum ſingulare & exoticum ſcrutantur *Phyſici*, ex quo ſc. numus iſte conflatus, huiuſque æruginem explicant cauſis. *Hiſtoricus* res notat in numo ſignatas, eumque teſtimonii loco firmiſſimi adducit in Hiſtoria Seueri ac Bizyenorum illuſtranda. Bizyam Vrbem anti-

[n] in Diſſert. de vtilitate, quam Principes ex Numiſmatibus capere poſſunt, quæ acceſſit Eiuſdem Apotheoſi Homeri edit. Amſtelod. 1683. p. m. 307. 308. [o] Hiſt. Numiſmat. cap. XXV.

antiquam, eiusque incolas Seueri adhuc ætate fuisse superstites, intelligit *Geographus*. Conspiciunt *milites* veterum armaturam eorumque instrumenta bellica, scalas nimirum, galeam, clypeum, hastam, & paludamentum; nostri quoque Seueri fortitudinem bellicam æmulari eo ipso iubentur. *Grammaticus* & *Criticus* literarum aduertit ductum vetustissimum, vbi Λ pro Α. [p] Ε pro Ξ, ω pro Ω [q] apparet; Vocum p. 16.
abbreuiaturam, ΑΥ. i.e. ΑΥτοκράτωρ, Κ. i.e. Καῖσαρ, Λ. i.e. Λουκιος, ΣΕΠ. i.e. ΣΕΠτίμιος, Π. i.e. Πέρτιναξ. Elisionem, Υ pro ΟΥ; Scriptionis varietatem ΒΙΖΥΗΝΩΝ, ΒΥΖΥΗΝΩΝ, ΒΙΣΣΗΝΩΝ, it. ΣΕΥΗΡΟΞ, ΣΕΒΗΡΟΣ, ΣΕΒΕΙΡΟΞ, &c. de quibus supra. Scalarum antiquitatem, differentiam, figuram & vsum percipit *Architectus*. Numi delineationem & scalpturam *monetarius* imitatur artificiosam, atque errorem literæ Z peruersæ emendat in suis. Rei numariæ qui studet, hæc singula contemplatur, numique modulum, æstimium notat & criteria genuini, ipsum asseruat & declarat notabilem. Et quæ huius generis aliæ aliorum sunt obseruationes plures, quas recensere ac illustrare singulas, impræsentiarum nostri non est. Sufficiat Seueriani nostri demonstrata quodammodum vtilitas, quæ cum summa delectatione est coniuncta. At quantum ex tot millibus antiquorum ectypis innotescit scrutanti! Qua de re alibi. Hæc interea sunt, VIR GENEROSISSIME, quibus æreum hunc Seueri Numum explanare volui rarissimum, volui inquam, non ignorans, voluntatem quoque, cum desint vires, esse laudandam; imo sæpiuscule mihi venit in mentem peculiare *Familiæ* TIMÆANÆ *Symbolum*: BENE NITI IN ALTVM VIRTVTIS EST: PERVENIRE FELICITATIS.

Dabam Arnstadii, Cal. Octobr. Anno Æræ Christianæ
CIↃ IↃC XCV.

[p] vid. *Eduardi Bernardi* Tabula, Oxon. edit. 1689. qui talem literæ Λ & Ε figuram dicit A. C. N. 500. annis in vsu fuisse. [q] quæ literæ ω signatura non in numis solum quibusdam Philippi, Antoninorum & Augusti, teste *Spanhem*. l. c. Dissert. II. p. m. 55. sed & iam ante Christum natum tempore Alexandri M. inuenitur ap. *Bernard*. l. c.

XIV.

Cl. MEDIOBARBI EPISTOLA ad Abbatem B** De numo SEVERI GRÆCO.

E Memor. Triuult. MDCCV. Januar. p. 29. seq.

LÆtor, quod obſeruationes meæ tua approbatione quodammodo dignæ cenſeantur, aut ſaltim voluptatis nonnihil Tibi afferant. Ne enim hac de re dubitem, facit, cum a me deſideras, vt alia
p. 30. mea in examinandis numis obſeruata quam primo tecum communicem. Minime quidem nunc poſſum, quantum vellem ex omni parte tibi ſatis facere. Quamuis enim infinita fere ſint, quæ examini tuo cupiam ſubiicere, pars tamen illorum maxima adhuc confuſa eſt, nec ſatis digeſta. Atque verbo vt dicam, non ſunt in præſenti mihi ad manus. Nihilominus, vt tuæ curioſitati annuam, & ſimul debito tibi officio quodam modo defungar, ecce tibi ſententiam meam de græco quodam numiſmate. Aureus iſte eſt ex minimo modulo Sept. Seueri, atque in Cimeliarchio Illuſtriſſimæ Comitis de ** aſſeruatur, quod exceptis Regum Principumque gazophylaciis omnium ditiſſimum & erudito apparatu inſtructiſſimum vno ore cenſent eruditi & curioſi. In prima facie hæc exſtat inſcriptio: ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ϹΕΠΤ. ϹΕΟΥΗΡΟϹ. ϹΕΒ. *Imperator Cæſar Septimius Seuerus Auguſtus.* Altera facies Æſculapium ſiſtit ſtantem & innitentem baculo, quem ſerpens ambit, adſcriptis in circuitu litteris: ΑΚΡΑϹΙΩΤΩΝ. *Acraſiotarum.* Reu. Pat. Harduinus ſimilis numi Imp. Elagabali meminit, qui in eo a præſenti differt, vt ΑΚΡΑϹΙΟ-

ΤΩΝ

TωN ibi cum O, non ω, ſcriptum cernatur. Non Te fugit, Vir Clariſſime, hanc variationem in antiquis monumentis eſſe frequentiſſimam. Cuius rei exempla e ſolis Antonini numis quam plurima hic adducere poſſem.

Hic autem numus explicatu difficillimus fuit triumuiris antiquitatis inſigniter peritis, Spanhemio, Triſtano, atque Patino.

Illuſtris Spanhemius nona diſſertatione *de vſu & præſtantia numiſmatum* contendit, a ſolo Triſtano numum Acraſiotarum memoratum fuiſſe. At Cl. Valens varios eiuſdem populi numos in Seuero, Plautilla, Geta, Julia Paula & Alex. Seuero vulgauit, & Comes Medio- p. 31.
barbus, parens meus, locuples teſtis eſt, eiuſmodi numum etiam in Elagabalo reperiri.

Parum abeſt, quin ſibi perſuadeat Illuſtris Spanhemius p. 889. NAKPACIΩTΩN hic eſſe legendum pro AKPACIΩTΩN. Ita vt numus iſte Nacraſo, vrbi ex Ptolemæi ſententia Lydiæ, adſcribi debeat. Huic coniecturæ fauere videtur, quod, vt Harduinus refert p. 338. in gaza regia Traiani, M. Aurelii atque Fauſtinæ numiſmata inueniuntur, cum inſcriptione NAKPACIΩTΩN vel NAKPACEΩN. Sed nihil ſolidi huic ineſt argumento. Si enim modo conſulas Cl. Valentem, in ipſo Seuero numi occurrunt & AKPACIΩTωN & NAKPACEΩN populorum ſatis diuerſorum. Primum in Reginæ Sueciæ, alterum in Lazaræ Comitis cimeliarchio extare idem affirmat.

Fateor vix me poſſem concipere, quare Illuſtris Spanhemius tam acriter defendere conetur, nullum auctorem Acraſiotarum meminiſſe. Non potuit virum in litteris verſatiſſimum latere, quod in notitia vrbium Epiſcopalium æque ac in alia huic ſimili notitia mentio fiat Epiſcopi Acraſi in Lydia; quodque Concilio VII. œcumenico Conſtantius quidam Acraſi Epiſcopatum geſſerit.

R. P. Labbeus Tomo VII. Conciliorum fidem facit, licet in editione latina error irrepſerit, ὁ Ακρασȣ̃ *Epiſcopus Acraſi*: quod in notitia Imperii Orientis p. 891. Οκρασος ſit vrbs Lydiæ Prouinciæ; & ni fallor, ἄκρασος eadem eſt quæ Ἄκρασος, littera per ſolam librariorum incuriam permutata.

Non opus eſt pluribus argumentis ad oſtendendum, quod vrbs quæ-

quædam hoc nomine exſtiterit. R. P. Carolus de Sto Paulo vlterius e-
p. 32. tiam progreditur. Ex eius enim ſententia duæ fuerunt Acraſi, in Ly-
dia vna, altera in Lycia. Quod probatur, inquit, ex inſcriptionibus
Concilii Chalcedonenſis, in quibus duo occurrunt Patricii Epiſcopi. Pri-
mus Epiſcopus Acraſi in Lydia, alter in Lycia Epiſcopus. At non vno
in loco hic auctor errat. Primo AKPACCEΩN vocabulum cum duplici SS
ſcribit, quod in notitiis atque numis conſtanter per ſimplex S exprimi-
tur. Secundo. Quomodo ex ſubſcriptione huius concilii colligere po-
tuit, Patricium quendam fuiſſe Epiſcopum Acraſi in Lycia. Equidem in
tertia ſeſſione huius Concilii reperio Epiſcopum Acraſi in Lycia, qui no-
men ſuum ſubſcribit; ſed iſte Nicolaus vocabatur non Patricius. Præ-
terquam enim, quod Labbeus hoc nomen ei tribuit, actio quoq; Concilii,
quæ hanc tertiam vel præcedit vel ſequitur, hac de re dubitare nos non ſi-
nit. Prima ſane concilii actione dicitur Nicolaus Epiſcopus Ἀκρασέων in
ea locum tenuiſſe Stephani Epiſcopi Limyrenſis, quoniam ex eadem ille
erat prouincia. Cum itaque Limyra haud dubie vrbs ſit Lyciæ, ſequi-
tur Acraſum quoque, cuius Epiſcopatum Nicolaus tenebat, vrbem e-
iuſdem Lyciæ fuiſſe. Secunda ſeſſione Nicolaus iterum Epiſcopus A-
craſiotarum appellatur. Et ſexta denique idem ille pro Stephano Limy-
renſium Epiſcopo, qui tum temporis ægrotabat, ſubſcripſit, quum iam
tum Patricius, Acraſi in Lydia Epiſcopus, ſuo loco, octauo ſcilicet eiuſ-
dem ſeſſionis ſignaſſet. Quamquam vero hæ hallucinationes ſint non-
nullius momenti, ſubſcriptiones tamen Concilii Chalcedonenſis certiſſi-
me nos docent, duas olim vrbes diuerſas Acraſi nomine claras extitiſſe.

Ingenue fateor, me prolixiorem fuiſſe in re parum dubia. Sed
quis tecum non rideat Electoris Brandenburgici Antiquarium; habes e-
p. 33. nim tria illa Theſauri, quem edidit Volumina, in quibus numos veteres
Domini ſui interpretatur. Si placet tertiam partem euoluito, & p. 97.
deprehendes, Acraſum ex eius ſententia in Lybia aliam, aliam in Phry-
gia fuiſſe. Ecce rationes, quibus hanc ſententiam confirmare nititur.
Numum Neronis græcum deſcribit, in cuius auerſa facie circa caput fe-
minæ elephanti proboſcide ornatum, AKPAΣI legitur. Non dubitat igi-
tur litteros AKPAΣI hic nomen vrbis denotari, ſtatimque in mentem ipſi
venit, Acram vrbem innui, ſed mutata mox ſententia in vrbe Libyæ A-
craſo

craſo acqueſcit. Cur Acraſum Libyæ tribuat, diuinare facile eſt. Nupero ſcilicet ſcriptore vſus ſuit, qui allegata Notitia Eccleſiaſtica docuit p. 15. inter Libyæ Epiſcopos τὸν Ἀκράσου reperiri. Sed non incidiſſet in hunc errorem, ſi conſuluiſſet errata typographica eiuſdem libri; vidiſſet enim ſphalmate typothetæ ſcriptum eſſe Libyæ pro Lydiæ: quod ſi ipſe quoque adiiſſet fontes, Notitiæ Eccleſiaſticæ & Leunclauii loca a ſcriptore illo allegata, ex vtroque didiciſſet, Acraſum Lydiæ eſſe non Lybiæ ciuitatem. Verum, vt videtur, auctoritate recentioris ſcriptoris contentus, haud operæ pretium duxit, inquiſitionem exactiorem & vlteriorem inſtituere. Cum primis caput elephanti proboſcide ornatum argumentum ipſi viſum eſt omni exceptione maius, quod numus Africam ſiue Lybiam repræſentet; Græci enim Lybiam olim vocarunt Africam. Denique p. 91. parum contentus prioribus, ſententiam Cl. Valentis præferendam eſſe & cum eo Acraſum in Phrygia locandam putat. In quo iterum errat, quoniam Valens p. 138. 140. ſqq. diſertis verbis habet ΑΚΡΑϹΙΩΤΩΝ *in Lydia.* p. 34.

Cum primis vero lepidus mihi in his omnibus videtur Begerus, quod in numo illo Neronis minime cuiuſdam vrbis mentio fiat. Certiſſime enim mihi perſuadeo, hunc eſſe vnum e numis Ægyptiacis, in quibus anni tantum Imperatorum ſignabantur, quique in auerſa facie communiter Iſidem vel Serapidem, Jouemue Ammonem aut Canopum, Nilum denique vel Africam repræſentare ſolent. Begeri quidem numus mutilus, atque ex rubigine corruptus eſt. Etenim pro ΑΥΤΟΚΡΑ. L. I. *anno 10. Imperatoris*, A modo litteram legit, poſt quam interuallum ſequitur, alioquin vocabulo ΥΤΟ repletum, ſed hoc loco vacuum litteris illis exeſis, itaque cum A illo iungit proximas litteras ΚΡΑΣΙ, ſiquidem Σ pro L ſumſit, indeque vnum ex tota inſcriptione vocabulum efficiens vrbem ſibi finxit, qualem ad propoſitum iudicauit aptiſſimam, Tanto confidentius hoc affirmo, quoniam Patinus p. 103. & 122. in Claudio atque Nerone ſimiles huic numos nobiſcum communicat, qui eoſdem typos habent, & inſcriptiones in Claudii quidem ΑΥΤΟΚΡΑ. L. ΙΓ, & Neronis ΑΥΤΟΚΡΑ. L. ΙΒ. Præter hos paruo abhinc tempore tres alios vidi in Cimeliarchiis refertiſſimis Illuſtriſſimæ Comitis de .. & R. P. Chamillardi, qui ab eo, quem e gaza Brandenburgica Begerus profert,

fert, hilum non differunt, hoc tantum excepto, quod inſcriptio in iis perſpicua legitur & integra ΑΥΤΟΚΡΑ L. I.

Quod ad clariſſimos viros Triſtanum & Patinum attinet, ſatis apparet, nec maiorem ipſis quam Spanhemio vrbis Acraſi notitiam fuiſſe Vterque enim contendit, vocabulum ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ in numo Seueri de vrbe Acra, in Iſthmo Paludum Mæoticarum ſita, intelligendum eſſe.

Non hic inſtitui illorum rationes, quas ad opinionem ſuam firmandam afferunt, expendere & refutare. Sufficit enim tibi indicare, quod
p. 35. ſi de vrbis Acræ incolis ageretur, in numo non eſſet ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ, ſed haud dubie vel ΑΚΡΑΙΤΩΝ vel ΑΚΡΑΙΩΝ.

Ex his obſeruationibus ſequitur, numum meum ſupra memoratum abſque dubio in vrbe Lydiæ Acraſo fuiſſe cuſum, grati animi teſtandi cauſà, quod Seuerus eam ab incurſionibus Peſcennii Nigri, qui omnes regiones finitimas depopulabatur, liberam tutamque reddiderat. Idem ab omnibus Lydiæ populis factum eſſe conſtat, vt obſeruabis ipſe facillime ex numis Hermocapelitarum, Hypæpenenſium, Attalenſium, Thyatirenorum, Saitarum, Philadelphenſium, Hierocæſareenſium atque Sardianorum, qui omnes in Sept. Seueri numis frequenter occurrunt.

Accedo iam ad Æſculapium in auerſa eiuſdem numi parte repræſentatum. Obſeruo autem, vrbem Acraſum in numis ſuis nunc Æſculapium, nunc Dianam Epheſiam expreſſiſſe, hanc ob cauſam, quod exemplo plurimarum Aſiæ ciuitatum Deos vrbium vicinarum eodem cultu atque honore affecit, quo propria Numina proſequebatur. Vnde Titus Liuius Deos Aſiæ *conſociata Numina* vocat. Qui ſane mos Ægyptiis exoſiſſimus fuit. Nam vt Iuuenalis *Sat. XV.*

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas
Immortale odium, quod Numina vicinorum
Odit vterque locus, cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit.

Cum itaque Lydia inter Epheſum & Pergamum ſita eſſet, Acraſus harum quoque vrbium Deos ſibi adſciuit. Tanta eſt tua, Vir Præſtantiſſime, rei numariæ peritia, vt non poſſis ignorare, Dianam inter Numina Epheſi, vti inter Pergamenos Æſculapium familiam duxiſſe.

ſe. Si de eo autem dubitas lubenter tecum communico numum maximi moduli, qui in cimeliarchio Eminentiſſimi Principis ac Cardinalis Caſp. Carpegnæ aſſeruatur. In vna eius parte caput Commodi cernitur, altera vero legendam nobis præbet inſcriptionem: ΕΠΙ. ΣΤΡ. Π. ΛΙΠΙΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΟΜΟ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ. *Sub Prætore P. Lipio communitas, concordia Pergamenorum & Epheſiorum.* Stant duo, quorum vnus Dianæ, alter Æſculapii ſignum dextra gerit. p. 36.

Tanta denique inter Lydiam & vrbes Epheſum Pergamumque interceſſit ſocietas, vt Cl. Valens in Catologo Vrbium concordia iunctarum (quod voce ΟΜΟΝΟΙΑ exprimunt) inter alias & Sardes Lydiæ Metropolin collocet, quæ cum Pergamo atque Epheſo ſociata fuit. Hoc enim volunt inſcriptiones ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΚΑΙ Ε ΕΣΙΩΝ. Nonne igitur cum ratione affirmare licet, Acraſum Metropolis ſuæ veſtigiis inſtitiſſe, indeque fuiſſe factum, quod Æſculapius æque ac Diana tam crebro in illarum numis occurrant?

Non opus eſt te monere, quantam vtilitatem eiuſmodi obſeruationes afferunt & ad intelligendos veteres auctores, & ad infinita fere loca Conciliorum emendanda, quæ ob errores in iis commiſſos difficillima ſunt intellectu, & ad accuratam genuinamque componendam Geographiam. Sane ex animo opto voueoque, vt Cellarius in Vniuerſali ſua Geographia, quam meditatur, quamque pro dignitate tanti operis iure merito auidiſſime exſpectant viri eruditi, ad numos recurrat. Aſia præcipue nunquam perfecte explicabitur, neglectis eximiis illis monumentis. Ego quidem ea methodo vti conſtitui in editione collectionis numiſmatum Græcorum, quam parens meus, Mediobarbus Comes, mihi vulgandam reliquit. In iis, quæ Geographiam veterem illuſtrare poſſunt, præcipue induſtria mea verſabitur. Nam Deorum quidem ſymbola in numis obuia non tanti mihi videntur, vt de illis multa verba facturus ſim, niſi contineant aliquid ſingulare & lectoris attentione dignum.

XV.
Explicatio
Numi
ANTONINI Imp.
filii Seueri
eximiæ raritatis.

E Memor. Triuult. MDCCI. Tom. I. p. 222. seq.

Hic numus æreus minimi moduli nuſquam, quod ſcio, inuenitur, niſi in cimeliarchio Illuſtriſſimi Focalti, Præfecti Cadomenſis. Accipe igitur, quæ ſeſe occaſio ad eum explicandum nobis obtulerit. Vir quidam eruditus atque in ſtudio numiſmatum apprime verſatus, coram multis, qui aderant, doctis affirmauerat: nunquam Romanis Imperatoribus titulum Βασιλέως a Græcis fuiſſe tributum, non magis quam Regis titulum latinis. Ratio, quam attulit, hoc fundamento nitebatur, quod vox *Imperator* in latinis veterum numis non aliam explicationem admittat, quam Ducem a Senatu exercitui fœderato Reip. deſtinatum. Dux ſummus ex eiuſdem ſententia idem erat apud Romanos, quem Græci nomine vocabant Ἀυτοκράτορα h. e. iuxta Herodotum: *ſui arbitrii*; qui de ſuo Imperio rationem reddere nemini debebat. Hic ſummum quidem Imperium in Præfectos militeſque ſuos exercebat; ſed hanc ob cauſam non maiori iure gaudebat, Βασιλέα ſiue *Regem* ſeſe appellandi, quam ſupremo Duci fœderatarum Prouinciarum, vbi officium huiuſmodi hereditarium eſt, licet Regis vti titulo. Titulus enim Regis aut βασιλέως indicat ſupremum illius, cui conceſſus eſt, dominium in certam quandam regionem, cuius caput agnoſcitur, quod titulus Summi Ducis minime declarat. Vir ille doctus, ad confirmandam, quam amplexus erat, opinionem, adiungebat, quod Titulus Βασιλέως in numis Imperatorum Græcis nunquam reperiatur, licet infini-

p. 222.

ti

ti exſtent, nec omittendus tamen, ſed vel præcipue commemorandus, ſi Principibus, quorum in honorem numiſmata cudebantur, conueniſſet; in his enim magno cum ſtudio anniſi ſunt, omnia congerere, quibus vllo modo adulari Imperatores poterant. Quod autem ad vocabulum Regis attinet, res eſt certiſſima; nunquam enim inuenitur in latinis numiſmatibus.

Poſt aliquod tempus in alio, quod de eadem erat materia, colloquio, auctori, qui titulum βασιλέως numis Imperatorum fuiſſe vnquam inſcriptum, negauerat, numus eſt oſtenſus Antonini, filii Imp. Seueri, qui cognomine Caracalla communiter audit. Inſcriptio capiti adiuncta T.III. n.8. Principis, hæc eſt: ANTONINON BACI. Iſtæ litteræ ſunt græcæ, c poſitum hic extat pro Σ, vt nemini non conſtat, & prius O pro Ω. Auerſa numi facies imaginem ſiſtit Cereris, & circumſcriptum nomen ΚΑΦΥΙΑΤΩΝ. Ceres vnam facem manu tenet, licet plerumque duabus ſolet fingi, quod perinde eſt. Fabula vero nos docet, Proſerpinam olim p. 224. à Cerere quæſitam; quo innuitur, terram ſeminibus refertam vehementer deſiderare, atque, vt ita dicam, inquirere fertilitatem, cum aliquot annis ea fuit deſtituta. Sed rationi minus congruit, hanc eſſe cauſam, ob quam Ceres facem præferat, cum potius videatur hæc Dea, quæ agris donat fœcunditatem, facem noctis h. e. Lunam denotare, eodem modo, quo Liber Deus, vini largitor, Sol vocatur. Hoc primo Georgicorum libro nos edocet Virgilius

Vos (canens) *o clariſſima mundi*
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

Vt igitur ad explicationem numiſmatis me conferam, iſte, qui protulit numum, contendit, legendum eſſe Αντωνῖνον βασιλέα; & parum abſuit, quin omnes ſtatim eius ſententiam amplecterentur. Sed auctor, qui, vt ſupra diximus, affirmauerat, nomen βασιλέως numis Imperatorum inſcriptum nunquam inueniri, cumprimis monuit, in hoc conuenire omnes debere, quod litteris hiſce ſubſit nonnihil myſterii. Certe, inquit, hoc nomen in numis non reperitur, præſenti excepto. Iſte enim titulus, ſi Romanis conueniret Imperatoribus, tanti eſſet, vt illum ſupprimere minime debuiſſent, ſane quam plurimis in numis reperiretur.

riretur. Genitiuum Καφυιατῶν, porro inquit ille, cum casu accusandi Ἀντωνῖνον coniunctus, crucem mihi figit. Non quidem me latet, talia in numis exempla admodum esse obuia; attamen scio, hæc in numis tantum vrbium insigniorum reperiri. In hisce vero nomen πόλις aut δῆμος, *vrbs* aut *populus*, subaudienda sunt; Ast Caphya pagus solum erat Arcadiæ. Plinius *libro XVI. sect. 88.* meminit illius, tanquam nemoris,
p. 225. numini cuidam falso consecrati: *In Caphyis, inquiens, siue Caphyarum Arcadiæ luco*, quæ verba pagum ad syluam situm denotant, vti Galli quoque dicere amant, nemus Bulonium, quod vno milliari Parisiis distat.

Denique vir ille eruditus obseruauit, sententiam latere ex literis initialibus compositam, quas ita inuicem separandas duxit: Ἀντωνῖνον B.A.CI. Καφυιατῶν hoc sensu: Ἀντωνῖνον Βιόδωρος ἀγαπᾷ Σιτὼ Καφυιατῶν h. e. *Antoninum diligit Alma Ceres seu frugifera Caphyiatarum.* Cum illi, qui aderant, optime perspectam haberent rationem Inscriptionum antiquarum, applausu statim exceperunt hanc expositionem. Auctor, ad probandam sententiam suam addere non intermisit, moris esse frequentis apud Græcos Latinosque, pro integra inscriptione primos tantum vniuscuiusque vocis syllabas ponere, seseque a longo iam tempore inter alios numum exposuisse græcum, hac gaudentem epigraphe: Διῒ μεγάλῳ Κύρσα Οδη, vbi verbis Κυρσα Οδη significetur Κυρίᾳ Σαράπιδι Ὀδησσειτῶν; sic etiam hoc loco Ἀσικαφυιατῶν: Vtroque in numo primas tantum diuinitatis syllabas exstare, quarum figura in hoc cernitur, Σα scilicet pro Σαράπιδι & Σι, pro Σιτῷ: vocem Σιτὼ nomen esse Cereris, ex relatione Athenæi libro III. p. 109. quoniam hæc Dea iuxta opinionem ethnicorum agros illorum frumenti reddebat fertiles: Βιόδωρον vulgare solemne esse cognomen, vti & in numis latinis sæpissime appellatur Ceres frugifera: Caphyatas hanc Deam adorasse, quia illi agrorum suorum fœcunditatem in acceptis referebant, ipsosque ad amorem suum erga Antoninum declarandum, admodum iucunde finxisse, quod Dea Imperatorem amore, ac beneuolentia prosequeretur. Hunc denique Antoninum insignem sane & magnum Principem fuisse, quicquid demum nonnulli Historici tra-
p. 226. dant, qui neutiquam perferre potuerit, vt titulus alienus ipsi daretur, atque, si viuus Βασιλέα se appellare voluisset, saltim in numo, post mortem eius in honorem cuso, tanto hoc elogio eum non mactassent: DI-

VO ANTONINO MAGNO. h.e. vt vocem DIVI accipiam, quemadmodum hodieque in Imperio de Imperatoribus & Regibus vſurpatur, Antonino Magno beatæ memoriæ. Satis enim conſtat, inquiebat porro ille, Principibus poſt illorum obitum minime palpum obtruſiſſe Romanos, præcipue ſi in vita titulum indecentem ſibi arrogaſſent. Hicce itaque ſolus eſt, inter veteres Romanorum Imperatores, cui poſt exceſſum Magni cognomen in numis dederunt. Hoc etiam nomine numus ſingularis eſt raritatis. Inuenitur vero ex ære maximi moduli in cimeliarchio Regis.

Tota congregatio hiſce obſeruationibus acquieuit, paulo poſt, iamiam diſceſſuris, auctori huius expoſitionis placuit, numum græcum, quem explicauerat, denuo conſiderare. Obſeruauit itaque Antoninum in hoc apparere admodum iuuenem, nec vllo titulo inſignitum, quærebatque, vidiſſetne vnus ex illis numum patris Seueri eodem in loco cuſum. Hoc enim in numis huius Principis admodum eſt obuium, vt propemodum ſimiles ſeſe offerant eodem loco & tempore percuſi nomine patris ac matris Iuliæ Domnæ. Qui numum produxerat Antonini, affirmabat, alterum adhuc reperiri Imperatoris Seueri ex medio modulo æreum, quem aliquo abhinc tempore mutuo acceperit. Hic igitur, regeſſit auctor prioris explicationis, rem totam diiudicabit. Nam Antoninus ſi Βασιλεὺς fuerit vocatus, certe & pater eius hac appellatione veniet. Omnes aſſentiebant. Numus fuit conſideratus, epigraphe circum caput poſita hæc erat: AYTO. KAI. A. CEΠT. CEOYHPOC CEB. h. e. p. 227. *Imperator Cæſar L. Septimius Seuerus Auguſtus*: Et in auerſa facie hanc habuit: KAΦYIATΩN. Genius vrbis ibi apparet, ſed a Cereris diuerſus. Hæc igitur, cum extra aleam viderentur poſita, concluſum eſt, quia pater non fuit Βασιλεὺς appellatus, iſtum titulum filio tribui minime potuiſſe, cum vero Antoninus iunior non gauderet adhuc dignitate Imperatoris aut Supremi Ducis, quæ ipſi in omnibus numis Græcis viuente etiam patre tribuitur, hæc adulatio erat eius ætati ſatis conueniens, qua eum proſequebantur Caphyatæ, ac ſi benigna Dea ſua ipſorum eum amaret. Denique, adiiciebat, vti titulus Αὐτοκράτωρος in numis Antonini ſemper poſt nomen eius proprium ponitur, ſic eadem eſſet ratio vocis BACI. ſi hic poſita eam admitteret ſignificationem, quam Αὐτοκράτωρ.

Aſſere-

Asserebat etiam, magni se facere hæc duo numismata, quoniam sibi persuaderet, nunquam in hoc loco alios cusos fuisse numos. Vterque in cimeliarchio iam asseruatur Illustrissimi Focalti, quo post Regium, nullum aliud in numismatibus præstantius esse in Europa æstimatur.

Hæc summa est eorum, quæ gesta sunt in duplici conuentu, communicante illam nobiscum viro ingeniosissimo, qui vtrique interfuit. Quam vti non indignam esse ducimus curiositate eruditorum, ita Critios eruditos argumentum hoc ad examen reuocaturos, obseruationesque suas nobis impertituros esse confidimus.



XVI.

OBSERVATIONES GALLANDI

In explicationem præcedentem numismatis Caracallæ græci.

E Memoriis Triuultianis MDCCI. Septembr. & Octobr. p. 309. seqq.

Vir ille eruditus, qui coram multis antiquariis affirmauerat, nunquam Romanis Imperatoribus titulum Βασι ἱεὺς a Græcis fuisse tributum, non magis quam Regis titulum Latinis, sententiam defendere ausus est tam parum probandam, quam argumenta sunt minime verisimilia, quibus hanc causam adstruxit. Numus enim, ipsi ostensus, est sic vtique legendus: ANTONINON ΒΑΣιλέα, non obstante explicatione illius, vt ordine, vestigia eius legentes, ostendemus.

Non inuenitur ex eius sententia vox *Imperator* in numis latinis, nisi cum significat Ducem exercitus fœderati Reipublicæ. Confiteor quidem, hanc vocem nonnumquam ista significatione gaudere, sed neutiquam hoc tam frequens accidit, vt ille persuadere sibi videtur, quod proba-

probari non eſt adeo difficile. Imperator, quando in numis reperitur poſt imperatorum nomina, inter alios ipſorum titulos hac ratione: IMP. IMP. II. IMP. III. IMP. IIII. & ſic porro, ſane tunc eius ſenſus eſt, quem auctor agnoſcit. Nam hicce titulus communiter ipſis a militibus erat tributus, quando & Imperatores & ſupremi illorum Duces aut victoriam reportaſſent, aut ingenti clade hoſtem affeciſſent. Quod infinitis fere exemplis demonſtrari poteſt.

Sed quando eadem vox inuenitur prænominis loco poſita, ſecundum verba Suetonii in vita Julii Cæſaris, in qua de ipſomet Cæſare dicit: *Non enim honores modo nimios recepit, vt continuum Conſulatum, perpetuam Dictaturam, Præfecturamque morum, inſuper prænomen Imperatoris;* Tunc iſte titulus ſignificatione gaudet admodum a ſuperiore diuerſa, & nullum fuiſſe Imperatorem conſtat, qui a Julio Cæſare ad Conſtantinum vſque non interrupta ſerie hoc titulo tamquam prænomine vſi non ſunt. Conſtantini autem filii pro Imperatoris titulo prætulerunt vocari *Dominus Noſter.* De hac re & numi & inſcriptiones Romanæ teſtimonia nobis exhibent fide digniſſima. p. 310.

Quænam igitur eſt ſignificatio vocabuli Imperatoris, cum prænominis loco Romanis Imperatoribus tribuitur? Hæc, duobus in locis, libro ſcilicet Hiſtoriæ Romanæ XLIII. & LII. Dio obſeruauit. Ita enim ille libro XLIII. loquitur (p. 184. editionis Rob. Stephani, ſi quis græcum textum conſulere velit. Sufficit enim breuitatis ſtudio eius verba fideliter latine translata hic apponere)

Cum mentionem feciſſet titulorum plurimorum honorabilium, priuilegiorum ſplendidorum, & prærogatiuarum, quas Julio Cæſari conceſſerat Senatus, Dio adiungit (*a*): Adhuc tribuerunt ipſi primo & prima vice titulum Imperatoris, tamquam nomen ſibi & liberis ſuis proprium, non iuxta morem veterum, qui multos alios, & ipſum quoque Cæſarem ſæpius belli tempore ita vocauerant; nec vti illi, qui poteſtate quidem, aſt limitata gaudebant, Imperatores appellabantur: Sed, vt verbo dicam, eodem ſenſu, quo hodieque ſum̃is Imperatoribus tribuitur.

Idem auctor libro LII. p. 334. (*b*) de Auguſto loquens adhuc *Eodem*, inquit, *anno, quo Conſul quintum fuit, etiam Imperatoris nomen* p. 311.

 accepit

(*a*) *p. 235. edit. Leunclauii.* (*b*) *p. 494. A. edit. Leunclauii.*

accepit, non quale propter victoriam tribui more vetusto solebat (id enim sæpius & antea & postmodo ex ipsis actionibus reportauit, vicies quidem Imperator dictus) sed quo summa imperii demonstraretur, quod patri quoque eius Julio & eius filiis fuerat decretum.

Sed omissis aliis Ἀυτοκράτορος significationibus, quia istæ nimis ab instituto nos deducerent, sufficiat, duas hic adduxisse, quarum vltima tantum locum habet in numis græcis, Imperatorum Romanorum nomine & iussu cusis. Sane, non inueniuntur numi, in quibus significatio prima vocabuli Imperatoris, qua summus Dux denotatur, locum habere possit, vti auctor tradidit. Hoc certissimum est, quoniam ne vnus quidem produci potest, in quo post vllius nomen Imperatoris occurrat ΑΥΤΟΚ. Β. ΑΥΤΟΚ. Γ. quemadmodum in numismatibus latinis quam plurimis obseruare licet IMP. II. IMP. III., quod cum priori tantum significatione congruere potest. Cum omnes isti, in quibus hæc vox vel integra vel per abbreuiationem reperitur, prænominis vice præmittitur, vt Suetonius adnotauit. Qua ratione non aliter intelligi potest, quam secundum alteram Dionis interpretationem, qua denotatur potestas summa, nec vnquam deponenda, quæ in posteros etiam citra limites propagatur; quæ profecto primæ significationi neutiquam competunt.

p. 312. Quod dixi, neque vnicum posse produci numum græcum sub Imperatoribus Romanis cusum, in quo vocabulum Ἀυτοκράτορος post nomen Imperatoris inuenitur, nolim vel illum ipsum plane singularem Augusti excipere, qui, ex Ægypto ante aliquot tempus allatus, in cimeliarchio exstat Illustrissimi Focalti, licet in hoc titulus Ἀυτοκράτορος post Imperatoris nomen apparet. Non molestum lectori erit, descriptionem huius numismatis ærei ex medio modulo hic sistere.

ΘΕΟΥ ΥΙΟΥ. *Diui Filii* (nudum Augusti caput) ΚΑΙ ΑΡΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ *Cæsaris Imperatoris.* Ægypti aquila fulmini imminens hoc modo, quo in numis Ægyptiacis communiter cernitur.

Minime, inquam, numum hunc græcum ab omnibus aliis excipio, quamquam vocabulum Ἀυτοκράτορος nomini postpositum Augusti, in illo legitur, quoniam hoc ita est explicandum, ac si esset scriptum ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΥ *Imperatoris Cæsaris Diui Filii.*

Hoc

Hoc vt lectori persuadeam, notandum est, quod hicce numus eadem gaudeat magnitudine, eodem metallo, eadem forma ac typo expressus sit, quo Æpyptiorum numismata, in quibus legitur: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, vt adeo cusum esse oporteat proxime quum Augustus, perditis Antonio & Cleopatra, Dominus factus est Regni Ægypti, & terrarum, quæ ab illis dependent. Tunc enim Præfecti monetarii in Ægypto, qui numos cudebant, titulum ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ eis imprimere minime potuissent, nisi valde infensum sibi reddere voluissent Augustum, omnesque Romanos, quamquam Augustus eandem exercebat potestatem in Ægyptios, qua illorum Reges erant gauisi, quorum stirps iam defecerat, exstincta Cleopatra; inscripserunt itaque ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ.

Haud igitur inde sequitur, Imperatorem in numis latinis p. 313. summum tantum Ducem copiarum Imperii denotare, quoniam Græci titulum Βασιλέως (si re vera hoc ita se haberet) Imperatoribus Romanis numquam tribuissent: nam vt aliter statuam, hac ratione adducor. Certum est, Βασιλέα illis plane idem significare, quod Rex Romanis, quia igitur ab hoc vocabulo & eius significatione abhorrebant Romani, Imperatoribus suis titulum huic similem dare minime poterant. Ob hunc vero linguæ suæ defectum ipsimet Romani vocabulo Imperatoris sensum tribuerunt tam late patentem, vt plane idem quod Græcis Αὐτοκράτωρ exprimeret, nec dubitarunt eo vti, vt animi sui sensa exponerent, & voluntati suæ responderent: quod etiam tam prospere successit, vt Imperatoribus iste titulus numquam displicuerit.

Sed Græci, cum in numis ac monumentis publicis hoc vocabulo vterentur, (nam maxime erat difficile, vsum vocabuli Βασιλέως admodum ipsis familiaris deserere, illumque desuescere) illud in sermonibus ac scriptis etiam adhibere non intermiserunt, vti magno testimoniorum numero probari facile potest. Hinc forsan euenit, quod Caphyatis aut monetariis illorum Præfectis exciderit, vt in numo quopiam Caracallæ hoc titulo vterentur, fortassis etiam alias ob causas iustas, nobis ignotas. Sic apparet, illum, qui hunc numum produxit, nimis præpropere falsis argumentis ipsi obiectis subscripsisse. Nos illa ad examen

ſumus reuocaturi, præmiſſis prius nonnullis obſeruationibus ad deſcriptionem numi, quam auctor nobis dedit.

Has cum ſcriberem obſeruationes, manibus tenebam numum, in quo non legitur ANTONINON BACI, ſed tantum .... NON
p. 314. BACI. litteris manifeſtis & æquali interuallo diſtantibus, vt aliæ his apponi plane non poſſent. Littera I veſtimentum attingit Caracallæ, qui ad humeros vſque expreſſus cernitur: aliæ litteræ ita ſunt deletæ, vt affirmari minime poſſit, num O aut Ω in eo fuerit ſcriptum. Exiſtimo autem, ſi apparerent iſtæ, Ω in illo videri, quoniam numiſmata 168. alia Caracallæ græca triplicis moduli in cimeliarchio exſtant Illuſtriſſimi Focalti, in quibus non aliter quam ANTΩNENOC aut ANTΩNEINOC legitur. Caput laurea cinctum ductus oris oſtendit admodum iuueniles, quemadmodum obſeruauimus. Hinc dubitare vix licet, quod iſte numus non fuerit cuſus anno tertio Imperii Seueri, Caracallæ patris, qui eum poſtea Collegam adſciuit ſibi, titulo Auguſti ei tributo. Auerſa pars epigraphes loco habet vocabulum ΚΑΦΥΙΑΤΩΝ cum iſto Cereris cognomine, quod auctor deſcripſit.

Βασιλεία numquam fuiſſe in numis Imperatorum Græcis ante huius detectionem obſeruatum, argumentum eſt non adeo firmum, vt orbi erudito perſuadere valeat, in hoc conuenire omnes debere, quod vocabulo BACI ſubſit nonnihil myſterii. Hoc enim ſi ita ſe habet, affirmari neceſſum eſt, myſterium etiam latere in aliis quam multis rebus, tantum in vno aliquo numo obſeruatis, licet per ſe explicatio facillime pateat. Certiſſimum eſt, quod aliis in numis, quos, ne modum breuis diſſertatiunculæ excedam, hic adducere ſuperſedeo, litteræ BA. BAC. BACI. & BACIΛ. abbreuiationem indicent vocabuli Βασιλεὺς ſiue Βασιλέως. Quare igitur concedere dubitas, abbreuiationem BACI in Caphyatarum numo Βασιλεία denotare?

p. 315. Quoniam vero auctor vocabulum ΚΑΦΥΙΑΤΩΝ ad ſenſum, quem commentus eſt ſingularem detorquere inſtituerat, affirmat, Caphyam tantum fuiſſe pagum ad ſyluam ſitum. Sed numquid licitum eſt, hodie in pagum tranſmutare locum, quem & Hiſtoricus quidam antiquus, & Geographi duo veteres vrbem aperte vocant? Auctor nemus Bolonium adducit in teſtimonium; ſed quam ob rem non etiam ad nemus ſiue ſyl-

uam

uam prouocat Aurelianensem? num umquam inde efficiet, vt Aurelia in pagum conuertatur? Plinius ex hoc loco nemus tantum facit numini cuidam falso consecratum. Quomodo hæc auctor probat? Legitur, inquit, in Plinii *Historia naturali*, loco citato: *In Caphyis seu Caphyarum Arcadiæ luco.* Sed in hoc subsistit auctor, & expositionem non addit. Interim quoniam Polybius lib. IV. Strabo lib. XIII. & Stephanus hunc locum opidi nomine vocant, Plinii verba non aliter explicari quam hoc modo possunt: In sylua sacra Caphyæ, vrbis Arcadiæ. Licet Plinius vrbis vocabulum non adiecit; minime tamen dubitandum est, quin illud subintellexerit. Quando v. g. nemus dicitur Aurelianense, Aurelia neutiquam pro pago sumitur, sed pro ea, quæ re vera est vrbs, quamquam vrbis vocabulum non sit expressum. Præterea quomodo in mentem venire alicui potest, numismata tam eleganter percussa, quam præsens cernitur & Seueri, Caracallæ patris, in villa esse signata?

Ecce denique mysterium, eo in loco, in quo minime tale quid exstat, inuentum. Litteras BACI, quæ compendio nomen βασιλέως denotant, & aliis in numis neutiquam sunt separatæ, hic auctor seiunxit, sensumque elicit sequentem: ANTΩNINON B. A. CI. KAΦYIATΩN Ἀντωνῖνον βιόδωρος ἀγαπᾷ Σιτώ, Latine, *Antoninum diligit Alma Ceres siue Ceres frugifera Caphyatarum.* Addidit etiam, omnes istos, huic qui adfuerant congregationi, quoniam optime perspectam habuerant rationem p. 316.
inscriptionum antiquarum, eius explicationem applausu statim excepisse.

Prius vero quam meam de hac re sententiam profero, maxime notandum iudico, quod in collectionibus siglarum notarumque copiosissimis, quibus vsi sunt Romani, nulla exstet e duabus syllabis distincta, & ad pronunciandum instar vocabuli BACI apta, cuius litteræ singulæ vel binæ accipiantur, exprimendis vocabulis peculiaribus. Reperitur, ni fallor, vnicum duntaxat CONOB. sed hoc litterarum compendium diu post BACI fuit introductum; itaque exempli loco adduci minime potest, vt argumentum inde petitum pondus nostro adiicere valeat. Ad hæc dubitandum venit, vtrum inter explicationes litterarum CONOB cum publico hactenus communicatas, vna sit assensu digna.

Si Romani huius generis compendiis vsi non sunt, multo minus probari potest, eiusmodi exstitisse apud Græcos, qui exiguum tantum

numerum in suis inscriptionibus & numis admiserunt, priusquam sub potestatem redigerentur Romanorum, qui harum paulatim plures introduxerunt, sed explicatu admodum faciles, vti exempla nobis suppeditat Index, quam Celeberr. Valens libro *de vrbibus græcis ex numis illustratis* in altera editione subiecit. Plura de præsenti materia maximi sane momenti dicenda restant, sed hasce obseruationes, quantum possum, in verba confero paucissima.

Non dicam equidem, viris eruditis, qui explicationi allatæ subscripserunt, parum constitisse rationem inscriptionum antiquarum; hoc tamen affirmare nequaquam vereor, quod naturam græcarum minime perspectam habuerint. Illa enim si ipsis fuisset nota, sane animaduertissent, nullum huic simile litterarum compendium inter notas, quæ exstant, vniuersas occurrere.

Exemplum ΚΥΡ. ΣΑ. Ο^Η adductum mihi non satisfacit, nam
p. 317. eo modo, quo allegatum fuit, iusta superest fidem & assensum denegandi causa. Saltim inter Σα & Σ, solum comparationem inde instituere licet, & vocabulum Σαράπιδις sub syllaba Σα latens vix ac ne vix quidem causam aget Deæ Σιτὼ sub syllaba Σι occultatæ. Verbum enim ἀγαπᾷ præcipuum est in explicatione præsenti; sed desunt exempla, quibus hoc ita expressum olim fuisse, possit demonstrari. Singulas priorum binarum litterarum in BACI per diuersas voces explicat, quare igitur duas reliquas per vnam tantum exprimit? Certe iustam huius rei rationem producere neutiquam valet. Equidem certum est, vocabulum Σιτὼ, cuius conseruationem Athenæo debemus, Cererem tamquam matrem nutricem denotare; Ast, numquid inde affirmari potest, Caphyatas illud agnouisse, atque hoc sub nomine Cererem coluisse? Vnaquæq; græcarum vrbium in Religione cærimoniis, ritibus, ac nominibus gaudebat singularibus, quæ gentes illis vicinæ haudquaquam admittebant. Bono itaque opus est auctore, qui persuadeat lectori, vocabulum Σιτὼ in vsu fuisse Caphyatis.

Istud vero nomen Cereri minime hic conuenire, vel ex hoc vnico videre licet, quod ea in numo præsenti haud cernitur cum spicis, ei tamquam matri nutrici alias tributis; sed cum face in dextra, filiam quærentis Proserpinam. Numismatum typus congruere cum inscriptionibus

nibus debet: in numo autem præſente nulla illius cum almæ Cereris titulo eſt conuenientia. Etenim Ceres non veluti nutrix generis humani, multo minus ſingillatim tamquam alma Caphyatarum Dea, ſed iactura filiæ ſuæ percuſſa, hic ſiſtitur.

Confirmat denique auctor, Caracallam magnum exſtitiſſe Principem, qui perferre haud potuerit, titulum ſibi tribui inconuenientem. Fuiſſet forte tanta ambitione, vt recepiſſet eum, ſi hoc modo Romanis placere crediſſet. Vtcunque autem hæc ſe habeant, haud multis antiquariis alia arridebit explicatio vocis BACI quam per βασιλέως, vti hanc notam in vrbibus græcis Clariſſ. Valens expoſuit. Hoc autem ſiue ex errore, vel ex adulatione Caphyatarum prouenit, aut iſti vocabulum Βασιλεὺς loco Ἀυτοκράτορος prænomini indicando adhibuerunt, nihil eſt periculi, huic ſi non ſolum ob auctoritatem tanti ponderis, ſed ob argumenta quoque paulo ante adducta, ſubſcribamus. p. 318.

Titulus Ἀυτοκράτορος proprio præpoſitus nomini, non tantum in numis occurrit Caracallæ, ſed in græcis Romanorum Imperatorum omnibus, nec in vllo inuenitur hicce titulus, ſi Auguſti numum, ob rationes modo allatas in Ægypto percuſſum, eximas, Non eodem modo ſe res habet cum vocabulo Βασιλέως. Promiſcue enim hoc ante & poſt Regum ſuorum nomina collocarunt Græci. Obſeruaui, quod Ægyptiacis in numis frequentius poſtponatur quam præcedat, ſic quoque in Cimeliarchio Illuſtriſſimi Focalti: ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΒΓΑΡΟС ΒΑСΙΛΕΥС; & in auerſa facie ΡΥΟΝΝΟС ΒΑ pro ΒΑСΙΛΕΥС. Imberbe caput cum pileo, qualis in Abgari, patris vt videtur ipſius; numus haud adeo obuius. Cum itaque BACI, in numis Caracallæ loco Ἀυτοκράτορος poſt nomen proprium exſtat, nihil hoc refert, quoniam vtroque modo idem denotat.

Fortaſſis Caphyatæ haud vmquam numiſmata, niſi in honorem Seueri atque Caracallæ percuſſerunt, nihilominus ſuum hac de re iudicium ſuſpendere fas eſt. Nam creditum quoque fuit, numos Gratiani tantum duos exſtitiſſe diuerſos, cum epigraphe: *Auguſti Gener Auguſtus;* Tertius tamen, quod alibi iam notauimus, etiam repertus eſt. Quanam vero ratione Julia Domna & Geta e Caphyatarum excludantur beneuolentia? Quare his quoque documenta cultus non præbuiſſent, p. 319.

dum

dum ſemel manum operi admouerunt? Numquid enim fieri potuit, vt Caphyatæ ſumtus facerent officinæ monetariæ inſtruendæ, nec plures quam binos percuterent numos?



Additamenta ad præcedentes Obſeruationes.

Finitis hiſce obſeruationibus in mentem venit mihi, alia exſtare Imperatorum Romanorum numiſmata præter Auguſti, in quibus Ἀυτοκράτωρ nomini proprio poſtpoſitum, inuenitur, in Ægypto quidem percuſſa omnia. Inter ea numus Tiberii in Gaza Illuſtriſſimi Focalti aſſeruatur tertia magnitudine ſolemni paulo minor, cum ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ *Tiberii Cæſaris* titulo in vna facie: verum non capiti adſcripto Tiberii, ſed vaſi veteri, quod Sympulum appellatur. In auerſa parte (inſcriptio exſtat) ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ *Imperatoris*, cum tribus ariſtis ita delineatis, vt ad lilia Gallica proxime accedant.

Eodem in muſeo numi cernuntur duo alii, ab Ægyptiis in honorem Tiberii ſignati, at in quibus Ἀυτοκράτωρ non legitur. De Caligulæ vero numis aliquid affirmare non audeo, etenim tam eximiæ iſti ſunt raritatis, vt, quantum memoria repetere poſſum, haud vllum illorum oculis luſtrauerim. Aſt inter numos Claudii XXVI, qui in eodem exſtant cimeliarchio, & ſimiliter in Ægypto ſunt percuſſi, ne vnus quidem cernitur, qui idem vocabulum nomini poſtpoſitum non haberet, duobus hiſce modis:

ΤΙ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙ. ΣΕΒΑΣ. ΓΕΡΜ. *Tiberius Claudius Cæſar Auguſtus Germanicus.* Caput Claudii laurea coronatum.

ΑΥΤΟΚΡΑ. L. Α. *Imperator Anno I.* Typus Victoriæ.

p. 320. ΤΙ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙ. ΣΕΒΑ. ΓΕΡΜΑΝΙ. ΑΥΤΟ. L. Γ. *Tiberius Claudius Cæſar Auguſtus Germanicus, Anno 3.* Caput laurea cinctum.

ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣ. *Meſſalina Cæſaris Auguſti* (coniux) Meſſalina ſtans.

Eiuſ-

Eiuſdem Imperatoris numiſmata, quarto, quinto & ſexto Imperii anno cum eadem in auerſa facie figura ſignata, in antica parte epigraphe gaudent, qua ſecundus; ſed ceterorum omnium inſcriptiones cum diuerſa in poſtica parte figura primo accedunt, ad annum vſque decimum quartum & vltimum huius Imperatoris

Quæ duæ res itidem obſeruantur in numis Neronis, cum hoc tamen diſcrimine, quod vocabulum 'Αυτοκράτορος Neronis nomini præfigatur, vt ex hoc exemplo videre licet.

ΑΥ. ΝΕΡΩ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. L. Δ. *Imperator Nero Claudius Cæſar Auguſtus Germanicus anno 4.* caput Neronis corona cinctum radiata.

ΔΙΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΥ *Jouis Olympii.* Jouis caput.

Tertius hic modus in quinque numis Galbæ haud obſeruatur, ſed in duobus tantum Othonis; Nec etiam in aliis Vitellii, aſt demum poſt Vitellianos ille in numis (iterum) cernitur Veſpaſiani aliorumque Imperatorum omnium, qui eum ſunt ſecuti, in quibus modos priores binos haud amplius reperi. Sed omnibus quam manifeſtum eſſe duco, 'Αυτοκράτορα vtroque modo in numis collocatum, eandem admittere ſignificationem, ac ſi nomini eſſet præpoſitum, illam videlicet, quam Romani, teſte Dione, intellexerunt, cum Julio Cæſari titulum hunc concederent, & quam vocabulum denotat Imperatoris, quod in numis latinis cuiuslibet Imperatoris nomini præponitur.

Igitur exemplis numorum Ægyptiorum haud obſtantibus, hoc ſemper valebit, 'Αυτοκράτορα nunquam ſummum ſignificare Ducem in numis græcis, nomine & permiſſu Imperatorum Romanorum cuſis. P. 321.

XVII.

RESPONSIO AD OBSERVATIONES GALLANDI.

E Memoriis Triuultianis MDCCI. Part. II. p. 321. seqq.

VAlde obstrictus sum Cl. Gallando, quod nullam adduxit probationem certam, quæ vel tantillum meam expositionem destruat. Præcipuum enim, quod meæ opposuit argumentum, hoc est: Excidit fortasse Caphyatis, vt inter titulos Imperatoris Romani in numo ei oblato ponerent elogium, quod semper auersati sunt Romani. Cui regerere haud est difficile, quod itidem fortasse (idque multo probabilius) isti Caphyatæ neutiquam fuerunt tam imprudentes, vt Cl. Gallandus eos fuisse contendit. Etenim cum in honorem Principis cuditur numus, maxime sane de verbis inscribendis itur in consilium, & viri intelligentes de illis consuluntur.

Cl. Gallando, interroganti, quare priores litteræ in BACI singulæ integras voces denotent, vltimæ vero coniunctæ vnam tantum efficiant; Similiter fieri respondeo, vti in numo Seueri, Ascalone percusso, qui iam in gaza regia exstat, vocabulum ΑΥΚΛΣCΕΟΥΗΡΟC. Harum duæ priores litteræ vnicum duntaxat vocem, Αὐτοκράτορα denotant, tres autem sequentes vocabula efficiunt totidem diuersa, Καίσαρα scilicet Λεύκιον Σεπτίμιον. Et vti in alio Augusti S.P.Q.R. VSPSETRAVG. vltimæ tres litteræ vnam tantum vocem indicant, & quælibet aliarum fere omnium singulas, hoc modo: *Senatus PopulusQue Romanus Votum*
p. 322. *Soluit Pro Salute Et Reditu Augusti.* Alia huic similia exempla inueniuntur innumera.

Quod ad Cererem attinet, ea sufficere possunt, quæ in priori dissertatione a me dicta sunt. Quicunque nouit significationem græ-

ci Σιτὼ, haud dubitabit eam appellationem æque notam fuisse inter græce loquentes quam quodlibet Cereris nomen aliud.

De vocabulo Imperatoris, obiter tantum inserto, credere persisto, quod, proprio nomini præpositum in numis veterum significet tantum Ducem summum confœderati exercitus Imperii; siue eum, qui per totam vitam hoc munere fungitur, vti quondam in Gallia summus rei bellicæ Præfectus siue Comes Stabuli, & hodie Præfectus supremus Hollandiæ, vel per certum aliquod tempus a Republica definitum. Sed quando idem nomini Principis inter alios eius titulos postponitur, indicat duntaxat Summum Ducem per vnam expeditionem, aut, si numerus additus fuit, per multas alias. Hisce vero, quæ de vocabulo Αὐτοκράτορος attuli, innuere volui, quod græcis in numis omnibus, quocunque etiam loco hoc collocatur vocabulum, prima Imperatoris significatio sit accipienda, quoniam isti Imperatores, aut, vt melius dicam, Summi illi Duces in prouinciis Orientis potestatem exercebant multi liberiorem in milites, quam in Prouinciis Occidentis. Hinc est, quod Antoninus, Seueri filius longe, exstiterit citius Αὐτοκράτωρ in Oriente, quam in Occidente titulo Augusti gaudere cœpit.

Satis modestus est Cl. Gallandus, dum affirmat, numos Caligulæ cum Αὐτοκράτορος vocabulo singularis esse raritatis, & illorum haud vllum oculis se vnquam lustrasse. Nescio, annon meæ sententiæ nimis iam concesserit. Quicquid sit, eruditissimos quosque antiquarios prouoco, vt vnum duntaxat numum huius Principis producant, in quo titulus Αὐτοκράτορος inuenitur. Dubito, num de ipsomet Tiberio, eius antecessore, eiusmodi numus reperiatur. Numi enim, inuitis Histori- p. 323.
cis, nos edocent, quod vterque in Oriente fuerit Σεβαστὸς siue *Augustus*, h. e. Prouinciæ Gubernator, & Præfectus rei iudiciariæ, politicæ atque numariæ, nomine Senatus aut Reipublicæ vocatus; Sed quod neuter illorum exstiterit Αὐτοκράτωρ, vel summus Dux exercituum Imperii.

Judæam duntaxat, & quidem ob Tiberium, excipio; quoniam, vt antecessor eius, eam sibi peculiariter vindicauerat. Hæc est Judæa, de qua S. Lucas *Anno*, dixit, *quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris procurante Pontio Pilato Judæam.* Hæc est Judæa, quæ numum Tiberii, in Cimeliar-

meliarchio exſtantem Illuſtriſſimi Focalti, cudi curauit, in quo antica parte titulus ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ, & in poſtica occurrit ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ cum tribus ariſtis, illis, quæ in numis Agrippæ Junioris cernuntur, ſimilibus. Iſtæ enim eadem cum hiſce magnitudine gaudent. Sed extra Judæam ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ in numis ipſius quoque Tiberii haud umquam inuenitur.

Ipſemet Claudius numquam fuit Imperator iuxta primum huius vocabuli ſenſum per totum Occidentem in citerioribus ab Archipelago vſque partibus. Neque in hoc Suetonio fidem habere obſtricti ſumus, quando dicit: Hunc Principem ex modeſtia numquam iſtum titulum aut prænomen accepiſſe, quia ille in numis per Orientales prouincias ſignatis reperitur. Sed quicunque demum affirmat, vocabulum Imperatoris prænomen eſſe, haud vmquam tamen fidem apud antiquarios eruditos inueniet.

Denique cum Arcadia vix magnitudine æquet dimidiam partem Normandiæ inferioris, errat, quiſquis vrbem in ea Aureliæ ſimilem quærit, aut Caphyam ſibi fingit non minus forte grandem; quia Plinius officii ſui eſſe non credidit, 30. vrbibus & opidis paruis eam annumerare, quæ in Arcadia exſtare eſt teſtatus; & quoniam affirmat, pagum
p. 324. modo (ſua ſaltim ætate) fuiſſe. Clariſſimus quoque Gallandus haud obſeruauit, quod extra Seueri familiam ne vnus quidem reperiatur numus in Arcadia percuſſus, exceptis vrbium duarum in familia Aurelii.

Cl. Gallandus vltimo Memoriarum tomo promiſit, cum diuino beneficio ad hunc vſque locum operis, quod molitur, perueniet, nobis ſe eſſe explicaturum, quid denotet vocabulum AVG. in hoc celebri Gratiani numo: D. N. GRATIANVS AVGGAVG. Ex animo opto, vt fidem ſuam liberare poſſit, & vt feliciori hoc faciat ſucceſſu, quam quo primum vocabulum AVGG. per Auguſtorum expoſuit. In explicando felicior haud exſtitit altero, qui *Auguſti Germanus Auguſtus* legendum eſſe duxit.

XVIII.

XVIII.

TVRNEMINI
JESV SOCII
EXPLICATIO
Numi rarissimi Imperatoris Galieni.

E Memor. Triuult. MDCCV. Jun. p. 448.

COnquereris, Vir Præstantissime, quod duobus vel tribus abhinc mensibus nihil suggesserint nostræ memoriæ, quod eos, qui numorum studio tenentur, afficere possit: danda itaque est opera, vt illorum desiderio vtcunque satis fiat. Cimeliarchium Reu. Patris Chamillardi largam nobis materiam suppeditabit. Ex cuius tot numis, quibus refertum est singularibus, vnicum & rarissimum in præsenti depromam. Numus est ex aurichalco integerrimus. Circa caput legitur: IMP. GALIENVS. PIVS. AVGVSTVS; & in auersa parte infans occurrit a capra nutritus, cui apposita est inscriptio: PIETAS SAECVLI. quale lemma in nullo alio numo reperitur. Num tibi umquam persuasisti, Vir Præstantissime, Galienum fuisse pium, neque hoc tantum modo, sed exemplum pietatis, atque idoneum, qui sua ætate eam resuscitare atque in vsum reducere valuit? Historici, fateor, eius nobis vitia ac libidines teterrimis coloribus depingunt. Sed ethnicorum pietas consi- p. 451.
stere potuit cum maxime detestandis criminibus, quorum Dii ipsi præbebant exempla. Certo interim nobis constat de Galieno, quod pietatem præ se tulerit eamque iactauerit. Mediobarbus quoque numum refert, in quo *Conseruatoris Pietatis* titulus impio huic Imperatori attribuitur. Et in numis ipsius coniugis filiique nulla occurrit inscriptio frequentior quam *Pietas Augusta*.

Cum primis Jouem tutelarem ſibi delgerat. Numi enim Galieni plerique imaginem huius Dei præferunt cum verbis: JOVI CONSERVATORI. JOVI VLTORI. JOVI VICTORI. JOVI PACIFICO. JOVI PROPVGNATORI. Equidem haud quemquam alium ſibi deligere potuit Deum, cuius mores cum ingenio eius atque indole magis conuenirent. Jupiter patrem ſuum Saturnum regno pulſum tenuit captiuum: Et Galienus itidem patrem ſuum Valerianum in turpiſſima captiuitate marcere & affligi quietus permiſit. Si *Pietas Siculi* eiuſdem generis fuerit, haud quicqam ea deteſtabilius reperire licet. At forſan hoc elogium non minus hyperbolicum eſt, quam SAECVLI FELICITAS in alio numo eiuſdem Imperaroris, ſiquidem ſæculum illud non magis felix fuit quam pium, quippe quo nullum vmquam infelicius. Num enim Imperium, inuaſionibus barbarorum expoſitum, a tringinta Tyrañis deuaſtatum, & magis adhuc euerſum ex vectigalibus ſolius Galieni quam rapacitate omnium ipſius hoſtium, terræ denique motibus & peſtilentia concuſſum, conueniant cum ſuperba inſcriptione: SAECVLI FELICITAS?

Duo antiquitatis periti in hoc argumento ſententiam amplexi ſunt, quæ paucis probabitur. Collegerunt enim omnia huius Imperatoris, quæ in numis occurrunt elogia, ex iiſq; compoſuerunt hiſtoriam ſui herois ſane ſpecioſiſſimam, parui facientes Hiſtoricos, qui illorum fictiones mendacii arguunt, neque dubitantes illos vt mendaces atque
p. 452. impoſtores reiicere. Ego autem non adduci poſſum, vt omnes Hiſtoricos condemnem, ſolidis argumentis deſtitutus: minorem etiam fidem numis ipſis habeo. Equidem fateor, quod Hiſtoricus ſuis affectibus indulgere poſſit, v. g. vindictæ, inuidiæ, aut proprii ſtudio commodi, quodque tam prauos duces ſecutus vitam etiam laudatiſſimam deturpare ac criminibus conſpergere queat. Sed non videtur mihi fieri poſſe, vt Hiſtorici ad vnum omnes contra dignam alicuius Principis gloriam conſpirent. Nam ipſorum ſtudia ac reſpectus non minus diuerſi ſolent eſſe quam affectus & emolumenta. Nec denique veriſimile mihi videtur, quod Hiſtorici etiam partium ſtudio deditiſſimi voluerint, aut ſaltim auſi ſint tamquam monſtrum depingere Imperatorem omni laude digniſſimum ex iis omnibus, qui Cæſaris thronum vmquam conſcenderunt.

derunt. Ita enim de Galieno ſtatuendum eſt, ſi numos tantum conſulamus.

Nonne autem naturæ rei magis congruit, ſibi perſuadere, homines olim eiuſdem ingenii vixiſſe, quales etiamnum noſtra ætate viuunt, atque adulationem æque numis antiquis atque hodiernis communem fuiſſe? Ipſiſmet oculis noſtris credimus, quod, paucis ædificiis exceptis, Portus Gratiæ remanſerit integer, poſtquam Princeps Aurinus nupero bello tormentis illum quatere inſtituit. Itaque poſteri credent, illum penitus fuiſſe deletum, nixi fide numiſmatis in hunc Principem cuſi, in quo legitur: PORTVS GRATIAE EVERSVS. Tot numi ab vtraque parte occaſione victoriæ vnius eiuſdemque ſignati, euincunt, quod æque facile in ære atque in charta homines mentiantur. Infelix pars, cuius numus interit. Quamquam enim vicerit prælio, alter tamen, qui ſolus ſupereſt numus, de eius ignominia teſtimonium exhibebit, ſi iſtis antiquariis aures præbeamus, firmiſſimum ſanctiſſimumque.

Et vt paucis multa dicam, meque extricem e difficultate, qua numus Galieni, hiſtoriarum monumentis aduerſus, me inuoluerat, ſuppono, populum effeminatum, ſeruilem atque adſuetum, diuino ſemper honore Imperatores ſuos proſequi, Galienum quoque dum viuebat in numis adulari voluiſſe. Contra vnus alterue Antiquarius contendit, omnes Hiſtoricos aut mendaces eſſe aut ſubleſtæ fidei. Quænam harum opinionum viris ingenio præditis magis rebus conformis videbitur atque p. 453. verisimilior.

Nunc de auerſa parte tria addenda verba ſunt. Non in præſenti tantum numo capra Amalthea cernitur; ſed in duobus etiam aliis numis eiuſdem Imperatoris. Horum alter eam ſolam repræſentat cum litteris: JOVI CONSERVATORI. Alter Jouem exhibet iam adultum capræ inſidentem addita inſcriptione: JOVI CRESCENTI. In præſenti noſtro infans cernitur, qui lactatur. Hiſtoria Jouis, furori patris ſubducti atque a capra nutriti in antro montis Idæ, notior eſt, quam vt ea interpretationem hanc meam amplificem. Interim haud plane alienum erit notare, viros eruditiſſimos Pezronium atque Rudbeckium non dubitare, quin Saturnus & Jupiter fuerint homines vnius fere ætatis cum Thara Abrahamoque atque Principes maximi Imperii, quod totam Europam,

oras

oras Africæ maritimas & magnam Asiæ partem continebat. Pezronius e Bactriana deducit fundatores huius Imperii, Rudbeckius vero e Suecia. Vtrumque falli existimo, vt alibi dicturus sum.

De cetero numus modo explicatus Annum circiter Vrbis Conditæ millesimum decimum tertium cusus videtur.



XIX.

Noua Expositio numi aurei e Gaza Regia, in quo caput Gallieni Imp. cernitur cum hac inscriptione:

GALLIENAE AVGVSTAE.

Prodiit gallice

PARIS. 1698. 8.

p. 3.

VIRO ILLVSTRI,

GVENEGALDO de BROSSES

Regis Consiliario, & extra ordinem olim Legato in Portugallia; Cancellario Ordinis S. Lazari.

ILLVSTRIS DOMINE.

IVsta causa cogitandi Tibi est, libros minime fuisse tutissimum medium ad conseruandam posteritati memoriam rerum a magnis viris præclare gestarum. Eruditorum enim scripta maxima parte non tulerunt nostram ætatem; neq; ipsi isti libri, qui Principibus, quos celebrabant, immortalitatem promittebant, *vltimam* hanc nessitatem intere-

tereundi effugere potuerunt, quæ omnibus mundanis rebus adhæret inſeperabiliter. Obliuioni traditi ſunt, ex qua ipſos vindicare Heroes debuiſſent.

Cum Principes inciperent, in templis Deorum collocare Biblio-
thecas, curaque librorum illis concrederetur, qui ſolis ſacris religionis p. 4.
officiis erant occupati, cogitarunt homines, fato ſcriptorum altaribus alligato, nil ipſis amplius timendum, Heroumque panegyricos in tuto eſſe ſub tutela imaginum Deorum collocatos. Sed templa ſunt collapſa, & Bibliothecæ, illorum lapſu abreptæ, eandem fortunam ſubierunt.

Cæſar, qui Cleopatræ iuniori regnum maiorum reddere aduenerat, in palatio huius Reginæ obſeſſum ſe videns ab illis ipſis, qui Pompeium violenta morte ſuſtulerant, interfectoribus, in moram hoſtium, cum fugeret, ædificia circum iacentia accendere iuſſit. Quantam etiam curam adhibuerunt Alexandrini, hunc ignem exſtinguendi, non tamen prohibere potuerunt, quo minus ſuperbum illud Serapidis Dei templum iſto abſorberetur, vnaque cum Bibliotheca Regum Ægypti in cineres redigeretur. In hoc autem incendio ſeptingenta voluminum millia, a Ptolemæis incredibili cura collectorum, perierunt.

Sacri libri, Hieroſolymis aſſeruati in Archiuis templi Dei viuentis, non benignius fatum experti ſunt. Cum enim Nabuchodonoſor Hieroſolymas expugnaſſet, vrbs iſta fuit direpta, Sedekias in fuga captus. Eius liberi ipſo præſente occidebantur, & cum oculos ipſi effodiſſent, catenas iniecisſent, muros Hieroſolymitanos deſtruxiſſent, & palatium denique eius vna cum templo igne perdidiſſent, eum, vti & graminea vniuerſum Judææ populum, Babyloniam verſus captiuum duxere. Hic ignis, quo palatium, templumque perierunt, ſacros ſimiliter libros conſumſit.

Ne autem ſimiles hiſce caſus obuenirent etiam Græciæ, ſapientiſſime ſibi proſpexit. Et quoniam nihil magis magni animi viros ad res
præclare gerendas excitat, quam ſpes æternæ memoriæ, cogitauit, He- p. 5.
roes ſuos de nominum ſuorum immortalitate certiſſimos reddere. Quod ſe aſſequi poſſe putabat, ſi illorum imagines, qui optime conſeruauerant Rempublicam, variis metallis imprimerent, quibus homines in commercio

mercio ſocietatis humanæ carere haud poſſent. Feliciter ſtatim hoc ipſum obtinuit Græcia, cum imagines Poëtarum, Oratorum, Philoſophorum, Ducum, Magiſtratuum & Principum ob laudatiſſimas illorum virtutes numis inſculpi curaret.

Et ſane effigiebus virorum illuſtrium numis hac ratione inſcriptis, coacti ſunt homines eas ſimul inquirere & conſeruare; ſiquidem conſeruatio iſtius vinculi, quod ſocietatem hominum continet, cum conſeruatione imaginum Heroum ſic nexu quaſi inſolubuli iuncta fuit.

Porro, cui nominum ipſorum immortalitatem magis illa concredere potuiſſet quam hiſce, in quæ nulla tempori fuit poteſtas, metallis. Monetæ iſtæ antiquæ, quas numos hodie vocamus, per duo millia annorum noſtram ætatem attigerunt, quin & ſeros poſteros attingent. Infinitus fere numerus numorum aureorum, argenteorum & æreorum exſtat ex ſæculis remotiſſimis, qui tamen veluti recenter cuſi videntur.

Et hoc denique in immenſum libros ſuperat, quod illi etiam ipſi qui ne legere quidem poſſunt, non plane careant voluptate cognoſcendi ex numis facies magni nominis virorum, deque illorum virtute & dignitate per Symbola in iis repræſentata ſe inſtruendi. Hinc Græcia, & poſt eam Italia nihil fere memoratu dignum ſiue in toga, ſiue in ſago geſ-
p. 6. ſit, quod in numis non conſignatum fuit, eoque ipſo poſteritati tranſmiſſum.

Ex hoc ſatis liquet, quam multæ curioſitates hiſtoricæ numis ineſſe debeant, quantaque fides habenda ſit viro, qui nuper contendebat, numos antiquos non niſi paucis quibuſdam voluptati eſſe harum rerum ruſpatoribus, hominibus moroſis, inconſtantibus & melancholicis.

Vnicus aureus numus Gallieni Imp. qui anſam huic Diſſertationi præbuit, haud dubie ſufficienter probat, quam parum rationi conueniat hæcce ſententia. Dignus ille habitus fuit obſeruationibus virorum noſtræ ætatis eruditiſſimorum. Illuſtris nimirum Spanhemii, Delegati extra ordinem Electoris Brandenburgici in Gallia, tantiſque egregiis ſcriptis, quibus Remp. litterariam ditauit, celeberrimi. Tum & Car. Patinus, Jo. Valens, eruditus Jeſu ſocius Harduinus atque Gallandus

eum

eum, tamquam ſingularis raritatis & pretii numum, celebrarunt. Fatendum tamen eſt, diuerſas illorum ſententias in iis, quas publico expoſuerunt, explicationibus, deſiderium quoddam in me excitaſſe cognoſcendi numum, qui tanti nominis viros in duas partes diuiſit, exiſtimando, me vni ex duabus hiſce ſententiis eſſe ſubſcripturum, nihilque minus cogitando quam quod mihi contingeret, tertiam poſt illos inuenire, quæ aſſenſione digna mihi videri poſſet. Interim cum ad examen reuocarem vtriuſque partis rationes, in vtraque ſenſi neſcio quid, quod me ſuſpenſum detineret, impediretque, quo minus per omnia conſentirem.

Vlterius progreſſus ſum, quam animo mihi proponere debui. Cum enim ſenſim ſenſimque de ſoliditate duarum opinionum ab eruditis p. 7.
illis propoſitarum libere dubitare incepiſſem, eo proceſſi, vt tertiam aliquam a me ipſo impetrauerim explicationem, quam ſolo caſu detexi. Et de tertia iſta expoſitione per litteras has rationem Tibi reddere conſtitui. Quam ſi tua approbatione non dedignatus fueris, audeo quoque mihi orbis eruditi ſuffragium promittere, in quo tuum iudicium tam viuum atque iuſtum, & optima tua cognitio ingenioſorum ſcriptorum Te eiuſmodi controuerſiarum curioſarum æque ac innocentium tam ſæpe arbitrum conſtituunt.

Hic autem numus in aduerſa caput Gallieni Imp. & quod admi- T.III. n. 9.
rationem mouet, circa illud inſcriptionis loco nomen mulieris ſiſtit, GALLIENAE nimirum AVGVSTAE. In auerſo occurrit victoria alata, quæ vna manu flagellum tenet, altera dirigit currum, quem equi fronte alligati trahunt: in circuitu leguntur verba: VBIQVE PAX.

Fatendum eſt, numum hunc ſtatim viſum fuiſſe aliquid habere plane inuſitati, quod explicare vix quiſquam ſibi promittere audebat.

Primum crucem fixit antiquariis nomen mulieris, quod circa caput Imperatoris Romani obſeruarunt. Certiſſime enim facies ipſa eſt Gallieni, & numus ſatis antiquus.

Alterum, quod non minori cura illos afficit, eſt hæc auerſi inſcriptio: VBIQVE PAX. Quomodo enim, inferunt antiquitatis periti, numo Gallieni inſcribi poteſt, Pacem per totum Vniuerſum floruiſſe, cum e contrario nobis conſtet, perpetuum bellum & vniuerſales mo-

tus vexaſſe Prouincias Romanas, quæ quoad maximam partem nullos alios quam Tyrannos Dominos agnoſcebant.

p. 8. Vt omnem vim harum difficultatum oſtendam, præſtat tantum modo, ipſum Gallienum breuiſſimis deſcribere, & Romanum Imperium, quale tunc temporis fuit, oculis ſiſtere.

Gallienus natura ſua voluptati deditiſſimus erat; & quia in educatione pater ipſius Valerianus Imp. noluit nimium auſtere tractari genium filii, libertas indoli eius ex omni voto conceſſa, multas præclaras naturæ dotes inutiles in eo reddidit. Primum quidem nonnulla fortiter geſſit, & ductu patris Occidentem gubernauit multa prudentia atque moderatione. Sed cenſore actionum ſuarum deſtitutus, ſtatim degenerauit. Valerius viuus cecidit in manus Saporis, Perſarum Regis, qui eum per reliquam eius vitam captiuum tenuit, vt ſibi equum conſcenſuro dorſum præberet. Gallienus vero liberatus patre, qui a vitiis eum compellebat, libere ingenio ſuo deprauato indulſit, & cum copias colligere, patremque ſuum ex inhoneſta illa atque crudeli capitiuitate liberare debuiſſet, omnibus potius voluptatis generibus animum oblectare ſtuduit. Cumque Roma, omneſque Prouinciæ Romanæ deplorarent Valerianum, atque dolerent, omneſque terrarum orbis Reges per litteras Saporem commouere conarentur, ne maieſtatem tanti Imperatoris adeo indigne tractaret, ſolus Gallienus voluptatem exinde percepit, eumque deſeruit. Diem gulis & potationibus, noctem aliis deliciis maioribus pariter atque flagitioſioribus conſumſit; adeo vt odium atque abominationem totius Imperii incurreret. Nullus amplius de eo ſermo erat in exercitu, ac ſi numquam in mundo fuiſſet. Præterea Prouinciarum Præfecti, cum adeo negligenter auxiliis ſibi contra barbarorum inuaſiones proſpici animaduerterent, in Præfecturis ſuis ſeſe confirmabant, atque ab illis, quibus præerant, legionibus Imperatores vocari curabant.
p. 9. Numquam Imperii facies tam horrida fuit quam tunc temporis. Tandem enim Tyrannorum numerus ad trigeſimum vſque aſcendit, qui in variis orbis terrarum partibus caput extollebant, optimas quaſcunque Prouincias occupabant, atque in Præfecturis ſuis ſummos ſe gerebant Principes. Septem ſic aut octo annos in hac molli atque obſcura vita tranſegit, deditus Theatro, omnibuſq; infamis voluptatis generibus, do-

nec a Ducibus suis fuit occisus prope Milanum, vbi, multo labore atque dolore ignauiæ suæ suisque deliciis auulsus, ad debellandum Aureolum aduenerat, qui in Illyria Imperatorem se proclamauerat.

Prima numi expositio.

Hæc in genere idea, quæ de vita huius Imperatoris atque Imperii vulgo exstat, nonnullos eruditos induxit, vt crederent, numum hunc aureum Gazæ Regiæ cura inimicorum Gallieni fuisse signatum; vt per iocum viuidum æque atque aculeatum tum vitam eius mollem & effeminatam, tum etiam statum miserrimum, in quem reduxerat res Imperii, ipsi exprobrarent.

Primus videtur Illustris Spanhemius hoc sensu numum explicuisse. En tibi, quæ in translatione sua Cæsarum de Juliano Imp. p. 103. refert: *Julianus Gallienum repræsentat ad Deorum conuiuia accedentem stola indutum & incessu muliebri. Huc aureus numus plane singularis huius Imp. referri potest, qui in Cimeliarchio Illustrissimi cuiusdam Imperii Principis reperitur, vt eruditi antiquitatis periti, qui eum ipsi lustrarunt, referunt, mihique antiquum hunc esse affirmant. Eius ectypon penes me habui, in quo facies Gallieni, & verba circumscripta:* GALLIENAE AVGVSTAE. p. 10. *Satis est mihi, adspectui illum & iudicio curiosorum exponere loco hic opportunissimo: siue demum consilio, siue casui inscriptio ista debeatur. Cui tantum adiungam, quod alibi numum Gallieni ex eodem metallo eademque inscriptione: VBIQVE PAX attuli, quem aliquando in cimeliarchio Cardinalis de Medicis vidi.* Et in additamentis p. 489. addit Illustris Spanhemius: *Postea obseruaui, Cl. Patinum itidem hunc numum obiter allegare in Epistola ad Abbatem Bracesium, vbi dicit:* Similis prorsus fortuna GALLIENAE AVGVSTAE Numum aureum obtulit, cui VBIQVE PAX erat inscripta. *Gaudeo, numum adeo singularem, quemque huc vsque nondum vidi, sed nunc video in ectypo, a Cl. Morello mecum communicato, ex testimonio celeberrimi atque in notitia numorum versatissimi viri, qualis est Patinus, antiquus & optimus meus amicus, maiorem fidem accipere.*

Ex istis constat, hunc singularis pretii numum nondum tunc temporis in gaza Regia fuisse. Sane anno demum 1685. ex Germania fuit in Galliam delatus, & quidem cura Illustris Marchionis de Louuois, qui illum regio cimeliarchio inferri curauit.

Ex his etiam ipſius verbis apparet, eadem animi intentione numum fuiſſe cuſum, quæ Julianum adduxit, vt ludibrio Gallienum exponeret, eique vitam languidam atque effeminatam exprobaret, dicendo: *eum fuiſſe Deorum conuiuia ingreſſum inceſſu muliebri ſtolaque indutum.*

Eodem ſenſu Cl. Valens Tom. II. p. 385. Numorum Impp.
p. 11. recens editorum de hoc curioſo numo loquens hæc profert: *In ludibrium Gallieni ab vno ex ipſis, qui Imperatoris titulum contra eum arripuerat, percuſſus videtur, illum* Auguſtam *appellans: vt omnibus denotaret, pro femina eum haberi debere; qui res tam negligenter in bellis vndique Romanum imperium prementibus ageret: de quo ait Pollio*, vt eius ne mentio quidem apud exercitum fieret: *ita pro laurea ſpicas gerit, tanquam abdomini potius quam bello vacaret: bigas agit, quod victoriam in Circo potius quam de hoſtibus quæreret: pro epigraphe* vbique Pax, *cum nulla prouincia eſſet, quæ bello non impeteretur.*

Quæ quidem explicatio, quamuis videatur elegans, felix & naturæ rei admodum conueniens, prætereaque corroborata celebritate, quam ſibi duumuiri iſti antiquarii in orbe litterato compararunt; nihilominus tamen a viris reiecta eſt eruditiſſimis, qui ei ſubſcribere haud potuerunt.

Altera expoſitio.

Nuperrime R. P. Harduinus Jeſu Socius, tam ingenii vaſti & perſpicacis elegantia, quam profunda eruditione inſignis, alteram nobis explicationem ſuppeditauit, quæ & aſſeclas ſuos & aduerſarios inueniet. Hæc autem eius verba ſunt in Chronol. ex numis reſtit: Sæculi Conſtantin. p. 118. ſqq. *Eadem PAX conſpicitur in numiſmate Gallieni aureo, eoque rariſſimo, quod eſt in Cimeliarchio Regis, cum epigraphe: GAL-*
p. 12. *LIENAE AVGVSTAE, exhibens caput gramine coronatum; facie hominis barbati & liberali oris ſpecie. In auerſa apparet Victoria bigis vecta, cum inſcriptione VBIQVE PAX. Vero quod congruit in hoc numo, hoc quidem eſt, quod ſcriptum ſit GALLIENAE AVGVSTAE loco GALLIENE AVGVSTE, in caſu quinto, ſecundum receptum tum temporis vſum, quo indiſcriminatim Æ loco E, ob ſoni ſimilitudinem adhibebatur ..... Quod gramineam attinet coronam, qua caput Gallieni ornatum, quæque, iuxta Plinium, apud Romanos erat maxime honorifica omnium, quibus bellatores*

coro-

coronabantur, symbolum ea est magnarum huius Imperatoris victoriarum. Quod verba VBIQVE PAX spectat, ea in numismatibus Gallieni occurrere ne magis quis miretur, quam in numis Coniugis eius SALONINÆ..... Id in transitu dictum esto de Gallieni numismate, quod hactenus explicatu difficillimum fuit habitum. Nonnulli imaginati sunt sibi, numum hunc continere dicterium aculeatum in effeminatam huius Imperatoris vitam. Sed id fundamento destituitur; siquidem certum est, in numismatibus antiquis, & præcipue Romanis nullos occurrere iocos, scurrile nihil, nihil grauitate & maiestate Romanorum indignum. His omnibus perpensis, si ipsi numismatum testimonio fidem habeamus, per omnia illa, quæ de hoc Principe nobis restant, agnosci debet, non fuisse in bellis fortiorem, non gratiorem populo Romano, non magis dilectum in Galliis Imperatorem Gallieno.

Hæc explicatio adeo ingeniose excogitata statim ab ortu suo habuit approbatorem, & defensorem inter antiquitatis peritos celeberrimum virum, eruditissimũ Gallandum, qui animi sui sensum in Epistola de quatuor numis nuper a Chamillardo Jesu socio cum publico communicatis p. 13. 16. ita exponit: *Sententiæ illorum, qui verba GALLIENAE AVGVSTAE & VBIQVE PAX, in aureo singularis pretii numo Cimeliarchii Regii, mollitiem Gallieno Imp. exprobrare contendunt, non possum subscribere. Cum illis enim, qui contrariam sententiam fouent, conueniendum est, quod in numis antiquis Imperatorum Romanorum seria sint omnia; itidemque cum ipsis credendum; verba GALLIENAE AVGVSTAE a sculptore posita fuisse pro vocandi casu GALLIENE AVGVSTE. Exempla, quæ numi nobis suppeditant, demonstrant, vsum tunc temporis viguisse, sæpissime AE pro E poni. Haud quidem negari potest, Imperium Romanum regnante Gallieno admodum fuisse bellis perturbatum; sed omnino etiam concedi debet, quod pax nonnumquam intercesserit, vt ex historiarum monumentis discimus. Persæ ab Odenato deuicti, atque ex tota fere Mesopotamia depulsi occasionem dederunt Gallieno, sumptu huius Principis ducendi triumphum. At tam generose illo vsus est, ei tribuendo titulum Augusti, vt vniuersam totius Romæ laudem hoc ipso promeruerit, quemadmodum ex Trebellio Pollione videre licet: quamquam insignis ciuium suorum numerus partibus illorum in Prouinciis rebellium fauebat, quilibet suo affectu proprioque commodo ductus. Publico hoc gaudio tunc temporis Romæ habito, haud admirandum*

p. 13.

videtur,

videtur, si numus ille medias inter acclamationes triumphi cusus fuerit. Concedi quidem oportet, illum cum statu titubante haud satis apte conuenire, quo tunc erant res Romani Imperii; sed adulatio non minus magna vi-
p. 14. *gebat Romæ sub Gallieno, quam fuerat illa tempore, quo Respublica in statum Monarchiæ commutabatur.*

Hæc altera expositio priorem refutat. Si enim vtique recte se habet, quod omnia in numis Imperatorum serio accipienda sint, nulla videtur veri species, numum Gallieni ex animo prauos ipsius mores ludibrio exponendi fuisse percussum. Nullibi inuenimus, quod similis numus ad vitam ignominiosam Caligulæ, Neronis & Heliogabali taxandam signatus sit, qui tamen in omnibus voluptatum generibus Gallienum admodum superarunt. Verum est, insigniter illum famæ suæ detraxisse, in primis cum plateas atque cauponas nocte percurreret, vt fecerant etiam tres commemorati Imperatores; at in aliis voluptatibus multo illis moderatior exstitit. Illorum enim vita contexta quasi erat atque concatenata crudelitate, voluptatibus, sceleribus tam atrocis famæ, vt ea nominare honestas ipsa prohibeat; Gallienus vero communiter tantum in desidia molli atque languida tempus terebat. Aut enim nihil agebat, aut ineptiis tantum & rebus nullius momenti occupatus erat.

Præterea ex historiarum quoque monumentis atque numis probari forsan poterit, bellum sub Gallieno haud quaquam fuisse adeo continuum, vt nulla pax intercesserit. Vnde iuste potuerunt auersæ numi parti VBIQVE PAX inscribere.

De cetero caput Gallieni non totum aristis exornatum est; quod Valens credidit, occasionem inde sumens, in opprobrium huius Imperatoris numum explicandi. Est enim corona, *graminea* vocata, vt optime notauit Rev. Pat. Harduinus; Quam gloriosa etiam fuerit apud Ro-
p. 15. manos corona graminea, certissime tamen indignus ea haud exstitit Gallienus. Fortem enim ac strenuum animum alacritatemque in occasionibus difficillimis & periculosis prodidit; adeo vt si voluptatibus subducere, & caput exercituum se sistere potuisset, officium magni Ducis ex asse impleuisset.

Cum eruditi in suis explicationibus conuenire inter se non possint, haud dubie in malam minime partem accipient, si confiteor, nec me

me quoque poſſe illis accedere, quamquam rationes, quæ ad refutandam primam explicationem adhibentur, ipſe approbo.

Quoniam vaſtus antiquitatis campus ab vno ſolum & dimidio ſæculo excoli cœpit, in eo adhuc multum laboris reſtat. Omnes hic opere quodam perfungi poſſunt. Et, quod plenum iucunditatis eſt, ſi quis aberrat in hoc ſtudiorum ſtadio, is certiſſimus eſſe poteſt, ſe non niſi cum voluptate in viam reductum iri, quoniam antiquarii ſunt eruditi abſque inuidia, viri politi atque honeſti; & qui penitius quam alii rem introſpiciunt, perſuaſi ſunt, in meſſem adeo laborioſam atque abundantem nunquam nimium operariorum intrare poſſe. Hoc ipſo commotus audeo tertiam hic explicationem, cum omni illa, quam celeberrimis iſtis antiquariis, auctoribus duarum priorum, debeo veneratione, proponere.

Tertia & noua expoſitio.

Circa initium huius anni prodiit altera explicatio, a clariſſimis viris Harduino atque Gallando Gallieni numo tributa, & cum tempore iſto Cimeliarchium Regium inuiſerem, vbi Principes peregrini admirabundi conſiderant incredibilem illum numiſmatum Græcorum atq; Romanorum numerum, ad auxilium illorum, qui circa hiſtoriam occupati ſunt, infinitis curis ibi collectum, rogaui Cl. Oudinetum, virum non minus inſeruiendi iis ſtudio, qui ſtudio, qui ſtudium antiquitatis tractant, quam inſigni eruditione celebrem, vt cernere mihi permitteret numum ex auro curioſum Gallieni Imp. Qui quidem viſus mihi fuit perquam elegans, curioſus, & magna attentione dignus. Neque mihi imaginari poſſum, vt prior explicatio ſupponit, ludibrii cauſa eum fuiſſe fabricatum, nec amplius etiam credere, verba: GALLIENAE AVGVSTAE, iuxta alteram, errorem eſſe monetarii, quoniam hic nimis eſſet craſſus & repetitus, quam vt, eum opifex haud potuiſſet animaduertere. Tunc ſenſi plus quam olim, me neutiquam poſſe ex duabus hiſce ſententiis vnam accipere. In hac animi ſuſpenſione nullius parti addictus aliquamdiu permanſi, donec elapſis aliquot diebus tertiam ſententiam amplecti plane inopinatus adductus ſum. Cauſa hæc fuit. Cum in Trebellio Pollione legerem hiſtoriam xxx Tyrannorum, qui contra Gallienum inſurrexerant, inueni, mulierem nomine GALLIENAE vocatam, germa-

p. 16.

nam huius Principis amitæ filiam occidisse Tyrannum Corn. Celsum, nuperrime in Africa ab exercitu Romano Imperatorem electum. Vix verba Pollionis de Heroina isthac fortissima legeram, cum in mentem mihi venit, hoc forsan nomen esse GALLIENAE in numo Gallieni collocatum. En ipsa eius verba: *Occupatis partibus Gallicanis, Orientalibus,*
p. 17. *quin etiam Ponti, Thraciarum & Illyrici, dum Gallienus popinatur & balneis ac lenonibus deputat vitam, Afri quoque autore Vibio Passieno, proconsule Africæ, & Fabio Pomponiano, duce limitis Libyci, Celsum Imperatorem appellauerunt, peplo Deæ Cœlestis ornatum.* (Nempe quod aliunde purpura non suppetebat ad amiciendum nouum Augustum necessaria, detraxerunt huius Deæ simulacro.) *Hic priuatus ex tribunis in Africa positus, in agris suis viuebat: sed ea iustitia, & corporis magnitudine, vt dignus videretur imperio. Quare creatus, per quandam mulierem, Gallienam nomine, consobrinam Gallieni, septimo imperii die interemptus est.*

Nec quicquam amplius de illa habet Treb. Pollio. Mirandum videtur, Historicos mulieris tam magnanimæ merita omnino non celebrasse. Quam diligentem enim inquisitionem institui, non potui tamen de hac Heroina aliquid amplius, ad eam proprie spectans, detegere; nisi quod satis probabile sit, eam fuisse neptem Gallieni cuiusdam, qui parens exstitit matris Gallieni Imp. si fides habenda Tillemontio, qui Tom. III. p. 590. & not. II. p. 683. contendit: *Imperatorem Valerianum generum fuisse Gallieni cuiusdam, huncceque Gallienum e numero virorum maximæ in Imperio auctoritatis, itidemque verisimillimum esse, quod Gallienus Imp. pro more tritissimo, nomen aui materni retinuerit. GALLIENE itaque ex quadam veri specie neptis est illustrissimi huius viri, qui auus maternus Gallieni Imp. fuit.*

Plura ab eo tempore in mea me coniectura firmarunt; hoc nomen
p. 18. esse fortissimæ GALLIENaE, quod in aureo numo circa caput Gallieni conspicitur; & cum primis hæ quatuor rationes.

I. Titulo *Augustæ* in numo, Gallienæ tributo, illa non indigna est. Virtus enim ista, qua qropria manu occidit Tyrannum, qui tot mala Imperio inferre poterat, dignissima erat, Augustæ elogio exornari, præterea cum etiam esset mater Imperatoris. Historia nos edocet, Gallienum dignitatem Pro-Consulis conferre Theodoto voluisse, eo quod

exer-

exercitum Æmiliani Tyranni profligaſſet ac diſſipaſſet; eundemque Augusti titulum Odenato Palmyrenorum Regi tribuiſſe, quoniam Perſas, deprædatores Prouinciarum Imperii, deuicerat. Numquid credibile eſſet, Gallienum inferiori loco habuiſſe matrem adeo illuſtrem, quæ a metuendo Tyranno eum liberauerat.

Neque nobis obiici poterit, quod titulus *Auguſtæ* vxoribus tantum Imperatorum tributus fuerit; quoniam in numis eum deprehendimus conceſſum feminis, quæ numquam exſtiterunt Auguſtæ: vti Illuſtris Spanhemius Diſſ. VII. de Vſu & Præſt. Num. demonſtrat.

Antonia auia Caligulæ, & *Agrippina* mater huius Imp. elogio Auguſtarum in numis ſuis inſignitæ ſunt.

Tres illæ Juliæ, *Mæſa*, *Soæmias* & *Mammæa*, quas nullus vmquam Imperator duxerat, itidem in inſcriptione numorum nomine Auguſtarum veniunt.

Idem honor Imperatorum filiabus concedebatur, vt ex ſola inſpectione numorum *Juliæ*, Titi filiæ, *Didiæ Claræ*, Didii Juliani filiæ, & denique ex numo *Conſtantinæ*, Conſtantini M. filiæ, cuilibet conſtabit. p. 19.

Simili diſtinctione honoris ſorores quoque Imperatorum gauiſæ ſunt. Sic *Marciana*, ſoror Traiani, Auguſta fuit vocata, eodemque titulo & ipſa eius filia *Matidia* exornata; licet tantum Imperatori ex fratre filia fuit. Hinc Illuſtris Spanhemius Diſſ. VII. p. 605.: *Indulgentioris itaque Cæſares in adfines aut coniunctas, quibus præter vxores, illud* AVGVSTAE *cognomen, adnexaque eidem priuilegia non ſemel detulerunt, & publicis etiam numorum monumentis tradi ad poſterorum memoriam voluere.*

Nulla hic itaqne difficultas: Galliena quoque non ſolum vt mater Gallieni, ſed etiam vt Heroina ſingularis meriti, quæ pereximium Imperio officium præſtiterat, ſalua conſuetudine potuit Auguſtæ titulo honorari.

II. Non adeo inuſitatum eſt, in numi inſcriptione nomen cernere cum capite ipſo non congruens. Tam multa huius rei exempla exſtant, vt mirum videatur, quod vel tantillum nos eiuſmodi difficultate morari patiamur. Vnicus translatus liber *Cæſarum Juliani Imp.* tria

in numis Imperatorum exempla nobis ſuppeditat, quæ, vt ego ſentio, nos dubitare non amplius ſinent.

p. 20. Primus eſt Neronis Imp. cum græca circa caput inſcriptione: ΑΠΟΛΛΩΝ ΑΚΤΙΟΣ. Caput eſt Neronis, nomen autem in inſcriptione Apollinis. Factum exinde, quoniam hic Imp. ſingulari veneratione proſequebatur Apollinem, gloriæque ſibi ducebat Poëtam cum eo eſſe atque Muſicum. p. 61.

Alter eſt Aureliani Imp. cuius capiti circumſcripta leguntur verba: SOL DOMINVS IMPERII ROMANI. quia re ipſa Aurelianus inſigniter confidebat Solis protectioni, quem ſibi benignum putabat; atque hiſtoria teſtatur, nihil omiſiſſe Aurelianum, quo ſua deuotione erga ipſum defungi poſſet. p. 109.

Tertius eſt Juliani Imp. eique inſcriptum: DEO SERAPIDI, ad ſingularem illam Juliani obſeruantiam erga Serapidem denotandam. p. 67.

Nonnumquam itaque in numis inſcriptiones reperiuntur, quæ aliud quam nomen capitis reſpiciunt. Hoc autem modo denotarunt honorem atque amorem plane ſingularem, quo ille, cuius faciem numus refert, Deum in inſcriptione nominatum afficiebat. Et hæc eſt ratio, cur nomen Apollinis circa Neronis caput; nomen Solis circa Aureliani; nomen Dei Serapidis circa Juliani Apoſtatæ cernatur. Hi Imperatores maiorem venerationem illis Diis quam aliis deferebant. Eos ſibi benignos putabant. Diuina ipſorum nomina circa capita ſua in numis imprimebant, vt in diem magis magiſque protectionem horum

p. 21. Deorum ſibi promererent. Eandem ob cauſam Gallienus nomen amantiſſimæ ac illuſtriſſimæ matris GALLIENAE, cui tantopere obſtrictus erat, in numis ſuis inſculpi iuſſit.

Sed, obiicit aliquis, nomen circa Gallieni caput non Dei eſt, ſed feminæ. Vbinam quæſo ſimile huic exemplum deprehendimus? Reſpondeo, in hiſtoriarum monumentis atque numis frequentiſſime obſeruantur Imperatores, diuinos honores vxoribus ſuis, ſingulariter peramatis concedentes. Nihil communius hiſce conſecrationibus & apotheoſibus. Conſtat enim, quouſque cæcitas atque ſtultitia Imperatores ethnicos perduxerit.

Elogia

Elogia *Dei*, *Deæ*, *Diuini*, *Diuinæ*, in numis græcis ac latinis forsan omnium tritissima sunt. Non semper ferebant Principes, vt post mortem demum consecrarentur. Inuenimus sæpius homines istos superbos aut monstra potius, hominis nomine ne quidem digna, titulum Dei in numis suis insolenter vsurpare.

Inter Græcos Antiochus, Seleuci Nicatoris nepos, primus exstitit, cuius insania eo vsque peruenit, vt nomen Dei sibi tribueret. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ: nec vltimus tamen ille fuit, vt ex numis Ptolemæi, Mithridatis, Antigoni & Perseos, vltimi Macedoniorum Regis cernere licet.

Heliogabalus inter Romanos nimis ideo notus est, quam vt debeat adduci; cuius sacrilegii atrocitas si excusari posset, id temporis istius ratione fieri oporteret, quo Romanæ Monarchiæ magnitudo Imperatori oculos obfuscare poterat. Sed maxime conspicuum est delirium in Aureliano atq; Caro, qui Romanum Imperium valde debilitatum atque ruinam eius ab omnibus partibus imminentem cernebant, & tamen veluti Dii cupiebant considerari. Cum horrore in ipsorum numis legimus: DEO ET DOMINO NATO AVRELIANO. DEO ET DOMINO CARO. In cimeliarchio S. Genoueuæ Parisiis numus adseruatur admodum curiosus & a Seguino adductus, in quo Germanicus vocatur *Deus*; & Agrippina, vxor eius, *Dea*. ΘΕΟΝ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ: ΘΕΑΝ ΓΑΙΟΥ ...... ΑΓΡΙΠΠΙΝΗΝ.

p. 22.

Cum hominibus istis nil quicquam vilius constaret, quam nomen Dei & sibimet ipsis & aliis tribuere; etiam Gallienus nomen Gallienæ in numo suo insculpere potuit, ex eodem genio eademque facilitate, qua antecessores eius nomen Apollinis, Serapidis & aliorum suorum tutelarium Deorum in numis imprimebant.

Forsan instabit ei aliquis, quod hic nomen sit non Dei cuiusdam sed feminæ, atque desiderabit, omnino simile huic exemplum produci, ad fidem sibi faciendam, inscriptionem in numo Gallieni nec cavillationem esse, nec lapsum monetarii. Adest nobis hoc in capite, quo difficillimis satisfacere valeamus; probatio nimirum decretoria, qua maior exoptari haud licet. Obstrictus sum Cl. Oudineto, qui in gaza regia ostendit mihi numum insignem ex ære primæ magnitudi-

nis & absque omni dubio antiquum, in quo circa caput M. Aurelii Imp. inscriptio: FAVSTINA AVGVSTA. En igitur nomen feminæ circa faciem Imperatoris, honori sibi ducentis nomen Faustinæ coniugis, vt Gallienus nomen matris GALLIENAE.

At inquies, M. Aurelius plane immoderate peramabat Faustinam. Fatendum est, M. Aurelium singularis ingenii maritum fuisse. Faustina vitam infamem solutamque degebat. Pudorem etiam omnem
p. 23. atque modestiam tam parum faciebat, vt moderatissimi quiq; ex obtrectatione quadam de patre Commodi, ipsius filii, dubitarent. Marcus enim Aurelius quantus etiam est Philosophus, perdite illam deperibat. Vnicus forsan ipse in orbe erat, qui proprium opprobrium atque illicitas vxoris delicias ignorabat. Nonnumquam eum admonebant, ne eiusmodi indolis mulieri adeo habenas remitteret; sed ille numquam zelotypia fuit ductus, aut quocunque modo vim ei intulit. Beneficiis potius accumulabat suos riuales, numero licet insignes; gratias sæpius Diis decernens, quod vxorem ipsi dederant tam simplicem tamque obtemperantem, & a qua adeo tenerrime adamabatur. Ille sane, qui in quinque diebus de morte vnius ex filiis suis iam Cæsaris consolari se patiebatur, numquam ob mortem mulieris leuamen accepit, quæ tamen ex mœrore, quod maritum veneno tollere non potuerat, mortem obiisse suspiciose credebatur. Si denique volupe fuit M. Aurelio circa caput suum in numis nomen Faustinæ huius cernere; quam optime coniecturare licet, Gallienum quoque, & maiori quidem iure pro honore sibi reputare potuisse, in numis caput suum, vt ita dicam, coronatum videre nomine GALLIENAE Augustæ.

III. Cl. Valens numum Gallieni affert, qui solus fere hanc litem dirimere posset. Auersa eius pars leonem sistit currentem cum inscriptione: *Cohors Prætoriana sextum pia, sextum fidelis.* ad quem idem annotat, quod Gallienus hunc numum adeo honorificum Prætorianis seu militibus suæ custodiæ signare iusserit in gratiam illorum amoris ac fidelitatis, tunc temporis præstitæ, quo tot Tyranni atque Principes rebelles Imperium ipsi dubium reddebant. Si Imperator in auersis suis numis elogium, Cohorti suæ custodiæ adeo gloriosum fecit insculpi, hoc tantum adductus, quod eum non deseruerat, cum tot Tyranni contra

illum insurgerent; nonne idem facere debuit pro matre tam illustri, quæ propria manu occiderat Tyrannum periculosissimum? Eo magis vt credamus adducimur, Gallienum exinde sæpissime gratum suum animum declarasse iis, qui optima ei officia præstiterant. Princeps enim iste extra controuersiam præclaro ingenio & insigni dono eloquentiæ præditus erat; quod idem est, ac si diceres, perfecte illum cognitum habuisse animum humanum, quo is possit affici, qua ratione flecti, persuaderi, adstringi. Absque his nulla datur eloquentia. Exiguum quid est militibus, nomen suum in numis Principis cernere; sed cor humanum ratione machinæ se mouet, in qua effectus perexigue motum quoque communicant cum machinis maioribus. Vix exprimi potest, quam feliciter ac callide hac arte Gallienus vsus sit ad milites in partem suam retinendos. Etiam quotidie hoc arcanum suæ politiæ exercebat, nullaque fere Legio Romana fuit, cuius nomen & symbolum in numis huius Imp. laureis coronis inscriptum non reperiatur. Hæc erat esca, qua alliciebat illos, & gratificatio, qua persoluebat alios. Sic quamquam admodum inusitatum videatur nomen mulieris circa Imperatoris caput in numo cernere, attamen considerandum est, hoc cum indole atque genio Gallieni insigniter conuenire. Quin potius mirum nobis videri deberet, si Imperator matrem suam hac singulari plane distinctione honorare, & in numis circa caput suum nomen Herois Gallienæ collocare intermisisset; ille inquam, qui tam crebro in auersis sculpi curabat Cohortum nomina fideliter sibi adhærentium. p. 24.

IV. Reperi, inscriptionem VBIQVE PAX, & victoriam alatam, currum dirigentem cum historia huius Imp. quam optime conciliari posse. p. 25.

I. Notandum est, quod Comes Mediobarbus tam præclarum Gallienæ factum & mortem Celsi Tyranni ad An. Chr. CCLXII referat.

II. Obseruari meretur, quod in hoc ipso numo, vti & in præcedenti multa acciderint, quæ titubans Imperium restaurabant, quæque multum tranquillitatis Romanorum prouinciis, & Romæ iucundũ satis interuallum pacis afferebant.

Sane ab Anno CCLXII. Macrianus plane deleuit Gothos, adeo vt ex Imperii Prouinciis se reciperent. Ipse vero Macrianus victoriis

suis

suis inflatus cum Occidentem quoque, vt Orientem sibi subiecerat, occupare vellet, victus fuit, atque ab exercitu Aureoli, quem Gallienus contra eum miserat, cum filio occisus.

Odenatus interim iussu Gallieni residuos rebelles persequens, portas Emesæ sibi aperiri curauit, Betumque, alterum Macriani filium, ad eam confugatum, ibi sustulit.

Balistas alius Tyrannus, qui itidem in vrbe Emisa munitionibus se firmauerat, manus dedit, & gratiam expetiit. Odenatus veniam ei concessit, & illum contra Persas misit, quos etiam percussit adeoque fugauit, vt non ausi sint amplius in conspectum venire.

Nec successu infeliciori res eius in Aegypto gerebantur. Aemilianus, ibi Imperator declaratus, statim ab exercitu, quem Gallienus illuc miserat, profligatus fuit. Ipsemet Gallienus, Roma profectus Gal-
p. 26. liam petiit, bellum inferens Postumo, qui sæpius victus in fuga salutem sibi quærebat.

Anno CCLXIII Gallienus, ex Gallia redux, Byzantium, a qua offensus erat, puniuit; & Æmilianum, qui etiamnum in Ægypto sese tuebatur, Theodotus a Gallieno ad hanc expeditionem electus aggressus est, & victum captumque Gallieno transmisit, qui, vt moris olim erat Regis bello captos tractandi, in carcere eum laqueo suffocare iussit.

Scythi adeo formidandi, quique nuperrime totam Asiam peruagauerant, tam crebro ab exercitibus Romanis cædebantur, vt tutius sibi ducerent, in terram suam reuerti.

Eodem denique tempore fortissima Galliena Celsum Tyrannum propria manu occidit, qui Africam Imperio Romano eripere studebat.

Ecce igitur haud iuterruptam seriem felicitatum satis, vt mihi videtur, magnarum. Etiam Gallienus, Romæ redux, ob victoriam per Odenatum a Persis reportatam duxit triumphum, & decimo Imperii sui anno ludos celebrauit infinita magnificentia. Itemque tunc temporis remunerationem iis detulit, qui & virtute & fidelitate alios longe post se reliquerant. Sic Theodotum, qui vicerat Æmilianum, titulo *Pro-Consulis* honorare secum constituerat; sed Senatus, supersti-

tione

tione ductus, ei ſe oppoſuit. Odenatum vero, qui Orientem ipſi conſeruauerat, Auguſtum declarauit, adeoque hunc Romanis gratiſſimum Principem imperio adiunxit.

Satis vero ſimile eſt inter has lætitias publicas, eoque tempore, quo omnes Imperii fines confirmatæ videbantur, in Gallia nimirum, Oriente, Ægypto atque Africa, numum Gallieni cuſum fuiſſe cum no- p. 27.
mine GALLIENAE; & tunc quidem omnia congruebant, vt auerſo numo iure inſcriberetur victoria, additis hiſce verbis: VBIQVE PAX.

Neque neceſſe erat, omne omnino bellum ceſſaſſe, pacemque floruiſſe vniuerſalem numero arithmetico, vt in numis iuſto adhiberi poſſit VBIQVE PAX. Credo enim, idem iudicium de eo ferendum eſſe, ac de Jani templo, quod, priuſquam vniuerſa pax per totum imperium vigebat, nefas erat claudere. Nihilominus cum ſub Auguſto primum clauderetur; *adhuc*, inquit Tillemontius Tom. I. Impp. p. 4. ſeqq. *nonnulli motus erant in Gallia, Hiſpania aliiſque in locis; ſed qui ab magnitudinem imperii parui habebantur. Itidemque contenditur*, eodem referente alibi (p. 31.) *Neronem Anno LVIII. illud clauſiſſe, quamquam nulla pax tunc aderat.*

Neceſſe eſt, pacis interualla fuiſſe Gallieni imperio, cum curioſis conſtet de viginti fere numis tum Imperatoris, tum Saloninæ eius vxoris, in quibus legitur: PAX AVGG. PAX AETERNA. PAX FVNDATA. PAX AVGVSTI. PAX PVBLICA. PAX AVG. AVGVSTA IN PACE. PACATOR ORBIS.

Verum quidem eſt, quod Cl. Valens p. 387. affirmet, numum Saloninæ cum AVGVSTA IN PACE ſimiliter in ludibrium Saloninæ eſſe ſignatum, quemadmodum in Gallieni numo factum, cui inſcripta verba ſunt: VBIQVE PAX. Sed hæ facetiæ nimis extenſæ videntur; nam præter argenteum a Valente adductum numũ, alii exſtant duo diuerſi ex argento atque ære, in quibus & caput Saloninæ & verba: VBIQVE PAX. Sic nulla adeſt veri ſpecies, quod vnquam poſſit ſufficienter pro- p. 28.
bari, tot diuerſos numos in riſum eſſe cuſos, eo nimirum tempore, quo ſimillimum huic exemplum nullum inuenire nobis datum eſt.

Inſignem fateor me animaduertere differentiam inter Gallienum, quem hiſtoriarum monumenta; & illum, quem numi nobis repræſentant. Quantam ei infamiam adſpergunt hiſtorici, tantis virtutibus

illustris apparet in numis, quorū inſcriptiones atq; Symbola Imperatorem referunt magnificum & vndiquaq; felicem. Infinitam contrarietatem inter hiſtoriam numoſque inuenio. Optarem vt aliquis nos ex hoc ambiguo extricare in ſe ſuſciperet, ſimulq; oſtenderet, a cuius parte error iſte ſit.

Equidem certum eſt, numis ſemper adulationis aliquid ineſſe; neque magnopere mirandum, Gallienum extolli in numis, qui ſub auſpicio ipſius auctoritateque percutiebantur in ſede Imperii, Romæ, cuius per omne tempus abſolutiſſimus dominus fuit. At itidem fateri cogimur, ne minimam quidem veri ſpeciem adeſſe, quod auſi fuerint veteres numis imprimere res e diametro aduerſas iis, quæ Monarchiæ acciderant; atque in illis Imperatorem ſiſtere ſemper victorioſum, magnificum, felicem, inuictum; qui tamen numquam non mollis fuit, effeminatus, remiſſus, victus, infelix. Quod de monumentis publicis tamque venerandis, vt quidem ſunt numiſmata, haud ſuſpicari licet. Vt enim potius de ſinceritate Trebellii Pollionis dubitem, facit illa, quæ inter numos atque inſcriptiones reperitur, concordia. Cernimus apud
p. 29. Goltzium *in Theſauro Rei Antiqu.* inſcriptiones dicatas MAGNO ET INVICTO GALLIENO AVG. COS. VI. DESIGNATO VII. GALLIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI, ET SALONINAE SANCTISSIMAE AVG. NVMINI, MAIESTATIQVE EORVM. Sic difficultas omnis adhuc remanet, & iuſta cauſa quærendi, cur hiſtoria cum numis hoc in capite parum conueniat.

Forſan probatu non adeo difficile eſſet, Trebellium Pollionem incredibiliter propenſum fuiſſe ad inferendum Gallieno iniuriam. Saltim, quod clariſſime apparet, tam inique de hocce Imperatore iudicabat, vt indeſinenter actiones eius etiam innocentiſſimas in malam partem interpretatus ſit. Sane quæ de iis ſcripta reliquit, plus Satyram ſapiunt quam hiſtoriam.

Neſcio, annon falſus iſte conceptus, qui Pollioni placuit, & cui omni feruore inſiſtere voluit, eius ingenium paullulum corruperit in eo, quod ad Gallienum ſpectat, negotio. En tibi rationem. Trebellio Pollioni Tyrannorum, qui Gallieno imperante inſurgebant, hiſtoriam deſcribere ſe accingenti, mente obuenerunt triginta Tyranni, a Lacedæmoniis conſtituti Athenis, cum Lyſander eas expugnaſſet. Hi

XXX.

XXX. Tyranni Athenis, celebres in historia græca, Pollionis commouerunt animum, vt elegantiam crederet, statum Romanum sub Gallieno cum statu Atheniensi sub Lysandro comparare, atque in historiam Romanam inducere XXX. Tyrannos æque ac in historia græca factum videmus. Et hæc quidem via est, quam ingredi sibi proposuit, quamq; vt absolueret, necessario XXX. Tyrannos excogitare debuit; ad cuius numeri complementum *Valentem* quendam, contra Decium rebellem, & circa tempus istud occisum in scenam produxit; itidemque *Ciriadem*, qui Valeriani ætate caput extulit, & *Censorinum*, post Gallienum demum sub Claudio exsistentem. Vossius pater, de tormento loquens, quo ingenium suum Pollio vexauerat, vt XXX. istos inueniret Tyrannos, affirmat, ad summum illorum modo esse septem & viginti. Tillemontius vero, qui maiori cura horum Tyrannorum numerum examinauit, in notis ad Gallienum p. 701.: *Tantum*, inquit, *septemdecim illorum numerandi sunt.* Ex quo facillime diuinare possumus, quantum a veritate historica recedere coactus fuit Pollio, vt numerum XXX. Tyrannorum adimpleret; adeoque multiplicare hostes Gallieni, ipsumque semper infelicem, semper pigritia immersum atque voluptatibus, vniuerso perodiosum mundo, & ad res prudenter gerendas inanimatum repræsentare. Perspicimus, quanti id constiterit huic Imperatori, & quantum eius historia deformata sit in scriptis auctoris, materiam suam scenæ imaginariæ, quam perperam sibi finxerat, applicantis; non aliter ac architector, qui regula duntaxat plumbea vtitur, & cum iuxta normam murum exstruere debeat, eam potius incuruat, muroque accommodat. Ipsi Pollionis amici ei ostenderunt, quod ideam materiæ suæ minime conuenientem sibi elegisset, & ad illam explendam coactus fuerit incidere in anachronismos, & sub Gallieno locare euentus, qui regnum eius aut præcesserunt multum, aut longe post demum acciderunt. Itidemq; ei vitio verterunt alii, quod duas feminas, vtpote Zenobiam atque Victoriam produxisset, vt numerum XXX. integrum redderet. Hæc crisis ipsi oculos aperuit, eumque, vt suam de XXX. Tyrannis historiam retractaret, induxit; remanserunt tamen in illa notæ præoccupatæ & pertinacis mentis, qua necessario XXX. Tyrannos sub Gallieni regno inuenire voluit. Adeo vt, si de eo, quem nimia fide ipsi præstitimus, animi affectu aliquid detrahe-

p. 30.
p. 31.

 trahe-

traheremus, ius suum huic Imperatori, non satis ei hactenus solutum, redderemus.

Sed quod verba: VBIQVE PAX, neque per derisionem, neque per antiphrasim, aut, si mauis contra veritatem in hoc aureo numismate inscripta sint, abunde demonstrat alius itidem ex auro numus, a Mediobarbo Comite productus, in honorem Gallieni percussus; itidemque Ill. Spanhemius, cum testatur, vidisse se in Mediceo Cimeliarchio aliquem similiter cum VBIQVE PAX, quæ rem plane decidunt omnemque de ea contentionem tollunt.

Ex istis iam adductis liquet, hic nihil esse vel moribus vel vsui etiam Romanorum aduersum, quod, ad consecrandam æternitati memoriam Herois Gallienæ, nomen eius in numo circa caput regnantis Imperatoris collocauerint, quodque in eo pacis interuallo, qua iucundiore Romani a longo tempore vix fruiti sunt, auerso huic numismati victoriam inscripserint & litteras: VBIQVE PAX; in primis si mente expendamus, quam procliuis erat Romanus populus ad adulandum suos Imperatores, atque ex admodum exiguis permagna sæpe merita faciendum.

Denique verba Juliani: *Gallienum intrasse ad conuiuium Deorum stolatum ingressu muliebri*, tantum absunt, vt priori faueant sententiæ, vt ei potius auersentur. Si enim numus iste ideo percussus esset, vt mollem effeminatamque vitam Gallieno exprobraret, muliebrem ei habitum induissent numi cusores, vt a Juliano factum, qui excellebat in conscribendis Satyris. Hoc naturæ rei conuenientius fuisset, & multo aptius, Gallienum omnibus infamem reddere.

p. 32. Spero me Tibi, Vir Illustris, haud molestiam creasse, quod Gallienam, dignissimam consideratione, ex obliuione reuocauerim, in qua eam Historici reliquerant. Fata eius admirandi aliquid præ se ferunt. Vix enim post obliuionem quatuordecim sæculorum lucem adspexit, cum etiam notata fuit infamia. Cl. Tillemontius, eius mentionem faciens, rem admodum malam de illa suspicatur, eam nimirum ad motum Celsi symbolam suam contulisse: Videtur, inquit Tom. III. Impp. p. 473. *Gallienam quandam Gallieni consobrinam Celso induisse purpuram.* Locus, in quo Pollius de ea loquitur, aliquid obscuri habet; sed si eum accurate paullulum expenderis, cognosces, Vibium fuisse Possienum,

Fabi-

Fabiumque Pomponianum, qui Celsum, vt Imperatorem se vocaret, incitarunt; & Gallienam ipsum septimo imperii die occidisse.

Exoptarem Tibi, Vir Illustris, numum Herois huius Romanæ. Justissimum sibi locum inter numos tui cimeliarchii vindicaret. Monumenta tam insignis rariratis & pretii, merito Principibus tantum conueniunt, vt illi, qui historiam tractant, hæcce consulere queant; aut eiusmodi viris, quibus veluti Tibi æstumatissima quæque in scientiis atque liberalibus artibus optime constant, quique norunt æque æstimare omnia, quæ exasciata eruditaque sæcula Athenis pariter atque Romæ elegantis ingenii pretulerunt. Quod superest omni veneratione atque amore permaneo

Vir Illustris

Versaliis An. MDCXCVIII. d. 21. Aprilis.

Tui obseruantissimus

P. L.L. de VALLEMONT. P.



XX.

GALLANDI EPISTOLA

De noua explicatione numi cuiusdam aurei in Gaza regia.

Gallice prodiit Cadomi 1698. in 8.

p. 3. VIRO CLARISSIMO

OVDINETO,

Numiſmatum antiquorum & hodiernorum in Gaza Regia Cuſtodi.

PErſuaſeram mihi, Vir clariſſime, duas tantum modo partes nos am-
plecti poſſe ad explicandum rariſſimum ex auro numum Gallieni in
Cimeliarchio regio, cuius inſcriptio eſt GALLIENAE AVGV-
STAE; illam nimirum, quæ Illuſtri Spanhemio & Jo. Valenti compla-
cuit, & alteram, cui, vt mihi viſum fuit, tutius poſt Harduinum acce-
dimus. Sed video, Abbatem Vallemontium, qui non minus cognitio-
p. 4. ne antiquorū numiſmatum probe ſe inſtructum, quam in ſecretis Phyſicis
maxime abſconditis verſatiſſimum oſtendit, tertiam partem arripuiſſe in
noua illa per Epiſtolā plane eruditam publico nuper expoſita explicatione.

Abbas Dangellus, (*Dangeau*) qui in oris hiſce ante paucos dies adue-
nit, hanc epiſtolam accepit, poſt eius Pariſiis ſeceſſum impreſſam, eamq;
cum Ill. Focalto communicauit. Iſta occaſione & ego illam perlegi;
perlectaque iudicaui, quod iſthæc haud dubie quartam quoque partem il-
lorum ſit conſtitutura, qui conuenientius putabunt, ex diuerſis, quas Vi-
ri adeo doctiſſimi, vtpote Spanhemius, Valens, & Abbas Vallemon-
tius, fouent ſententiis nulli ſe addicere.

Statim mater Gallieni apud Trebellium Pollionem videtur ſe
offerre feliciter ad deſtruendum duas priores numi noſtri explicationes:
p. 5. quarum hæc naturæ rei inconueniens; illa coacta apparet, quippe quæ
errorem orthographicum in inſcriptione relinquit; cum contra, con-
ſobrina Gallieni admiſſa, explicatio naturæ rei, eique quod intendit, per
quam conueniat.

Verum quidem eſt, Gallienæ elogium Conſobrinæ Gallieni, quod
diſertis verbis Pollio ipſi tribuit, haud poſſe detrahi. Sed ſi paulo ac-
curatiores textum auctoris examinamus, inveniemus Gallienum maiori
iure eam deteſtari debuiſſe, quam eo afficere honore, quem delatum
illi volunt. Sane loco matris tam magnanimæ, ut eam repræſentant, per-
fidam magis exhibuiſſe ſe conſtat, quippe quæ filium Imperio exuere
geſtiebat, felici tantum ſucceſſu in pernicioſo ſuo propoſito deſtituta.

En

En tibi locum, in quo Trebellius, de electione Celsi loquens, hu- p. 6.
ius actionis meminit. *Quare creatus per quamdam mulierem, Gallienam nomine, consobrinam Gallieni, septimo die interemptus est.* Hac ratione: nulla distincto post *creatus* exstat; quod adeo ad verba? *per quamdam mulierem*, non autem ad *interemptus est* pertinet, iuxta sensum, quem huic loco Vallemontius tribuit. Trebellius itaque Pollio noluit dicere, Celsum Tyrannum a Galliena esse interfectum; sed quod thronum adscenderit eius internuncio atque sollicitatione, apud Vibium nempe Passienum Fabiumque Pomponianum, quos voluntati suae vt obtemperarent promtos inuenit. Non bona latinitate dicitur, *per aliquem interemptus*, ad significandum, *occisus manu alicuius*; quam o- p. 7.
ptime vero, *creatus per aliquem*, ut eleuationem denotet ad dignitatem quamdam interuentu & sollicitatione mediatoris.

Abbas Vallemontius in traductione sua obseruat, proclamationem Celsi sollicitatione Vibii Passieni, Africae Proconsulis, factam esse; quamuis textus ipse habet, *autore Vibio Passieno*, quod simplicem ex ipsius parte sollicitationem non potest significare. Volunt solum modo verba: Passienum suam, qua vnice atque eximie apud Romanos exercitus in Africa pollebat, auctoritatem impendisse; eodemque tempore, cum copiae istae sui iuris essent, haud ipsi fuisse factu difficile, vt Gallieni iugum excuterent, Celsoque se subiicerent. Quae postea de Galliena adduntur, indicant, eam Vibio Passieno, Fabioque Pomponiano hunc motum persuasisse, haec enim est significatio verborum *creatus per* &c. vti iam p. 8.
notaui.

Trebellius Pollio, qui omni occasione animi sui motus contra famam Gallieni gestiebat prodere, prauum Gallienae factum satis indicat, cum de illa admodum contemtim dicit: *per quamdam mulierem*, quae Abbas Vallemontius in versione sua omisit, licet omnino in opprobrium Heroinae eius dicta sint. Ad summum si phrasin *per quamdam mulierem* ad *interemptus est*, referre velles, simpliciter tantum denotaret, Celsum cura Gallienae, non autem propria ipsius manu occisum fuisse. Sed verba Trebellii hoc sensu peregrino non possunt accipi.

Si obiicis, Gallienam & suo honori & proprio commodo admo- p. 9.
dum male consuluisse, cum Gallieni interitum procuraret, integrum &

mihi

mihi erit quærere, quid ipſi erat in Africa? Cur apud Parentem non degebat, atque ibi locum, ex conſanguinitate ei legitimum obtinebat? Nonne exinde ſatis clare liquet, quod diſſidium inter illos floruerit, & Gallienus in Africam relegauerit Gallienam, ſeu ad minimum Galliena, offenſione ab eo accepta, voluntario ſe ipſam relegauerit, vt contemtui, cui alioquin Romæ eſſet expoſita, longe ſe ſubduceret? Africa non erat commoratio pro parente Imperatoris. Ipſis honorum fontibus adeſſe debebat, quos iure meritoque de hac cognatione, h. e. apud Gallienum exſpectare poterat.

At, inſiſtat aliquis, quamquam Galliena vel iuſſu Gallieni, vel etiam proprio motu in exilium abierit, potuit tamen vt pacem ſibi pro-
p. 10. curaret, & in gratiam cum eo rediret, hoc præclarum, quod ei tribuitur, factum ſuſcipere atque conficere. Trebellius Pollio nil quicquam profert, ex quo hæc ei adeo benigna ſententia peti poſſet; e contrario ſufficienter id, quod de illa credendum nobis eſt, demonſtrat. Longe ſane aliter mentem ſuam expoſuiſſet, ſi Gallienæ virtutem, cuius ſocordiam ſatis aperte detexit, elogiis voluiſſet extollere.

Accedit, quod in Paganiſmo incognitum eſſet inimico ſuo ignoſcere, & ſibi beneficiis ipſius impetrare amicitiam. Potius omnia vindictæ exercendæ media inquirebant, rariſſime oblatam e manibus ſibi excidere permittentes. Quibus addo, Gallienam fuiſſe muliebris ſexus, adeoque ad vindictam viris propenſiorem.

p. 11. Sed ſi Galliena huius coniurationis fuit particeps, cui itaque ob interfectum Celſum obſtrictus erat Gallienus? Statu etiam corruptiſſimo, in quo vmquam res Principis legitimi eſſe poſſint, ſemper reperiuntur viri, qui vel ex vero erga ipſum amore, vel ex odio mutationis eius commodo inſeruiunt; & Gallieno tunc in Africa fideles nonnulli erant, incolæ nimirum aut milites potius Romani vrbis Siccæ, iuxta teſtimonium Trebellii, qui illis, a Vallemontio Abbate ad probandam ſuam ſententiam adductis ſubiungit, de fato, quod Celſi obuenit cadaueri, loquens: *Corpus eius a canibus conſumptum eſt, Siccenſibus, qui Gallieno fidem ſeruauerant, perurgentibus.* Quamquam enim auctor iſte perquam conciſus
p. 12. ſit, & in omnibus, quæ ſcripſit, vix quoad dimidiam partem animi ſui ſenſum exprimat, attamen hoc in loco ſatis manifeſte docet, hos fideles Gal-

lieni

lieni ſubditos, qui Celſum ſepulcro honorare impediuerant, vitam quoque ipſi eripuiſſe.

Ex his omnibus a nobis dictis ipſe cognoſcere potuiſti, Vir clariſſime, quod Abbas Vallemontius haud probe intellexerit ſenſum loci è Treb. Pollione; & quoniam præterea eius verſio defectu laborat, exoptas forſan, vt accuratiorem hic Tibi ſiſtam, vtque omiſſa ab illo addam, ne aliquid explicem, quod eius expoſitioni iniuriam poſſet facere. Primo loco ipſum textum afferam, vt eo faciliorem comparationem inſtituere queas.

Occupatis partibus Gallicanis, Orientalibus, quin etiam Ponti, Thraciarum, & Illyrici, dum Gallienus popinatur, & balneis ac lenonibus deputat vitam, Afri quoque, autore Vibio Paſſieno Proconſule Africæ, & Fabio Pomponiano Duce limitis Libyci, Celſum Imperatorem appellauerunt, peplo Deæ cœleſtis ornatum. Hic priuatus ex Tribunis in Africa poſitus, in agris ſuis viuebat; ſed ea iuſtitia, & corporis magnitudine, vt dignus videretur imperio. &c (*a*). p. 13. & 14.

Sic tantum abeſt, Vir clariſſime, vt Galliena propria manu interfecerit Celſum, quemadmodum Abbas Vallemontius ex textu Trebellii Pollionis male intellecto collegit, ſi verum eſt, vt numquam dubitandum, Gallienam excitaſſe coniurationem contra Imperium tam exiguo tempore inſtitutam; vt potius certiſſimum ſit, nouam numi Gallieni explicationem a Vallemontio propoſitam ſubſiſtere haud poſſe, neque ipſi mirum videri debeat, hiſtoricos feminæ non celebraſſe merita, quæ nihil minus quam adeo generoſa exſtitit, vt ipſi viſa fuit. Itidemque certum eſt, quod nec priores duæ expoſitiones ictum quendam perceperint, & vnicuique pro genio ſuo animique affectu liberum fuerit, hanc val illam ſequi. p. 15. p. 16.

Poſt hæc, quamuis, fundamento nouæ explicationis huius numiſmatis ſic euerſo, videatur, nos hic ſubſiſtere poſſe, atque argumenta ad eam ſtabiliendam adducta præterire ſilentio; nihilominus tamen & illa quoque ſub examen vocare, illorumque infirmitatem oſtendere mecum conſtitui.

(*a*) Poſt hæc ſequitur Gallandi translatio, quam hic omiſi, ne idem bis repetam.

Et primum quidem adhuc dico, quod, vt credamus, Gallienum titulo Augustæ exornasse Gallienam, hoc necessario ex aliis præter illum numis, ex quo contenditur eam sic vocatam fuisse, debeat ostendi. Pauci sunt Imperatores, quorum numi ex tribus metallis numos Gallieni numero superarent, qui non minus multi græci quam latini reperiuntur. Gallienus, qui memoriam tot Legionum ipsi adhærentium, ob virtutem atque fidelitatem consecrauit æternitati, virtutem quoque Gallienæ, si illud ea ratione promeruisset, vt Abbas Vallemontius credidit, numis insculpi neutiquam intermisisset. Respondebit quidem, Gallienum hoc fecisse, vt constat ex numo cimeliarchii regii, quem æri curauit tradi. At quanam quæso ratione hoc credamus, cum numus caput Gallieni repræsentet, non faciem Gallienæ? Congruentius diceretur, quod Præfectus aut cusor monetæ circa inscriptionem errorem commiserit. Similes huic errores in aliis quoque numis occurrunt, vt Harduinus notauit, & quorum exempla ego ipse adduxi.

p. 17.

Magis quoque me confirmat, Romanos isto numo minime voluisse Gallienam honorare, quod in alio quodam Saloninæ, vxoris Gallieni, non legatur SALONINAE AVGVSTAE; sed SALONINA AVG. CORNELIA SALONINA AVG. licet in numis aliarum Augustarum inscriptiones circa ipsarum capita promiscue primo, secundo & tertio casu positæ sint, quarum exempla tamquam satis obuia nil attinet adducere. Sed veniamus ad argumenta Abbatis Vallemontii.

p. 18.

I. Equidem Cl. Abbati Vallemontio denegari non potest, titulum *Augustæ* matribus & auiis, vxoribus, item filiabus ac sororibus horum, quos nominat, Imperatorum fuisse datum. At numquam illum tribuerunt Augusti germanis suis consobrinis siue ex parte paterna siue materna; & de Galliena aliquid fuisset singulare, si veritati conueniret, Gallienum sibi satis sincere proposuisse, hoc eam elogio honorare. Interim fatendum est, hunc illam promeruisse honorem, si Celsum vita priuasset, aut quocunque alio modo mortis ipsius causa exstitisset, quin & videtur, nihil, quo minus id faceret, Gallienum impedire potuisse. Sed pro remuneratione adeo digna haud dubie deprehenderemus exemplum, quod de ea Gallienus statuit, si vitæ eius historia ad nos peruenisset amplior & completior, quam hodie exstat.

p. 19.

Quod

Quod ad indulgentiam attinet, quam Romanorum Augustis exprobrant, illos titulum Augustæ tam liberaliter cum feminis Principibus suæ familiæ comunicasse, haud dici potest, quod hoc ipsis in opprobrium cesserit, aut de auctoritate aliquid detraxerit. E contrario, quo frequentius eum consanguineis suis conferebant, eo insigniorem sibi honorē comparabant.

II. Nescio, qua ratione Abbas Vallemontius affirmare potuit, *haud adeo singulare illud esse; in numi inscriptione cernere nomen capiti non conueniens.* Sane exemplis, quæ ipse attulit, nondum conuictus sum. p. 20.

Illustrissimus Focaltus in cimeliarchio suo asseruat numum Aureliani a Vallemontio adductum cum inscriptione: SOL DOMINVS IMPERI ROMANI. Illa tamen non circa caput Aureliani Imp. sed circa faciem Solis iuuenis capillis promissis absque corona radiata repræsentati legitur. Sic nomen capiti descripto conuenit, & Aurelianus in auerso cernitur ad tripodem, igne accenso instructum sacrificans, addita inscriptione: AVRELIANVS AVG. CONS. nullusque dubitandi locus remanet, quin Soli, veluti Domino Imperii Romani sacrificet.

Hunc numum quoque Mediobarbus Comes eadem ratione descripsit, neque dubito, Illustrem Spanhemium simili eum modo in Cæsaribus Juliani Apostatæ citasse. Hanc ob causam non cum Vallemontio inscriptionem explicarem: *Sol est Dominus Imperii Romani*, vt alienum istum, quem tribuit ei sensum exinde exsculperem; sed potius: *Sol Dominus Imperii Romani*, quoniam illa re vera circa caput Solis, non vero circa faciem Aureliani collocata est. p. 21.

Hic quidem numus solus est, qui, quantum constat, Soli gloriosum Domini Imperii Romani titulum adsignat. At quod Romani eum, præcipuum Imperii sui Dominum agnouerint, ne vel tantillum dubitare licet, cum in numis illorum Imperatorum nimis frequenter repræsentatus est. Cernimus in iis ipsum iam capite tantum nudo, vt in hoc Aureliani numismate, iam capite radiato, iam statura integra cinctum itidem radiata corona siue stantem, siue gradientem, siue etiam magna currentem celeritate, prout diuersi rerum status eo, quo numi percutiebantur, tempore id exigebant; dextra extensa aut eleuata & explicata, flagellum aut globum sinistra tenentem, qui solus satis indicat, eum a Romanis Imperii Dominum agnitum fuisse, adeo vt haud necesse esset p. 22.

aliter eum depingere. Nonnumquam iſt etiam cum vno vel duobus ſeruis ad pedes aius decumbentibus apparet.

Atque hi omnes typi ſæpius nobis ſiſtuntur abſque vlla alia inſcriptione præter litteras P. M. TR. P. ac reliqua, & communiter cnm verbis: ORIENS, ORIENS AVG. ORIENS AVGVST. SOLI INVICTO. SOLI INVICTO COMITI. INVICTVS; quæ in numis Imperatorum
p. 23. quamplurimis ab Hadriano vſque ad Conſtantinum inueniuntur, poſt quem non amplius eiuſmodi ſigna Paganiſmi reperimus. Sol cum inſcriptione: INVICTVS in ſolis Victorini Patris & filii numis occurrit. Horum vnum argenteum, aliumque ex ære, qui ad patrem ſpectant, Mediobarbus attulit; tertium vero, filium reſpicientem, itidem ex ære Ill. Focaltus poſſidet.

De duobus aliis numis, quorum vnus eſt Neronis cum inſcriptione ΑΚΤΙΟΣ ΑΠΟΛΛ Ν, alter Juliani Apoſtatæ cum duabus hiſce vocibus: DEOSERAPIDI nil quicquam poſſum dicere; quoniam hic mihi non ad manus ſunt Cæſares huius Imperatoris cum Ill. Spanhemii Commentariis ex quibus Vallemontius eos deſumſit.

Illuſtriſſimus vero Focaltus in ſuo cimeliarchio numos Neronis aſſeruat in Aegypto percuſſos cum inſcriptionibus: ΑΚΤΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝ,
p. 24. *Actius Apollo:* ΠΥΘΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝ, *Pythius Apollo;* ΖΕΥΣ ΙΣΘΜΙΟΣ, *Jupiter Iſthmius:* ΔΙΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΥ, *Jouis Olympii:* ΗΡΑ ΑΡΓΕΙΑ, *Juno Argiua:* ΔΗΜΗΤΕΡ, *Ceres.* Sed iſtæ circa capita aut ipſos Deos, non autem circa Neronis faciem ſunt poſitæ, quæ in auerſis cum nomine eius atque *dignitatibus* repræſentatur? adeo vt iſtæ haud conueniant cum ea, quam Abbas Vallemontius produxit.

Nihilominus tamen, quod ad numum Juliani Apoſtatæ attinet, qui cum aliis quatuor eiuſdem Imp. numis in cimeliarchio Focaltino exſtat, & circa caput verba habent, DEO SARAPIDI & DEO SERAPIDI: nam juxta numos atque inſcriptiones latinas & *Sarapis* & *Serapis* dicitur: videtur mihi, inter eos vnum ſaltim reperiri, qui characterem
p. 25. numi præfert, quem Abbas Vallemontius in Opere Spanhemii deprehendit.

Prius vero quam de hiſce numis ſermonem inſtituimus, vel in tranſcurſu notabimus, quod Antiquarii illos Juliano Apoſtatæ tribuant, fabri-

fabrica ipsorum ducti, quæ cum structura numorum, a Constantini M. tempore cusorum conueniens, huic tantum modo tempori soli tribui potest, quo Imperator iste rebus præfuit, ob typos Paganismi, quem amplexus fuerat, & in detrimentum Christianæ religionis restaurare conabatur, cui iam primum locum concesserat Constantinus, cum eam esset publice professus.

Primus e quatuor numis supra memoratis, qui ærei sunt tertiæ magnitudinis, inscriptionem gerit DEO SERAPIDI duasque facies iugatas exhibet, quarum vna est Serapidis cum modio & barba, eadem ratione, qua in aliorum Imperatorum Romanorum numis, qui p. 26.
eum præferunt, cernitur, hoc est, ductibus ipsi conuenientibus, quibus cum capite Juliani Apostatæ multa intercedit similitudo. Altera est Isidis cum loto. Auersa vero pars inscriptionem sistit VOTA PVBLICA, & Isidem sedentem, quæ Orum paruum genubus sustentat.

Alter numus priori minor cum inscriptione DEO SERAPIDI, Serapidis tantum faciem eadem, qua supra forma atque figura repræsentat absque vllis, qui Juliani conuenire possent ductibus. Auersa pars, cui itidem inscripta leguntur VOTA PVBLICA, Isidem ostendit stantem in naui (*b*), vtraque manu eleuantem velum vento inflatum, & quoad infimam eius partem naui adstrictum; qualis typus in numis Ægy- p. 27.
ptiacis multorum Imperatorum, vti & in nonnullis Vrbium Græcarum sæpe cum repræsentato Pharo ante proram nauis occurrit. Hinc Isis vocatur *Faria* in variis numis structuræ huic similis tempore percussis Juliani Apostatæ, de quo loquimur, qui in cimeliarchio Focaltino reperiuntur.

Tertius eiusdem cum priori magnitudinis & inscriptionis, DEO SERAPIDI itidem caput Serapidis exhibet, sed imberbe, & capillis paullisper prolixis; adeo vt pro Solis facie posset accipi, nisi modius adesset. Constat enim, Serapidem atque Solem vnum fuisse eundemque Ægyptiis, vt quartus numus magis peculiariter prodit; de quo non magis quam de duplici priori capite dici queat, eum vel minimam cum Juliano p. 28.
Apostata habere similitudinem. Auersa pars inscripta sistit VOTA PVBLICA & nudum repræsentat Deum Harpocratem, qui dextram

(*b*) Ectypon huius numi vid. ap. Patinum Impp. Num. p. 384.

ori admouet, ad designandum silentium, cuius ille est symbolum, atque cornu abundantiæ, quod sinistro brachio complectitur.

Quartus numus paulo maior duobus prioribus, & primo minor caput cum modio præfert cinctum corona radiata & capillis promissis, instar capillorum Apollinis seu Rhodiorum Solis cincinnatis, in cuius facie nonnulli ductus Juliani Apostatæ obseruantur. Sed hi adeo tenues sunt, vt sæpius te vidisse faciem huius Imperatoris necesse sit, priusquam ex iis eam cognoueris. Ex paludamento etiam, quo ad pectus
p. 29. vsque amictus est, vt distinguatur a præcedentibus cum pallio conspicuis, itidem cernimus, quod Julianum Apostatam habuerint comprehensum animo, cum eum repræsentarent. Sed dicere, illud verum esse caput huius Imp. inscriptionemque aliud quam nomen capitis continere, de eo credo, nullum vmquam cum Vallemontio Abbate conuenire posse. Qui faciem Juliani Apostatæ numquam vidit, nec in hac ipsa ductum quendam naturalem deprehendet. Potius agnoscet ductus capitis cuiusdam Dei, quam exigua etiam ipsi sit cognitio numorum, statuarum & gemmarum antiquarum. Ex hac obseruatione iudico, etiamsi numum Neronis cum inscriptione ΑΚΤΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝ non viderim, cum eo ita esse comparatum ac cum illo, de quo in præsenti loquimur, nu-
p. 30. mismate. Sic Abbas Vallemontius propositam suam sententiam parum firmasse videtur.

Cum de hisce numis locutus esset Abbas Vallemontius, digressionem facit de honoribus diuinis, quos vxoribus concedebant Imperatores, itidemque de titulis *Dei*, *Deæ*, *Diui* atque *Diuæ*, qui in numis græcis pariter atque latinis obuii sunt. Non satis intelligo, quid exinde vult concludere; Reperio autem ipsum male agentem cum Antiocho propter inscriptionem ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΥΟΧΟΥ ΘΕΟΥ, quæ in eius numis legitur.

Dei Titulus hic cognomen tantum Regis est, vt quam optime Cl. Valens obseruauit, quo ab aliis eiusdem nominis Antiochis distin-
p. 31. guitur. Hic Antiochus appellabatur ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΘΕΟΣ *Antiochus Deus*, cuius causa nullam exprobrationem meretur. Sed Principes isti, qui tantæ audaciæ fuerunt, vt elogium Θεȣ nomini suo præponerent, re vera sunt, vt Vallemontius illos vocat, monstra; quoniam sibi nomen arro-

arrogabant, cui, non obſtante magna ipſorum potentia, omni tamen reuerentia erant deuincti. Hanc differentiam poſitio vocabuli ΘΕΟΣ ante vel poſt nomen Regis efficit.

Accedamus denique ad argumentum decretorium Abb. Vallemontii, ad numum nimirum M. Aurelii in gaza regia, quem Tu, Vir clariſſime, ipſi oſtendiſti, in quo nomen Imperatoris non circa caput ipſius, ſed vxoris duobus hiſce verbis: FAVSTINA AVGVSTA legitur. *Ecce igitur*, inquit, *nomen feminæ circa faciem Imperatoris, honori ſibi ducentis nomen Fauſtinæ coniugis, vt Gallienus nomen matris GALLIENAE.* p. 32.

Num ſane Abbas Vallemontius credere potuit, M. Aurelium honoris, vt putat, gratia, ſerio hunc numum cudi, atque loco nominis ſui & titulorum circa caput nomen vxoris poni curaſſe? Haud dubitandum eſt, quin M. Aurelii animus longe aliis rebus addictus atque hacce cogitatione numquam occupatus fuerit.

Accedit etiam, quod Abbati Vallemontio ignotum eſſe non poſſit, Imperatoribus Romanis nullum fuiſſe negotium cum numis æreis, ſuorum imagine percuſſis, præcipue cum æreis maximi & medii moduli, illoſque hanc curam remiſiſſe Senatui, veluti vmbram quandam ſummæ maieſtatis, quam alioquin ſibi conſeruabant ſatis integram. Hinc in numis iſtis ad Gallienum vſque ſemper cernimus has duas litteras S. C. h. e. *Senatus-Conſulto*, ad indicandum, eos fuiſſe Senatus auctoritate percuſſos. p. 33.

Senatui erant ſui monetarii, & monetariis opifices, qui haud eandem ſemper attentionem adhibebant, & nonnunquam ſui ipſius obliuiſcebantur, vti haud dubie in ſignando hoc Aurelii numo factum. Cuius nota eſt, quod forſan inter omnes Aurelii numos, hoc vnico excepto, nullus exſtet, eiuſmodi negligentia inſignis. Cum e contrario alios huic ſimiles & cum aliis in auerſo typis cerneremus, ſi conſulto animo ſignati iſti eſſent. Quæ ſane valida eſt ratio: neque exiſtimo, Abbatem Vallemontium plures eſſe inuenturum ſuæ ſententiæ addictos. Et eo etiam poſito, quod Gallienus intenderit honorem exhibere Gallienæ, vt ille credit, nihil tamen ex hoc numo, eius explicationi fauens, colligere poſſumus. p. 34.

Quod

Quod ſi vero Abbas Vallemontius cognitum habuiſſet græcum
L. Veri numum ex maximo modulo, qui inter alios eius generis apud Ill.
Focaltum exſtat, multo magis confirmatus fuiſſet in deciſione ſuæ expli-
cationis. Ille enim, Epheſi percuſſus, faciem L. Veri typo admodum
eleganti præfert cum inſcriptione ΛΟΥΚΙΛΛΑϹ ϹΕΒΑϹΤΗϹ *Lucillæ Augu-
ſtæ.* En etiam in græco maximi moduli numiſmate ſimile quid ei, quod
p. 35. in latino M. Aurelii obuenit, hoc eſt, nomen Lucillæ capiti L. Veri e-
ius mariti circumſcriptum, adeoque *nomen feminæ ad faciem viri.* Hæc
haud dubie ad illuſtrandas Vallemontii litteras apprime inſeruiiſſent;
Sed de auerſo non debuiſſet loqui, quippe qui inutilem reddidiſſet inſi-
gnem hunc effectum, quem aduerſa pars producere potuiſſet. Repræ-
ſentat enim illa conſpectum templi, octo columnis ſuſtenti, & ſtatuam
in baſi ad veſtibulum cum hac inſcriptione Ε ΕϹΙΩΝ ΛΟΥΚΙΟϹ ΒΗΡΟϹ,
Epheſiorum Lucius Verus. In qua illud Abb. Vallemontio contrarium re-
peri, quod ΛΟΥΚΙΟϹ ΒΗΡΟϹ regat ΛΟΥΚΙΛΛΑϹ ϹΕΒΑϹΤΗϹ; eaque ſint in-
telligenda, ac ſi hæ duæ inſcriptiones ita eſſent coniunctæ: ΛΟΥΚΙΟϹ ΒΗΡΟϹ
p. 36. ΛΟΥΚΙΛΛΑϹ ϹΕΒΑϹΤΗϹ, *Lucius Verus Lucillæ Auguſtæ*, & circa caput col-
locatæ.

Hac ratione nullam ex numo iſto maximi moduli vtilitatem
capere, quin & ne quidem vllum conſectarium deducere potuiſſet, ni-
ſi nomen L. Veri in auerſo legeretur: quoniam facies tempore iſtius nu-
mi maximi ſignati, ex infinitis aliis aureis, argenteis atque æreis, quos
omnes in romano imperio frequenter manibus tractabant, notiſſima,
haud quemquam poterat turbare, neque locum relinquere admiratio-
ni, cum in circuitu cernerent nomen vxoris, nomine mariti omiſſo.
Vel ſola typi inſpectio atque inſcriptio Lucium Verum Lucillæ maritum
hunc eſſe demonſtrabat.

p. 37. Sed forſan obiicitur: non neceſſarium erat, nomen Lucillæ quo-
dam modo circa alienum caput apparere, cum nullus in Rep. Romana
ignoraret, vxorem eam fuiſſe L. Veri. Ad hoc reſpondere poſſum, pri-
mum numi Auguſtarum aut Parentum Imperatorum, qui eo iure gau-
debant, non tam ingenti numero vt Auguſtorum percutiebantur, quem-
admodum ex illis ad noſtram ætatem delatis conſtat, quippe qui quo-
ad numerum cum Imperatorum numis comparandi ſunt; quod omnino
aliquid

aliquid conferre potuit, ne adeo generatim vt Imperatorii essent cogniti. Sane numi Lucillæ latini numero sunt perpauci, eiusque græci siue ex maxima siue communi forma raritatis admodum insignis. Dein- p. 38.
de credendum est, quod Ephesii honorem hunc, eam nimirum in maximo numo nominandi, ideo habuerint Lucillæ, quoniam Roma veniens, ibi substitit, atque L. Verum, maritum suum exspectauit, qui eam vt susciperet, ex Syria aduenit, vti Capitolino in vita huius Imperatoris obseruatum est.

Hæc interim inscriptio eo magis notari meretur, quo magis hanc ob causam singularis est, quod in aliis numis vxores a maritis, non mariti autem ab vxoribus se nominant. V. g. *Agrippina Junior*, vxor Claudii se vocat AGRIPPINA*m* AVG*ustam* DIVI CLAVD*ii* in numo aureo cimeliarchii Focaltini, vbi illa Neroni ex obuerso repræsentatur. *Plotina* itidem in alio aureo numo eiusdem cimeliarchii PLOTNA appellatur AVG*usta* IMP*eratoris* TRAJANI. Et sic etiam Lucilla, L. Veri p. 39.
coniux, in hoc maximo ΛΟΥΚΙΛΛΑ CEBACTH ΛΟΥΚΙΟΥ ΒΗΡΟΥ vocari debuisset. Sed quoniam Lucilla, non obstante hocce matrimonio, tamen se a Patre M. Aurelio denominabat, vti ex numis latinis omnis generis metalli constat, in quibus circa caput ipsius exstat verba, LVCILLAE AVG. ANTONINI AVG. F. itidemq; ex numo græco Ægyptiaco & æreo mediæ formæ, qui in gaza regia & Focaltina reperitur, in quo appellatur ΛΟΥΚΙΛΛΑ CEβαστὴ ANτωνίνου CEβαστοῦ ΘΥγάτηρ, *Lucilla Augusta Antonini Augusti filia*; non mirandum est, quod Ephesii L. Verum coniugis nomine vocauerint. Crediderunt, nihil ex eo Verum offensionis habiturum, p. 40.
qui Lucillæ permittebat, se filiam vocare M. Aurelii, eo quidem tempore, quo ipsi iuncta erat matrimonio; tum etiam quod Lucilla ipsis æqui hoc consuleret. Hæc in eo vestigia premit Faustinæ iunioris, quæ, quamuis vxor esset M. Aurelii, semper tamen a Patre Antonino Pio vocata fuit, quod numi eius latini & nonnulli græci ab Ægyptiis signati testantur.

Non possum non, quin mentionem hic iniiciam numi cuiusdam græci, cuius inscriptio veluti numi præsentis maximi diuisa est, ita vt quædam in aduerso, reliqua vero in auerso conspiciantur. Neronis iste est ex ære mediæ formæ, Smyrnæ cusus, extatq; in Focaltino cimeliarchio. Ibi

circa caput Neronis leguntur hæc: ΝΕΡΩΝΑ CΕΒΑCΤΟΝ ΖΜΥ. *Neronem*
p. 41. *Augustum. Smy.* & in auerso circa templum sex colum narum ΡΝΑΙΩΝ ΕΠΙ ΤΡΟΦΩΝΙΟΥ. *Rnæorum sub Trophonio.* Optime quidem scio, diuisas eiusmodi inscriptiones in numis latinis a vetustiore Imperii periodo ad Gallienum vsque esse frequentes; At haud illus reperitur, in quo vocabulum aliquod vti in hoc inter caput & auersam numi partem sit diuisum.

Concludamus denique, dicendo, adscripta capiti verba huius rari & maximi numismatis nullius plane vsus fuisse Abbati Vallemontio, licet vel maxime nouæ ipsius explicationi conueniens initio videretur.

Nihil moneo de explicatione Inscriptionis: VBIQVE PAX, cum in omnibus illi accedo, quæ de ea accuratissima diligentia protulit, eaque inquisitione, quæ omnia eum insigni cura exhaurire probat, hoc saltim excepto, quod de virtute Gallienæ asserit, in quo plane non cum
p. 42. ipso consentire possum.

Hæc sunt, Vir clarissime, quæ dicenda mihi erant ad epistolam eruditi huius viri, qui honor & decus est elegantiorum litterarum. Doleo, quod rationes modo allatæ me prohibeant iis accedere, quibus se niti allaborauit; contestor etiam, haud adeo me adhærere explicationi, quæ mihi placuit & etiamnum placet, vt non statim ea meliorem, simul ac profertur, amplectar. Te vero, cui occasio est sæpius eum visendi, obnixe rogo, velis ipsi quamplurimis significare, quod infelicissimum me reputarem, si ea, quæ ad refutandas ipsius sententias hic attuli, amicitia eius, qua me Parisiis vltima hyeme dignatus est, priuarent; quodque sperem potius, hac scriptione non obstante eam continuatum iri.

Liberum ipsi fuit, vtrique duarum aliarum explicationum suum denegare assensum; sic etiam in malam partem haud accipiet, quod tam multæ rationes mihi non permittant eius expositionem sequi. Quod superest magna veneratione futurus sum

VIR CLARISSIME

Cadomi d. 30. Jun. An. MDCXCVIII.

Tui
Cum primis obseruandus
GALLANDVS.

XXI.

XXI.

JOACHIMI MEIERI

J. V. L. & P. P. Gymnasii Göttingensis

Commentatiuncula de numo quodam aureo Postumi Tyranni in Gallia.

Primum inserta in Cl. Eccardi Excerptis Menstruis germanice editis. An. MDCCII. Nou. p. 55.

§. 1.

CVm nuper admodum mihi iter quoddam in regiones Lyneburgicas esset suscipiendū, inueni apud amicum, mihi præ ceteris charum, numum aureum Postumi Tyranni, maxime genuinum & elegantem, cuius typum eruditis hic sistimus, quamquam, quod monendum, maiori paulum modulo ære expressus sit, quod ipse numus scutati magnitudinem non excedat (*a*). Primo latere, quod faciem (*la teste*) appellant rei numariæ scriptores, apparet Postumus senior galeatus, cum legenda: POSTVMVS AVG. Auersa parte (*reuers*) spectatur tropæum, cum duobus Germanis ei assidentibus, more deuictorum vultu & corporis incuruatione mœrorem præferentibus, cui hæc addita est legenda: PMGMTPCOSIIIPP.

§. 2. Quamuis P. Jobertus in *Notitia rei numariæ (la science des medailles)* quam Cl. Junkerus eleganter è Gallico in Latinum transtulit, *Præcept. IX.* affirmet, magnam apud Gallos esse copiam numorum Postumorum, ita, vt Bolleselæ, qui pagus est Castellaniæ Casletanæ in Flandria, a rustico fossore cantharum ex alba terra, ingentem, ore angusto, quo pene duo millia numismatum, habentium effigiem & inscriptionem Postumi in Gallia Cæsaris, continebantur, repertum sua ætate T. III. n. 10. p. 56.

(*a*) Nunc vero iusta magnitudine in tabula sistitur.

ætate fuiſſe ſcribat Marchant. Deſcript. Flandr. lib. 1. p. 64. & illi, qui Memorias Hiſtoriæ Scientiarum & bonarum artium Triuoltii in Gallia colligunt, menſe Aprili anni 1702. p. 309. memorent, Heſuino Aduocato cuidam Redonenſi in inferiori Armorica centum millia numorum tertii ſeculi in vico eius Prouinciæ Lomariaker dicto, reperta, anno 1676. viſa fuiſſe, inter quos aliquot millia numorum Poſtumi fuerint; nec dubitem, D. Hemelarium in aureis ſuis numiſmatibus fortaſſe etiam de hoc numo egiſſe; tamen cum Jobertus Poſtumorum numos in aliis terris eo rariores eſſe affirmet, quo frequentiores in Gallia ſint, Hemelarii etiam liber de aureis Imperat. numiſmat. mihi hucuſque nondum viſus ſit, non prorſus è re eſſe putaui, vt quæ de hoc numo, nec non de Poſtumo Tyranno habeam, extemporaneo labore cum eruditis ſuſtineam communicare.

p. 57. §. 3. Quod vt eo facilius fiat, in Poſtumo conſiderabimus, nomen, genus, elogia, dignitâtes, res geſtas & mortem, hiſque intexemus, quæ de hoc numo præprimis notanda veniunt. Ad nomen quod attinet, tam in numis, quam apud maximam ſcriptorum partem nihil amplius quam POSTVMI, & quidem ſine aſpiratione, inuenire licuit. Trebellius Pollio in Victorino illi ex Julio Ateriano JVNII nomen præponit, vbi addit, Victorinum Gallias poſt JVNIVM POSTVMVM rexiſſe. Alii, è quibus Pomponius Laetus in Valerian. & Glandorp. in Onomaſt. qui tamen falſo ad Pollionem prouocat, illum AVLVM POSTHVMIVM appellant. Quam proxime vero ad veritatem accedit Seth. Caluiſius, qui illum C. CASSIVM POSTVMVM in Opere Chronolog. ad ann. mund. 4210. vocat, quem tamen ad annum mundi 4216, iterum Poſthumium nominat; &, ſi coniecturis quid dandum, putarem Caluiſium opinionem ſuam ex Aurel. Victor. Epitom. in Valerian. hauſiſſe, qui de Tyrannis ſub Gallieno exſurgentibus: *His* (Valeriano & Gallieno) *imperantibus*, ait, *Regillianus in Mœſia; Caſſius, Labienus Poſtumus in Gallia, Gallieni filio interfecto, Imperatores effecti ſunt.* Cum Caſſii, Labieni & Poſtumi nomen hic cum diſtinctionibus lega-
p. 58. mus, non poſſum tamen, quin has diſtinctiones librariis incurioſis potius, quam rerum veritati adſcribam. Nuſpiam enim legimus, Caſſium & Labienum quendam in Gallia contra Valerianum & Gallienum ſurre-

xiſſe,

xisse, & tam Trebellius Pollio, qui triginta tamen tyrannis peculiarem tractationem tribuit, quam alii scriptores eos ignorant. Per igitur verosimile mihi videtur, integrum Postumi nomen, distinctionum signis remotis, Aurelio Victori fuisse CASSII LABIENI POSTVMI, è quo Caluisius suum fortasse formauit C. CASSIVM POSTVMVM. Ne vero nos in tanta scriptorum contrarietate verum & integrum Postumi nomen lateat, fecit lapis, siue columna miliaria, in finibus Aruernorum Gabalorumque effossa, sequentem inscriptionem, quam è Sirmondo ad Sidon. Carm. XXIV. affert Reines. in Syntagm. Inscript. Appendice N. XV. habens.

I M P. C A E S.
M. C A S. L A T.
P O S T V M O
P. F. A V G. C O S.
M. P. G A B A L L. V.

Fuit ergo verum eius nomen MARCVS CASSIVS LATIENVS (siue LABIENVS) POSTVMVS, & consentit lapis noster cum Aurelio Victore, nisi quod hic pro Latieno illum Labienum vocat, quæ tamen p. 59. Victoris sententia quibusdam non omnino reiicienda videtur, cum Labienorum nomen illustrius quam Latienorum fuerit, noui vero illi Augusti gloriam familiarum illustrium in nominibus suis affectauerint, & τὸ B. in lapide facile parte aliqua potuerit mutilari, ita, vt pro B. legentibus T. esse visum fuerit. Sed ne hoc firmiter credamus, facit numus quidam Postumorum maximi moduli, à Polycarpo Tenzelio in selectis numismatibus exhibitus, vbi integrum Postumi Senioris nomen ita extstat: IMP. C. M. CAS. LAT. POSTVMVS P. F. AVG. Imperator Cæsar Marcus Cassius Latienus Postumus Pius Felix Augustus. Cum igitur numus ille Postumi nomen non minus, quam Gabalorum lapis siue columna, ab interitu vindicet, merito in Latieno acquiescimus.

§. 4. Non tamen eam ob causam ad Cassios, Labienos, vel etiam Junios aut Posthumios, è gente nobilissima apud Romanos Postumum nostrum referre audeo, cum è scriptoribus constet, illum obscuris natalibus ortum fuisse. Ita enim Trebellius Pollio in Lolliano: *Lolliani autem vita in multis obscura est, vt & ipsius POSTVMI, sed priua-*

p. 60. *ta virtute clari, non nobilitatis pondere vixerunt.* Si igitur priuata virtute clarus, non nobilitatis pondere vixit, vtique è minimis ad maxima eluctatus eſt Poſtumus. Clarius adhuc rem explicat Eutropius Hiſtor. Rom. lib. IX. *Poſthumius*, inquiens, *in Gallia obſcuriſſime natus, purpuram ſumſit.* Habemus hic patriam, Galliam ſcilicet, & natales obſcuriſſimos. Galliam etiam patriam arguere videtur promiſſa illa barba, quam Poſtumum Gallorum & reliquorum Celtarum more, ſupra modum aliorum Imperatorum aluiſſe, apparet è numis, qualis etiam in illis iuniori Poſtumo filio tribuitur, id quod patet e numo, in numis Arſchottanis Alberti Rubenii & nouiſſime Celeberrimi Laurentii Begeri cura illuſtratis Tab. 61. expreſſo, vbi duo Poſtumi, pater & filius cum epigraphe, POSTVMVS PIVS FELIX AVG. vterque promiſſa admodum barba, apparent. Illuſtria igitur hæc, ſiquæ habuit, nomina Poſtumus, ſibi more temporis illius ipſe ſumſit, vt ſplendorem familiæ mentiretur, confuſis gentium nobilium nominibus, quod poſt Auguſti tempora frequenter factum eſſe nouimus, vbi non inſolens fuit, e diuerſis familiis nomina ſibi adſciſcere, quæ ante Auguſtum etiam in adoptionibus ſolicitiſſime diſtinxerant Romani.

p. 61. §. 5. Non tamen obſtitit obſcuritas generis, quin egregia indole & generoſo animo præditus fuerit Poſtumus. Apparet hoc ex Epiſtola Valeriani, quam ad Gallos ille dedit, cum Poſtumum illis præſidem conſtitueret, in qua illum vocat, virum digniſſimum ſeueritate Gallorum, præſente quo non miles in caſtris, non iura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat: qui vnicuique proprium & ſuum ſeruet. Virum (addit Valerianus) quem ego præ ceteris ſtupeo, & qui locum Principum mereatur iure. Nihil excellentius hoc elogio eſſe poteſt, quod illum maximis rebus dignum fuiſſe demonſtrat. Fortitudinem eius commendat Trebellius Pollio in Lolliano, vbi illum virum omnium fortiſſimum appellat: qua etiam fortitudine factum eſt, vt ſicut Odenatus & Zenobia Imperium Romanum in Oriente contra Perſas alioſque barbaros, ita Poſtumus in Occidente illud contra Germanos ſeruauerit, teſtante Eutrop. lib. IX. Quid? quod tanta vitæ & morum fuerit integritate, vt Gallienus illi filium Valerianum Saloninum crediderit, de quo egregium Pollionis in Poſtumo locum hic adduxiſſe non

non pigebit, cum & ille indolem Poſtumi in ceteris egregie explicet. Hic vir, inquit, in bello fortiſſimus, in pace conſtantiſſimus, in omni vita grauis, vſque adeo, vt Saloninum filium ſuum eidem Gallienus in Gallia poſitum crederet, quaſi cuſtodi vitæ & morum, & actuum imperialium inſtitutori. Licet etiam Pollio cum aliis referat, Saloninum hunc Gallieni filium à Poſtumo, cum & ille Imperatoris nomen ſibi ſumeret, interfectum, & fidem ab eo datam, non ſeruatam fuiſſe: non obſcure tamen ille cum aliis indicat, hæc omnia non conſentiente & tantum non contradicente Poſtumo facta à militibus Gallicis, illo ipſo non auſo ſeditioſis ſe opponere, qui Gallieno erant infenſi & puerum apud ſe regnare nolebant, cum quippe talis perfidia eius moribus non conueniret. Dubium nobis facit Flav. Vopiſcus in Aurelian. an is, qui curæ Poſtumi creditus fuit, Saloninus Valerianus vel potius Gallienus dictus fuerit, cum is ipſe literas Valeriani ſenioris Auguſti ad Antoninum Gallum Conſulem adducat, quibus ille rationes affert & probat, quod Gallienum filium non Aureliano, qui poſtea Auguſtus factus, ſed potius Poſtumo cum exercitu crediderit, quod ſcilicet hic lenior eſſet illo, cuius nimiam ſeueritatem formidabat. Sed quicquid dicat Vopiſcus, ſe literas haſce Valeriani in Vlpia bibliotheca inter linteos libros inueniſſe, fides tamen illarum mihi tantum non ſuſpecta videtur, cum neque in faſtis, neque vllibi Antoninus Gallus Conſul appareat, aſſertum etiam eius cum conſenſu reliquorum ſcriptorum manifeſte pugnet. Si vero aliqua fides litteris illis tribuenda, hac ratione Vopiſcum cum aliis conciliandum eſſe puto: Saloninus ſcilicet, cui nomen hoc à Cornelia Salonina matre contigit, cum integrum eſſet PVBL. LICIN. CORN. SALONINVS VALERIANVS ab auo Valeriano, qui illum Cæſarem appellauit, adoptatus, ante adoptionem fortaſſe Gallienus Saloninus vocatus fuit, poſt eam vero Valerianus ab auo, quo adhuc viuente & imperante, curæ Poſtumi fuit commiſſus, auo eum ab adoptione filium, & e primo ante adoptionem nomine Gallienum vocante, quale nomen Saloninum etiam habuiſſe, aperte probat Pollio, qui in Valerianis, Saloninum filium Gallieni, etiam Gallienum dictum eſſe affirmat. Litteras vero illas ad Antoninum quendam Gallum ſuffectum, vel honoris cauſſa & titulotenus Conſulem appellatum, dedit Vale-

p. 62.
p. 63.

Valerianus, quæ tamen conjecturis tantum annumeranda esse puto, meliora & magis verosimilia afferenti cessura. Hucusque enim me nil mouerunt, quæ Th. Reinesius Syntag. Inscrip. Cl. III. Inscr. XLI. attu-
p. 64. lit, tres statuens Saloninos (1.) Saloninum Gallienum iuniorem, à Gallis occisum, cum Postumus capesseret imperium. (2.) P. Licinium Saloninum Valerianum, Nobilissimum Cæsarem & Principem Iuuentutis dictum. (3.) Q. Julium Saloninum Gallienum Imp. filios Gallieni & Saloninæ AVGG. cum ea omnia sufficienti scriptorum auctoritate destituantur, qui vno quasi ore de vno Salonino in Galliis occiso memorant, nec vllam reliquorum mentionem faciunt, quid gesserint, quoue fato fuerint functi.

§. 6. Hæc igitur egregia indoles & generosus Postumi animus, illum ex obscurissimis initiis ad maximas extulit dignitates. Non dubitandum illum ex fortitudine incrementa sumsisse, sub Augustis primo stipendia meruisse, & denique honores militares consecutum à Valeriano Transrhenani limitis Ducem & Galliæ Præsidem fuisse constitutum. Tres annos in hac permansit dignitate, ante quam Augusti nomen sibi vendicaret, & purpuram sumeret, quibus elapsis septem adhuc annos in supremo illo Imperatoris fastigio permansit. Cum tempora Præsidis Galliæ & Imperatoriæ dignitatis confundant Scriptores tantum non omnes, factū etiam est, vt alii decem, alii septem annos Postumo in Gallia tribuant. *Postumus*, inquit Orosius lib. 7. Cap. 22. *in*
p. 65. *Gallia inuasit tyrannidem, multo quidem Reipubl. commodo, nam per DECEM ANNOS ingenti virtute ac moderatione vsus, & dominantes hostes expulit, & perditas prouincias in pristinum statum reformauit.* In eandem omnino sententiam adstipulatur ei Eutropius lib. 9. *Postumus*, inquiens, *in Gallia obscurissime natus, purpuram sumsit, & per ANNOS DECEM ita imperauit, vt consumtas pene prouincias, ingenti virtute & moderatione reparauerit.* His contrarium tenet Pollio in Gallienis, vbi Postumum per SEPTEM ANNOS imperauisse, memorat: nec non in Postumis: *Talem* (Postumus) inquiens, *se præbuit per ANNOS SEPTEM, vt Gallias instaurauerit.* Quem sequuntur Glandorp. in Onomastic. & Caluisius in Oper. Chronol. ad ann. mundi 4210. ad quem initium regiminis Postumi in Gallia refert, quod tamen potius ad A. M. 4207. p. C. N.

N. 258. fuiſſet referendum; qui vero facile omnes, eo, quo dixi, modo, poſſunt conciliari.

§. 7. Tribus hiſce annis elapſis, quos vt Præfectus limitis Rheni tranſegit, ad ſupremum Auguſti in Gallia aſcendit faſtigium. Cum enim exercitus Poſtumo cum Salonino commiſſus videret, Gallienum voluptatibus tantum indulgere, rempublicam ſegniter adminiſtrare, prouincias negligere, & Galliam Germanicis gentibus deprædandam relinquere, occiſo Salonino, Poſtumum Imperatorem ſalutarunt, purpuramque ſumere iuſſerunt. Ex hoc ſibi Poſtumus omnes Imperatorum honores ſumſit, & hinc eſt, quod in numo noſtro aureo, illum non tantum Auguſtum, ſed in auerſa quoque parte Pontificem Maximum, Tribunitia poteſtate inſignem, Conſulem tertium & Patrem patriæ appellatum videamus. Vt enim numi legenda in vtraque parte ſibi conſtet, hic eam integram ſiſtimus: POSTVMVS AVGVSTVS, PONTIFEX MAXIMVS, GERMANICVS MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL TERTIVM, PATER PATRIÆ. Singula ſeorſim explicabimus. Et quidem quod ad *Auguſti* nomen attinet, hoc Imperatores poſt Octauianum Auguſtum omnes vſos fuiſſe, tralatitium eſt. Idem etiam de Pontificis Maximi dignitate & Tribunitia poteſtate dicendum, quas idem Octauianus Auguſtus prudentiſſimo conſilio cum dignitate Imperatoria coniunxit, cuius inſtitutum ſucceſſores ſecuti, ab iis vero mutuati Tyranni, ſiue potius Præſides prouinciarum, qui Auguſti nomen ſibi vendicantes, prouincias ab incurſionibus barbarorum tuiti ſunt, Valeriano & Gallieno eas negligentibus.

p. 66.

§. 8. *Germanici Maximi* nomen Poſtumo eam ob cauſſam à Gallis tributum puto; quod illorum prouincias Germanis toties profligatis, ab incurſionibus illorum ſtrenue vindicauerit, ad exemplum illorum, qui MAXIMI vocabulum cognominibus à deuictis gentibus aſſumtis addiderunt, vt ſunt illi, qui PARTHICI MAXIMI cognomina gerunt, quod Septimiũ Seuerum geſſiſſe è numis & Inſcriptionibus patet. Alexandro etiam Seuero PERSICI MAXIMI nomen a Senatu acclamatum ſcriptores teſtantur: Claudium quoq; Imperatorem GOTHICVM MAXIMVM vocatũ fuiſſe probant inſcriptiones, quæ & Cæſarem Galerium Valerium Maximianum, titulis PERSICI MAXIMI, SARMATICI MAXIMI, BRITANNICI MAXIMI ſuperbientem nobis ſiſtunt. Et ne quoque deſit Germani-

p. 67.

manicus Maximus, Eusebius 8. Histor. Eccles. c. 18. illum inter Galerii Maximini titulos producit, hac serie: Πεντάκις Περσικὸς Μέγιστος, Γερμανικὸς Μέγιστος, Αἰγυπτιακὸς Μέγιστος, ἑξάκις Ἀρμενίων Μέγιστος, Μεδῶν Μέγιστος, Ἀδιαβηνῶν Μέγιστος. Inscriptio deniq; antiqua ab Onuphrio lib. 2. fastor. producta Probum Imperatorem FRANCICI MAXIMI & GERMANICI MAXIMI titulis insignem nobis sistit. Enim vero cum omnes scriptores in eo consentiant,
p. 68. Postumum Galliam à Germanis vindicasse, eosque præliis aliquot profligasse, operæ pretium erit, breuiter inquirere, quinam illi e Germanis fuerint, quibuscum bellum gesserit Postumus. Alemannos eos vocat Eutropius lib. IX. hos enim in Gallia maxime Romanis terrori fuisse testatur Marius Tyrannus apud Pollionem. Jornandes lib. 1. illos, qui sub Valeriano & Gallieno Galliam vastarunt, simpliciter vocat Germanos & Alanos, modo non mendum subsit, & pro Alanos, legendum Alemannos, quod mihi fit maxime verosimile. Alemannos enim cum Germanis, & Alemanniam cum Germania frequenter coniungunt scriptores, quod videri potest è Flauio Vopisco in Probo, Eutropio d. l. & aliis: diuersam etiam à Germanis gentem fuisse, probat Cluuer. G. A. Lib. 3. Cap. 4. è colluuie scilicet Gallorum confluxam, trans Rhenum, Cattis proxime incolentem. Non vero horum tantum ferociam compescuit, sed etiam cum Francis, proxima tunc Rheno littora colentibus, Galliæque semper insidiantibus, manum eum conseruisse, partemque illorum, si non subiecisse, certe tamen ad fœdus & amicitiam compulisse, patet è Pollione in Gallienis. Hic enim Postumum auxiliis Celticis ac Francicis contra Gallienum eiusque exercitum adiutum esse memorat, quod sane illos haud fecisse probabile est, nisi aut vinculo subie-
p. 69. ctionis aut fœderis & amicitiæ ad id fuerint coacti: vtrumque vero sine bello & præliis fieri neutiquam potuit. Hinc etiam est, quod Sethus Caluisius è Rerum Romanarum scriptoribus probat, Francos A. M. 4214. P. C. 265. cum Germani quadripartito agmine in imperium Romanum se effunderent, Gallias ingressos, easque vsque ad Pyrenæos montes vastasse. Ob deuictos igitur vel ad fœdus & amicitiam compulsos Francos, Postumus in numis suis HERCVLEM DEVSONIENSEM effingi curauit, qualem videmus in Numis Areschotanis à Rubenio & Begero illustratis Tab. 61. Deusonem enim oppidum aut castellum in

Francorum finibus vltra Rhenum fuiſſe, ex Hieronymo ad Euſebii Chronicon illi ipſi iuerunt probatum. Huc quoque pertinet numus ille, qui auerſo latere Rhenum fluuium, ſcopulo brachio innitentem, partemque nauis manu tenentem oſtendit hac epigraphe: SALVS PROVINCIARVM, quia pacato Rheno, ſalus quaſi omnium Galliæ prouinciarum pependit. Habemus igitur Poſtumi hoſtes è Germanis Francos ſcilicet & Alemannos, qui poſtea Germanis acceſſerunt, quamquam Cluuerius eos illis nolit annumerare; quibus deuictis vel ad fœdus & amicitiam redactis, Poſtumus ſplendidum GERMANICI MAXIMI no- p. 70.
men lucratus eſt.

§. 9. Non minoris erit momenti, inueſtigare vnde Poſtumo Conſulis tertium honor acceſſerit, cum illum Romæ Conſulatum geſſiſſe in faſtis Conſularibus & apud ſcriptores non legatur, nec gerere vnquam potuerit, Gallieno Romam tunc tenente. Sed cum etiam alii Imperatores abſentes dignitatem Conſularem ſibi ſumſerint, quod Caligulam feciſſe Suetonius in eius vita memorat, in tanto ſcriptorum ſilentio nihil aliud ſtatuendum eſſe arbitror, quam Poſtumum cum aliis ita appellatis Tyrannis, Ideam quandam Conſulatus, & dignitatis huius quaſi vmbram ſibi abſentibus vindicaſſe, honoremq; illum in contemtum Gallieni ſibi, hiſque qui à partibus illorum ſteterunt, pro lubitu diſtribuiſſe, illos, qui Romæ Conſulatum gerebant, ſpurios & non veros Conſules eſſe putantes. Ex Inſcriptionum tabulis & lapidibus facile poſſet id, quod dictum eſt, confirmari, cum non tantum Poſtumo, id quod ex inſcriptione in finibus Aruernorum Gabalorumque reperta patet, ſed & aliis Tyrannis Conſulatus in illis tribuatur: ſed operæ huic, ne nimis prolixi ſimus, facile ſuperſedemus. Non poſſumus tamen intermittere, quin breuibus moneamus, Conſulatus tertium p. 71.
etiam meminiſſe numum illum Poſtumorum maximi moduli a Polycarpo Tenzelio in ſelectis numiſmatibus exhibitum, cuius mentionem præcedenti fecimus. Auerſa enim eius parte produxit poſtumum habitu ſacrificantis togatum & velatum ſuper aram accenſam patera ſacrificantem Herculi, a cuius latere ſtat popa, taurum tenens, quanquam ille ob aruginem expreſſus non ſit, hac addita epigraphe: HERCVLI COMITI AVGVSTI COS. III. Quem Conſulatum Poſtumi

mi tertium iuxta Occonis calculum in A. C. 263. & 264. incidere monet idem Tenzelius. Si igitur verus calculus iste, habemus etiam annum, in quo numus noster aureus cusus est. Non vero mirum, Postumum cum suis Consulatum, si Romam spectes, titulotenus gessisse, cum & hoc olim etiam Cæsarem fecisse referat Suetonius in Cæsar. & Hannibalem in contemtum Romanorum senatum Capuæ ordinasse testetur Liuius lib. XXIII. Cap. X. Hinc etiam Postumo non fuit difficile, se Consulem I. II. & III. creare, cum hæc dignitas. quæ maximam partem in idea vel vmbra quadam honoris constitit, semper in eius fuerit potestate. Hic quædam
p. 72. non incuriosa de aliis CONSVLIBVS EXTRA ROMAM, nec non de iis, quibus Consulis nomen honoris caussa tantum fuit tributum, de Consulibus etiam suffectis, quorum nomina non leguntur in fastis, addi possent, sed ne à breuitatis instituto recedamus, hæc quoque aliis relinquimus.

§. 10. Tandem etiam sibi Patris Patriæ nomen tribui Gallis suis permisit Postumus. Quod vel ex eo factum, vt etiam in hoc veros Augustos & Imperatores imitaretur, vel quod nomen illud sibi ex restitutione Galliarum competere arbitraretur. Et quidem, si quod res est, dicendum, iure meritoque Heroi nostro hoc nomen tributum fuit, cum non tantum Gallias conseruauerit, sed etiam reliquas Romani Imperii prouincias in Occidente, quæ sibi ab armis Germanorum metuebant. Hinc est, quod cum reliqui, qui contra Valerianos, Gallienos, Claudium & Aurelianum insurrexerunt, prouinciarum Præsides, Imperium oppugnarint, solus Postumus cum Odenato illud dicatur contra Barbaros defendisse. *Gallieno*, inquit Eutropius, *rempubl. deserente, Romanum Imperium in Occidente per Posthumium, per Odenatum in Oriente seruatum est.* Nec minus Patris Patriæ nomen ob tributorum apud
p. 73. Gallos remissionem meruit, cuius memoria nobis etiam in peculiari numo Postumi superest, vbi auersa eius parte spectatur ille in sella sedens tendensque manum ad procumbentem ante se Gallum, hac legenda: INDVLGENTIA PIA POSTVMI AVGVSTI. Similes numi iam antea Seuero & post illum Caracallæ cusi sunt, cum Carthaginensibus tributum remisissent, hac epigraphe: INDVLGENTIA AVG. IN CARTH.

§. 11. Pergimus ad Res gestas Postumi, è quibus potissima delibabimus,

babimus, quia prolixe eas recensere nunc non vacat. Considerari vero illæ possunt duplici modo, cum Pacis & Belli artibus æque clarus exstiterit ac nobilis. Ad Res Bellicas quod attinet, gessit eas vel contra hostes Galliæ, Germanos scilicet, vel contra Gallienum, qui illum toties oppressum ire voluit. *Gallias*, inquit Pollio, *ab omnibus circumfluentibus Barbaris validissime vindicat. Consumtas pene prouincias*, addit Eutropius, *ingenti virtute & moderatione reparauit. Dominantes in Gallia hostes*, pergit Orosius, *expulit & perditas prouincias in pristinum statum reformauit.* Hoc modo ergo ingenti fortitudine Germanos antea ferocientes intra limites coërcuit Trans-Rhenani limitis Dux. Nec segnius cum Gallieno conflixit, varia licet fortuna, strenue tamen pro Postumo pugnantibus Gallis, ita vt etiam Gallienus sagitta ictus fuerit. Bis videtur Gallienus contra Postumum exercitum duxisse, semel cum Theodoto, iterum cum Aureolo & Claudio. De prima expeditione hæc habet Pollio. *Contra hunc* (Postumum) *Theodotus exercitum duxit, cumque vrbem, in qua erat, Postumus obsidere cœpisset, decernentibus Gallis Gallienus muros circumiens, sagitta ictus est.* Addit Pollio, Gallienum longo bello tracto per diuersas obsidiones ac prælia, rem modo feliciter, modo infeliciter gessisse. De altera expeditione hæc habet: *Contra Postumum igitur Gallienus cum Aureolo & Claudio duce, qui postea Imperium obtinuit, Principe generis Constantini Cæsaris nostri, bellum incepit: & cum multis auxiliis Postumus iuuaretur Celticis ac Francicis, in bellum cum Victorino processit, cum quo imperium participauerat. Victoriæ Gallieni pars fuit, pluribus præliis euentuum ratione decursis.* Maiori mole, triplici scilicet Gallieni, Aureoli & Claudii exercitu, hoc bellum contra Postumum gestum est: non tamen in eo Postumi virtus defecit, sed Victorino, qui post eum Gallias rexit, in societatem belli & principatus tracto, præliis licet non nullis, bello tamen non fuit inferior. In eandem fere sententiam Pollio hæc in Victorino memorat: *Postumus senior*, inquit, *cum videret, multis se Gallieni viribus peti, atq; auxilium non solum militum, verum etiam alterius Principis necessarium, Victorinum militaris industriæ virum in participatum vocauit Imperii, & cum eodem contra Gallienum conflixit. Cumque adhibitis ingentibus Germanorum auxiliis, diu bella traxissent, victi sunt.* Hic iterum Pollio Gallieno victoriam quidem contra

p. 74.
p. 75.

contra Poſtumum tribuit, quam tamen ei in nouiſſima tantum pugna contigiſſe credo: hanc enim ob vindictam, quam contra milites, qui Byzantium internecione deleuerant, moliebatur Gallienus, deſerere coactus fuit, quo etiam factum, vt Poſtumi pater & filius cum Victorinis, dignitatem ſuam & terras nihilominus tutarentur, & in ſtatu priori permanerent.

§. 12. Ad Pacis artes quod attinet, illud facile præcipuum fuit, quod Germanis profligatis & coërcitis, pacem Galliæ reddiderit. Huc pertinet numus POSTVMI in Arſchotanis Rubenii & Begeri cura illuſtratis, Tab. 61. vbi auerſa parte Mercurius cum caduceo & marſupio, paciferi nomen, quod illi etiam Diodorus & Ouidius tribuunt, præ ſe ferens, ſpectatur, hac epigraphe: MERCVRIO PACIFERO.
p. 76. Nec minore laude dignum, quod prouincias ſumma moderatione rexerit, id quod è prioribus patet. Magnam etiam illud meretur prudentiæ prædicationem, quod tributa Gallis remiſerit, omnium rerum copia prouincias reddiderit affluentes, id quod ex alio Poſtumi numo eodem loco exſtante, patet, vbi prouidentia columnæ innixa, cum cornu copiæ, virga orbem regit, hac inſcriptione: PROVIDENTIA AVGVSTI: & denique, quod multas Galliæ ciuitates & caſtra in Germaniæ ſolo ædificauerit, quod Pollio teſtatur; *Pleraſque*, inquit, *Galliæ ciuitates, nonnulla etiam caſtra, Poſtumus per ſeptem annos in ſolo barbarico ædificauerat.* Ad hunc igitur Poſtumum fortaſſe multarum Vrbium, ad Rheni vtramque ripam ſtratarum, origo referenda, ſi accuratius in eam inquirimus, quæ hodie vel multis fabulis eſt inuoluta, vel prorſus apud ſcriptores ignoratur. Nec hoc a pacis artibus abhorret, quod Poſtumum filium, tribunatui Vocontiorum primum à Valeriano præfectum, imperii fecerit participem, qui tamen nulla memorabili re geſta, niſi quod in declamationibus diſertus fuerit, inclaruit: quod etiam Victorinum neceſſitate & belli mole, qua Gallienus illum premebat, coactus, in conſortium dignitatis vocauerit: quod denique vias & miliaria ordina-
p. 77. uerit, quod è columna illa miliaria apparet, cuius inſcriptionem §. 3. dedimus, quæ millia paſſuum quinque a Gabalis numerabat.

§. 13. Talis vir cum eſſet POSTVMVS, ad vltimum tamen ſuorum non effugit inuidiam & proditionem. Vindicata enim ab ho-

stibus Gallia, & Gallieno recedere coacto, à ciuibus suis & militibus, res nouas molientibus ad Moguntiacum interfectus est. Caussam mortis partim leuitati Gallorum, partim Lolliani sceleri tribuit Pollio: *Cum se*, inquiens, *grauissime regeret* (Postumus) *more illo, quo Galli nouarum rerum semper sunt cupidi, Lolliano agente, interemtus est.* Lollianus ille è Ducibus Postumi erat; Principi vero suo rebellis, auctor eius mortis exstitit. Eutropius caussam eius clarius adhuc explicat: *Postumus*, inquit, *seditione militum interfectus est, quod Moguntiacum, quæ aduersum eum rebellauerat, Lolliano res nouas moliente, diripiendum militibus tradere noluisset.* Cum enim Postumus vrbem hanc, quæ à partibus Lolliani steterat, recepisset, perdere vero eam noluisset, ille scelere suorum, Lolliano fomitem addente, periit, si non Moguntiaci, certe in castris ad eam vrbem, quod factum A. M. 4216. P. C. N. 267. Ouinio Paterno & Arcesilao Coss. Quanto optimus hic Princeps Germanis fuerit terrori, ex eo patet, quod illo cum filio sublato, subita irruptione vrbes & castra in solo Germanico à Postumo ædificatas, diripuerint, & incenderint, ita, vt Lollianus eas vix potuerit restituere. p. 78.

FINIS.

XXII.

Cl. GENEBRIERII Med. D.

DE

MAGNIA VRBICA

DISSERTATIO

In qua ostendit auctor, Principem hanc minime fuisse coniugem Maxentii Imperatoris; vt hactenus fuit creditum.

Prodiit primum gallice

Paris. MDCCIV. in 8.

ILLV-

p. 1. ILLVSTRISSIMO DOMINO

DN. FOCALTO

Marchioni Magniacensi, a Consiliis Status, Præfecto Inferioris Normandiæ, & Regiæ Academiæ Inscriptionum atque numorum Honorario membro.

Illustrissime Domine,

QVi antiquitatem diligenter inquirunt ac rimantur, his, multæ
p. 2. communiter, quæ illos subinde detinent, offeruntur difficultates. Quod sæpius accidit, quoniam altum est in Historicis silentium de pluribus circumstantiis, scitu maxime necessariis, tum ad res, quarum memoria superest, explicandas, tum ad ordinem rationemque temporis intelligendum. Licet quouis in sæculo non deerunt auctores, qui in hoc genere libros a se elucubratos nobis reliquerunt.

Sic vetustior periodus Imperii Romani multos habuit præstantis ingenii viros, qui temporis sui gesta accuratissime sunt persecuti.

Sequior periodus Imperii, quæ a Gallieno incipit, non minorem historicorum numerum, tempore in primis florentis adhuc Paga-
p. 3. nismi, produxit: Sed operum horum pars periit longe maxima, quæ vero de nonnullis nobis Historiis restant, perexigui sunt momenti. Nihil enim fere sunt quam breuiaria, & hæc quoque male satis digesta, aut fragmenta, quæ, licet pretiosissima alioqui, multis tamen in locis mutila sæpissime & manca sunt.

Hanc iniquæ fortunæ vicem vniuersæ ætates expertæ sunt; fatendum tamen existimo, præ ceteris omnibus illam, quam dixi, sequiorem Imperii Romani ætatem hoc nomine laborare, quod accidit non minus bellicis turbis, quam librariorum negligentia & iniuria temporum. Neque enim dubitandum est, quod vir harum litterarum peritissimus obseruat, quin Gothi, iurati illi litterarum hostes, aliique barbari, cum to-
p. 4. tum fere inundarent Romanum Imperium, suam quoque barbariem in dies effuderint latius, eoque nomine singularis damni, in hoc studiorum genus

genus

genus illati, auctores exstiterint. Partem enim non exiguam gloriæ suæ in eo collocabant, vt pretiosissima quæque & maxime insignia monumenta euerterent, minime considerantes, altera sic se manu gloriam destruere, quam excitabant altera; atque sese ipsos, Simsonis instar sub ruinis, quarum ipsi essent auctores, sepeliri. Hinc tantum tenebrarum in scriptoribus quamplurimis antiquis longe lateque irrepsit, tot obseruantur lacunæ, tot præclare gestorum memoria mutilata ac loco mota. Hinc tot errores orti, tot nomina corupta, tot falso atque incerta fide tradita sunt, quæ in nostram fortassis adhuc ætatem creduntur.

Sed cum nec auctoritas, nec temporis longitudo præscribere veritati possit, quam primum amor elegantiorum litterarum reuixit, Historia quoque ius suum postliminio repetere cœpit. Multa loca ope critices illustrata, infinitæ fere lacunæ ex consultis MScriptis suppletæ, & correctiores codices, si quos reperire contigit, reliquis emendandis feliciter adhibiti. p. 5.

Hac via incesserunt celeberrimi superioris ætatis critici, vtpote primi, qui lucem historiæ accendere allaborarunt. Quamquam non pari semper felicitate illis res successit. Nam in nonnullis nominibus vocabulisque æquiuocis, teste fide digno ac certiore destituti, nihil voluerunt explorati definire, tum quamplurimi MScripti codices alii ex aliis fuerunt descripti, atque ita plerumque iisdem in locis similiter aut aliis erroribus corrupti. p. 6.

Ad documenta itaque tutiora, & corruptioni haud adeo obnoxia confugiendum erat. Cuiusmodi sunt Inscriptiones, Anaglypha, aliaque eiusmodi monumenta antiquitatis, & inprimis, de quibus iam loquimur, numismata. Hæc sunt, quibus tempus ipsum honorem atque reuerentiam detulisse videtur. Hæc sunt testes sinceri, primæ auctoritatis, & corruptioni minus subiecti, quos & sua antiquitas, & memoria rerum magni momenti, quam conseruant, nobis venerabiles reddunt. p. 7. His debemus, quod Græcorum elegantiæ, Romanæ potentiæ, multorumque aliorum populorum per vniuersum terrarum orbem celebratorum rudus adhuc aliquod siue vmbram oculis vsurpemus. Horum beneficium est, quod ad viuum expressas considerare nobis licet imagines Regum & Monarcharum, quorumcunque, Cæsarum, Tyrannorum,

Virorumque dignitate illustrium, qui omnes in hisce monumentis ab iniuria temporis tutissimum inuenerunt asylum. *Per hæc*, inquit Ennodius, *simulachra nesciunt obitum vel sepulti; in æternitatem migrat per has artes imago mortalium, & angustam humanæ naturæ legem vincit industria.*

p. 8. Ad horum monumentorum cognitionem referuntur quoque busta, figuræ, marmora, æra antiqua, annuli & vniuerse abstrusissima quæque Theologiæ Ethnicorum mysteria.

Hæc itaque scientia non ei tantum modo necessaria est, qui Historiæ operam impendit; Sed omnibus etiam illis, qui monumenta antiquitatis accurate intelligere instituunt. Hac enim cognitione destituti, apte de iis verba facere numquam poterunt; ceterum vtilem esse ve-
p. 9. terum inquisitionem monumentorum soli hodie dubitant inepti & imperiti homines, quique in omnium elegantium rerum ignoratione versantur.

Multi iam viri eruditissimi publicis scriptis docuerunt, quæ ex inuestigatione horum monumentorum capi possunt vtilitates. Præ ceteris peculiare de hac materia scriptum composuit Illustris Spanhemius. Quin imo Academia Gallica his inuestigandis illustrandisque a Ludouico M. instituta, omnium oratione disertius declarat, quo loco habendum sit istud studium.

Quoniam igitur numi multum passim afferunt lucis, in hoc quoque monumentorum genus longe maximus eruditorum numerus operam suam contulit, qui integras numorum series colligere cœperunt ex modulis & metallis quibuscumque. Hos ordine conantur disponere chronologico, ad disciplinam omnium optimo, quippe quo cuilibet sæculo proprii ipsius tribuuntur euentus, & vno quasi intuitu oculis sisti-
p. 10. tur ordo & locus, quem Heroes in antiquitate tenuerunt. At enim eiusmodi ordinem in disponendis numis adhibere, non tam facilis res est, vt sibi plerique imaginantur. Quam multæ sæpe obuenerunt etiam eruditissimis quibusque difficultates & tenebræ, quo minus potuerunt iusto loco singulares quosdam Imperatorum atque Augustarum collocare numos, de quorum neque ætate neque rebus gestis constat, & quo-

rum

rum nomina fere aut corrupta leguntur, aut ab Hiſtoricis præter-miſſa?

Ex horum numero ſunt Pacatianus, Marinus & Nigrinianus, quorum numiſmata in Numophylaciis adſeruantur. Olim inter Augu- p. 11.
ſtas Barbiæ Orbianæ, Corneliæ Superæ & Seuerinæ veri mariti erant incogniti, & hiſtoria illarum temporis nihil certi de iis nobis reliquit.

Quod ad Marinum attinet, cuius Apotheoſis in ſingulari quodam inuenitur numo, neutiquam dubito, eundem cum eo eſſe, cuius mentionem fecerunt Zoſimus atque Zonaras. Huius itaque numum poſt Philippos collocandum cenſeo, his enim imperantibus, vti auctores adducti tradunt, iſte inſurrexit Tyrannus.

Circa collocationem Pacatiani maior adhuc erat difficultas. Poſt ea vero, quæ a Rev. P. Chamillardo & Celeberr. Gallando circa compoſitionem numorum huius Principis obſeruata ſunt, non amplius ambigemus, illos Philippicis eſſe quam ſimillimos. Nullum porro dubi- p. 12.
tationi locum relinquit, quod Baudelotus in epiſtola ad Gallandum demonſtrauit, Pacatianum hunc eundem eſſe cum Jotapiano in Hiſtoriarum monumentis obuio. Cum enim nulli inueniantur nomen Jotapiani referentes, & hoc alibi in nomen Papiani ſit corruptum, veriſimillimum eſt, duos hoſce vnum eundemque eſſe, vt pro Jotapiano & Papiano vtrinque corrigendum ſit Pacatianus. Hanc coniecturam exemplis aliis confirmare poſſem quam multis. Cui enim facile ſuboluiſſet, quod Balatus ſiue Balbatus, qui in hiſtoricis reperitur, idem ſit cum Vabalatho, quem numiſmata produnt; & Diadumeni, vt vocatur apud nonnullos ſcriptores, verum nomen ſit Diadumenianus, cuius mentio in numis occurrit. Ita Zoſimus quoque, vel librarii potius, ex Aureolo p. 13.
ſibi finxerunt Aurelianum. Alia eiuſmodi longe plura afferri poſſent, ſed nimis a propoſito aberrarem, ſi omnia olim hoc in negotio a me obſeruata in medium hoc loco producere inſtituerem.

Nigriniani ætas, iis, quæ hactenus hanc in rem prolata ſunt, conſideratis, incertiſſima mihi videtur. Nihilo minus meam de ea ſententiam peculiari diſſertatione proponam, in eaque oſtendam, quod ab iis, quæ numi huius Imperatoris nos edocent, nimis longe receſſerint

eruditi, cum illum fecerunt filium Alexandri, regnante Maxentio, in Africa Tyranni.

Nonne constat antiquariis, diu fuisse incognitum, cuinam Im-
p. 14. peratori Barbia Orbiana tamquam vxor tribuenda sit? Nonnulli Traiano illam Decio accensuerunt. Sed numus a Seguino allatus, singularis raritatis, in quo caput Alexandri Seueri in aduersa, in auersa vero parte Barbiæ Orbianæ cernitur, hanc opinionem destruit, suppletque rem in Historiarum monumentis neglectam.

Sic numo singulari in Gaza regia obuio docemur, Etruscillam Traiani Decii fuisse vxorem, quoniam in auersa parte huius Imperatoris numi inuenitur.

Exstat & alius, ex quo apparet, Seuerinam Aureliani vxorem exstitisse, in cuius numi auersa parte Princeps hæc insculpta sistitur.

Haud eadem est ratio Corneliæ Superæ cum tribus præcedentibus. Hæc enim meris coniecturis marito suo vindicata est. Coniugem Valeriani Jun. eam facit Cl. Tristanus, & argumentum omnium
p. 15. optimum ex conditione numorum huius Principis petiit. Celeberrimus quoque Valens, in hocce studiorum genere versatissimus, calculo suo dignam hanc ipsius sententiam censuit.

Magnia interim Vrbica, cuius varii numi exstant, inter Principes adhuc incognitas numeranda est. Quoniam enim in libris de ea altum est silentium, ei, vt ita dicam, soli inhærendum existimo, ad tempus ipsius imperii & nomen mariti cognoscendum. Qui hactenus eam, hocce adminiculo destituti, certis quibusdam Imperatoribus tribuere
p. 16. ausi sunt, parum produxerunt congruentia vel Historiæ horum Principum, vel typis atque imaginibus ipsorum, vel denique numorum Vrbicæ atque Maxentii, cui pro coniuge illam assignant, conditioni ac sculpturæ. Prius vero quam vlterius mentem meam explicem, paucis repetenda necessario esse duco, quæ de ætate Vrbicæ hactenus a viris doctis exposita sunt, vt lector faciat iudicium, num deinceps afferenda firmiori ac tali critico innixa sint fundamento, quale desiderare huiusmodi argumentum ac flagitare videtur.

Occo, celebris Medicus Augustanus, & peritissimus Antiquita-
tis

tis, omnium primus de Magnia Vrbica mentionem fecit, & Principem hanc post Maxentium collocauit.

Clarissimus Tristanus, Occonem secutus, itidem numos Ma- p. 17.
gniæ Vrbicæ Maxentianis subiecit. Neuter vero hac coniectura sua præiudicare aliis instituit, quod ipsemet Tristanus his verbis testatur: *Non colloco*, inquit hoc in loco, *Magniam Vrbicam, ac si de eius marito certus iam essem; pro vero duntaxat habeo, illam non fuisse Magnentii vxorem, vt nonnulli iudicarunt, quod forma eius numorum clarissime prodit.*

Nec Patinus vlterius coniecturis suis indulsit. Nam de numo huius Augustæ, quem sculpi curauit (*a*): *Dubitatur*, inquit, *de eius adhuc ætate, num fuerit vxor Maxentii an Magnentii.* Auersa pars huius numismatis *Venerem* sistit *Victricem.* Denique adiicit, alium sibi esse eiusdem numum cum lemmate *Venus Genetrix*; itaque vxorem potius p. 18.
Maxentii quam Magnentii existimat, *hanc*, vt ait, *ob causam, quoniam nullo constat testimonio, liberos habuisse Magnentium.*

Begerus, qui paucis abhinc annis Thesaurum Palatinum publici iuris fecit, in quo permulta magno studio accuratissime rimatus est, nihil de ea amplius (*b*) nos edocet.

Rev. P. Harduinus pro singulari sua ingenii sagacitate præ aliis omnibus veritati quam proxime accedit, in Sæculo Constantini p. 69. affirmans, illam Carini aut Numeriani vxorem exstitisse. Parum abfuit, quin conueniamus; saltim meæ sententiæ felix hoc mihi visum est augurium. Sed quoniam vir hic, antiquitatis omnis callentissimus, argu- p. 19.
menta firma hisce obiter a se dictis addere intermisit, sententia Occonis aliorumque, qui Vrbicam faciunt Maxentii vxorem, hactenus obtinuit.

Hæ sunt, Illustrissime Domine, sententiæ; aut diuersæ, si mauis, coniecturæ, quas hactenus de ætate Magniæ Vrbicæ fouerunt eruditi.

Constabat, Maxentio fuisse liberos, quorum natu maximus vo-

(*a*) in Thesauro Num. p. 15. (*b*) At in Thesauro Brand. Tom. II. p. 795. post Maxentium eam collocat, eiusque vxorem, non autem Magnentii fuisse contendit: *Hic enim*, inquit, *cum Christianus fuerit, non est, vt Ethnico numine*, vtpote VENERE VICTRICE, *vxoris formam credi debeat commendasse.*

cabatur Romulus, inter Deos relatus, quod hæc ex numis ipſius petita teſtatur inſcriptio: DIVO ROMVLO NVBIS. CONS. Alterum præterea habuit, ſi coniecturis fides, cuius æque ac matris nomen eſt incognitum. Itaque cum numi Magniæ Vrbicæ Principem hiſtoriis ignotam repræſentent, & nonnullorum typi, vti illius, in quo *Venus Genetrix* legitur, liberos eam genuiſſe notent, inde exiſtimarunt, quod Maxentio illa coniux aſſignari haud abſurde poſſet. Sed facile apparet, hoc non ſatis firmiter inde colligi, & coniecturam nimis eſſe vagam atque incertam, vt ex ea certi nihil exſculpi queat. Quam multi enim Imperatores alii, perinde vt Maxentius, liberos ſuſceperunt, quorumq; vxores apud Hiſtoricos non nominantur? Sic VENVS etiam GENETRIX, quæ Patinum adduxit, vt eam Maxentio potius quam Magnentio tribueret, nihil aliud probat, quam Principem illam liberos eſſe enixam. Sed ex hoc minime ſequitur, illam exſtitiſſe vxorem Maxentii.

p. 20.

p. 21. Haud interim meliora apud quemquam inueni eius rei argumenta. Sane ſententia hæc ſi aſſerenda fuerit, ſcriptoribus tacentibus, fieri id non queat, niſi auctoritate numorum, vel inſcriptione vel characterum forma, vel reliqua ſculptura ac conditione conſimilium. Quod poſtremum neutiquam leuiſſimum eſt ex iis, quæ conſiderari merentur, perinde vt litterarum ductus & inſcriptionis indoles atque ratio. Coniecturæ vero, a viris doctiſſimis in medium prolatæ, quibus Magniam Vrbicam contendunt vxorem fuiſſe Maxentii, nullo horum argumentorum nituntur, vt facile iam oſtendam.

p. 22. Imo. Pro certiſſimo haberi poteſt argumento, quod numi cuiuſque Imperatoris, & numi coniugis eius, liberorumque, quoad externam conditionem, characteres, inſcriptiones, tum quoad litteras quaſdam ſubſcriptas, certa præcipue ætate occurrentes, inter ſe conuenire debeant.

IIdo conſtat, vnicuique ſæculo ſingulare fuiſſe ingenium, vt monumenta illius ætatis pro exiſtimatione & amore præmiiſque, quo litteras & artes ſunt proſecuti, quælibet in ſuo genere minus aut magis excellant arte & elegantia. Secundum hanc quoque regulam, vti obſeruat Baudelotus in tractatu de vtilitate ex itineribus capienda, &

p. 23. marmora & alia iudicanda ſunt monumenta. Illa, numiſmatum inſtar, reti-

retinent impressum, vt ita dicam, vestigium & characterem suæ quæque ætatis, cui originem debent. Cum itaque hoc sit certissimum, infinitisque fere & probe cognitis probatum exemplis, examinanda nunc venit ratio & conditio numorum Maxentii & Magniæ Vrbicæ, num inter se conueniant. Inspectio autem vtriusque contrarium testatur. Minime itaque dubitandum est, quin tempore cusi fuerint maxime diuerso.

Hoc argumentum in eiusmodi materiarum genere alicuius ponderis esse atque auctoritatis debet, lubentiusque eo vtor, quoniam Romuli inuenio numismata, Maxentii patris numis ad amussim eo in genere similia. Igitur nec dubitationi nec difficultati locus relinquitur, p. 24.
numos Magniæ Vrbicæ eadem esse conditione oportere, si reuera sint tempore Maxentii cusi.

Si forma numi ac compositio non admittatur pro argumento satis firmo, ad destruendam hanc sententiam, accedunt quædam litteræ, quæ plane eam euertunt. Eiusmodi characteres in numis mariti atque vxoris diuersi esse minime debent; hoc autem loco nihilominus sunt diuersi.

Hunc vsum vt ostendam, & maiorem vim argumento meo, ex hoc petito, addam, non abs re fuerit, pauca de hisce in medium afferre characteribus, quibus numi Imperii sequioris ætatis communiter sunt referti. Hunc vero vsum tempore Gallieni primo obseruare licet. Nonnulli tamen in numis Philippi, & M. Otac. Seueræ ipsius vxoris, argen- p. 25.
teis cernuntur.

In subsignatione

I

I I

I I I

I I I I

ε

In area

S

ε

Quod ad Gallieni numos attinet, ſub quo hunc vſum obtinere cœpiſſe vere poteſt affirmari, in iis inſculpebantur ſingulæ quædam litteræ, ſiue græcæ ſiue latinæ, pro lubitu iam in area, iam in ſubſignatione collocatæ, vt videre licet ex hoc catalogo, petito e numis huius
p. 26. Imperatoris, quos permultos aſſeruo.

Litteræ variæ, quæ in Imperatoris Gallieni & Saloninæ, eius vxoris, numis æreis minimi moduli inueniuntur.

GALLIENI
In ſubſignatione.
p. 27. A
B
Γ
Δ
Ɛ
S
VI
Z
H
N
X
XI
XII
P
T
In area.
A
B
Γ
Δ
Ɛ
IV
V
S

VI
Z
H
IX
X
XI
N
SALONINÆ.
In ſubſignatione
Δ
S
VI
g
Q
MS
PXV
In area
A
B
Δ
S
V
VI
Z
MP
MS

MT
PXV
POSTVMI
In ſubſignatione
P
S
T
In area
P
VICTORINI
In area
V
VABALATHI
in auerſa parte numorum
Aureliani
B
Z
H
CLAVDII
Gothici.
In ſubſignatione
A
B
Γ

Δ
P
Q
T

ε
Z

N
P
T
X
XI
XII
ANVS
In area
A
B
Γ
Δ

ε
ʒ ſic
S
Z
H
I
II

N
P
P
Q

X
XI
XII
QVINTILLI.
In ſubſignatione
Γ

Δ
P
S
T
V
XI
XII
In area
A
B
Γ
Δ
ε
S
Z
N
Q
X
XI.

Eædem litteræ maiori tamen numero in numis Aureliani occurrunt, in quibus aliæ etiam hactenus in numis nunquam viſæ introduci cœpere; quæ etiam in Taciti, Floriani, Probi, eiuſque filiorum duorum Carini & Numeriani numis obſeruantur, vt hic prodet elenchus.

p. 28.

AVRELIANI.
In ſubſignatione
A
B
C
Γ
Δ
ε
QM
SM

TM
KAA
KAB
KAΓ
KAΔ
QXXI
ZXXI
In area & ſubſignatione.
A
P

Q
S
S
H
P
Q
T
IV
V
VI

VII
VIII
AC
CA
CT
ΓC
ΔC
HC
Γ XXIR
Δ XXIR
I XXIR
S XXIS
S XXIT
S XXIV
SEVERINI.
In ſubſignatione
Γ
Δ
Ɛ
S
Z
VXXT
VXXI
VIXXI
In area & ſubſign.
S XXI
IV XXI
RS XXI
B XXIR
Ɛ XXIR.
TACITI
In ſubſignatione
I
II
III

IV
V
VI
C
Δ
PXXT
SXXT
TXXT
QXXT
XXIP
XXIS
XXIΓ
XXIΔ
XXIQ
XXIV
XXIVI
PXXI
BXXI
SXXI
ΓXXI
TXXI
M
P
Q
S
T
AA
BA
CA
XXIA
XXIB
XXIΓ
XXIΔ
XXIƐ
XXIS

XXIZ
XXIP
In area & ſubſignatione.
A
B
C
Δ
AA
ΔA
B XXI
Γ XXI
S XXI
Q XXI
Z XXI

FLORIANI
In ſubſignatione
I
II
III
XI
XII
A XXI
B XXI
S XXI
Γ XXI
I XXI
Δ XXI
Q XXI
Ɛ XXI
V XXI
VI XXI
VII XXI
Z XXI

A XXIR
B XXIR
IIII pag. 29.
V
A
P
Q
S
T
KAΔ
XXIB
XXIΔ
XXIЄ
XXIS
XXIVI
XXIZ
In area & Subſign.
Γ XXI.
PROBI
In ſubſignatione
I
II
III
IIII
V
A
B
C
Ↄ
RA
RB
RΓ
RΔ
RЄ

RS
RZ p. 30.
KAA
KAB
KAΓ
KAΔ
XXIA
XXIP
XXIS
XXIΓ
XXIT
XXIΔ
XXIQ
XXIЄ
XXIV
XXIVI
SXXT
TXXT
QXXT
ΓXXI
VXXI
VXXT
VIXXT
In area & Subſign.
A
B
C
X
A XXI
P XXI
B XXI
S XXI
T XXI
Δ XXI

Q XXI p. 31.
SXXI
TXXI
TXXIT
VXXI
VIXXI
SMSXXIA
SMSXXIB
In areâ & Subſign.
A
C
D
A LVC
D LVC
Є XXI
V XXI
V TXXI
VI XXI
VII XXI
Є PXXI
I QXXI
I QVIXXI
Q SXXI
CM XXIP
CM XXIS
CM XXIQ
MC XXI
PMC XXI

CARI
In ſubſignatione
I
II
III

IIII
CA
KAA
KAB
KAΓ
KAA
AKΔ
BKA
ΓKA (*)
ΔKA
XXIA
PXXI
SXXI
QXXI
A XXI
B XXI
Γ XXI

NVMERIANI
In Subſign.
KAA
KAB
KAΓ
KAΔ
KAS

KAZ
SKA
9XXI
VXXI
VIXXI
STXXI
In area & ſubſignatione
A
B
D
P XXI
A SMSXXI

MAGNIÆ VRBI-CÆ
In ſubſignat.
SXXI
SXXIT
KAΓ
KAS
KAS
In area & Subſign.
D
A SMSXXI

CARINI
In ſubſignatione
KAA
KAB
KAΓ
KAΔ
KAЄ
KAZ
EKA
ZKA
QXXI
ΔKA
VXXI
VIXXI
TXXI
In area & Subſign.
C
B
C LVC
Γ XXI
Δ SMSXXI
S XXI
TR XXI

(*) T. IV. n. I.

Eundem ſemper in numis horum Principum vſum cernere licet, ſed vltra hoc temporis ſpatium non producitur; quamuis enim in Diocletiani etiam & Maximiani, & collegarum Conſtantini Chlori, Galeriique Maximiani nonnumquam ſimiles litteræ inueniantur, tamen neque eodem ordine, nec tanto numero occurrunt, vt in deſuetudinem abire paulatim iam incepiſſe facile obſerues. Hæc etiam eſt cauſa, quod nouæ quædam in numis horum Imperatorum notæ ſeſe offerunt, v. g. P. TR. quæ in Diocletiani primo aut Maximiani obtinuit, atque durauit in numis Maxentii, totiuſque familiæ Conſtantinæ; aliorum-

p. 32.

rumque. Siglæ vero MOST. P. MOST. S. MOST. T. MOST. Q. in Licinii & Constantini M. numis occurrentes, sub Maxentio demum inceperunt, in cuius ætatis numis quam frequentissime illas inueni. Notæ CON. & CONOB, quæ ingeniis eruditorum tantopere crucem fixerunt, initium sub Constantino capiunt. CONOB. sub Hannibaliano Ponti Rege, vnde & in aureis plerisque Imperatorum Romanorum, Hannibalianum insecutorum, numis, & in nonnullis primorum Franciæ Re- p. 33. gum reperiuntur. Huiuscemodi characteres olim fere negligi contigit, viris doctis in præcipuam duntaxat numismatum inscriptionem animos intendentibus. Minime interim dubitandum censeo, quin explicatio harum litterarum, aut ænigmatum potius, insignem antiquitati lucem afferat, nobisque non mediocriter inseruiat ad multa, quæ ab illis dependere videntur, euoluenda, quæ in sequiori ætate Imperii, qua sæpius caligo & obscuritas imperium tenet, notitiam nostram hactenus effugerunt. Illa tamen perspecta habere, fortassis conferret nonnihil ad origines rituum morumque præsentis ætatis eruendas, quæ similiter nos latent, & quæ ab hisce temporibus deriuanda videntur.

Non tamen primum me obseruasse hosce characteres profiteor, p. 34. licet, vt præstantissimo Baudeloto constat, haud exiguum illorum numerum, lucis ex iis mutuandæ gratia, iam collegeram, priusquam ille mecum communicabat scriptum ineditum Rev. P. Wiltheimii, in quo eruditus hic Jesu Socius quam plurimos conquisiuit. De nonnullis etiam sententiam suam varii iam tulerunt viri docti, antiquitatis periti. Sed R. P. Harduinus omnium exstitit primus, qui, vt ita dicam, me præuenit, atque in Sæculo suo Constantini, genus quoddam Systematis admodum singularis ex hoc genere imprimi curauit. Nihilo tamen minus affirmare audeo, minime illis in hac inuestigatione tam feliciter rem successisse, vt futura spes erat: & quamcunque partem aliquis in diuersis, quæ exstant, opinionibus amplectatur, difficultates adhuc superesse incredibiles ac propemodum inuictas, vti ostensu esset facillimum. p. 35. Sed quicquid demum diuersi isti characteres significent, quibus omnia sequioris Imperii numismata scatent, (quod hoc loco explicare non est nostri instituti) res tamen videtur esse certissima, litteras in Numis Augustæ cuiusdam semper respondere litteris, quæ conspiciuntur in numis Impe-

Imperatoris, ipſius mariti. Quod, ſi dubitas, obſeruare tibi licet ex numis Gallieni & Saloninæ, Aureliani & Seuerinæ, Conſtantini & Fauſtæ, atque ſic porro. Idem quoque vſus obſeruatus in numis ipſorum natorum cernitur; e. g. P. TR ſiue S. TR. quod ante Diocletianum & Maximianum haud reperi; ſed in Conſtantini demum & Fauſtæ, ipſius vxo-
p. 36. ris, occurrit numiſmatibus: legitur adhuc ſecundum hanc regulam in numis totius illorum familiæ, in Helenæ, Conſtantini matris, triumque eius liberorum, Conſtantini Junioris, Conſtantis & Conſtantii, vti in Dalmatii quoque Conſtantini nepotis. Hæc characterum ſimilitudo præterea in numis obſeruatur Collegarum, quemadmodum in Diocletiani & Maximiani, Conſtantii Chlori & Galerii Maximiani, Seueri & Maximini. Sic poſtea quoque in numis Valentiniani, Valentis eius fratris, Gratiani eius filii, hanc ſingularem & ſimilem inſcriptionem reperi: R. PRIMA. R. SECVNDA. R. TERTIA. R. QVARTA. Examinatis itaque litteris, quæ in area vel in ſubſignatione numiſmatum ſe-
p. 37. quioris æui obuiæ ſunt, facile colliges, litteras in Magniæ Vrbicæ numis cum litteris in numis Maxentii eiuſque filii Romuli conuenire debere, ſi quidem vxorem eam Maxentii fuiſſe volunt. Haud ab re igitur erit, characteres illos hic referre, qui in Maxentii, Romuli & Magniæ Vrbicæ numis occurrunt, vt exinde colligi queat, quod haud difficulter ac me tacente conſequetur.

Litteræ ſiue characteres, qui in ſubſignatione numorum Maxentii, eiuſque filii, Romuli inueniuntur.

MAXENTIVS

In ſubſignatione

P T	A Q T	MOSTB
S T	P T R	MOSTS
TT	R B Q	MOSTT
ANT	R E P	MOSTΔ
A Q S	MOSTP	MOSTQ

Eadem

Eædem obuiæ sunt litteræ in numis Romuli eius filii. p. 38.

ROMVLVS

In ſubſignatione.

RT	MOSTS
RBS	MOSTT
RЄP	

Litteræ, quæ in numis cernuntur Magniæ Vrbicæ, hæ ſunt.

In ſubſignatione.	In area.			
	D	*Venus Genetrix*	*Magn. Vrbica. Aug.*	
SMSXXI	A	*Salus Publica*	*Magnia Vrbica Aug.*	T.IV.n.2.
SXXI		*Venus Celeſt.*	*Magnia Vrbica Aug.*	
SXXIT		*Venus Victrix*	*eadem epigraphe*	T.IV.n.3.
KAΓ		*Venus Victrix*	*Magn. Vrbica Aug.*	
KAS		*Venus Victrix*	*ead. epigr.*	T.IV.n.4.
KAS		*Juno Regina*	*ead. epigr.*	

Cum litteræ iſtæ in Magnia Vrbica & Maxentio diuerſæ ſunt, eademque diſſenſio inter ipſius Romulique eius filii ſiglas reperitur, non p. 39. video, qua ratione eruditi opinioni veteri vlterius adhærere in hoc negotio poſſint, compoſitione & inſcriptione ipſorum numiſmatum tam manifeſte contradicentibus. Quod ad me, Illuſtriſſime Domine, attinet, vſque adeo ſententiam foueo contrariam, vt Magnia Vrbica ex rationibus iam allatis ad aliud tempus referenda mihi omnino eſſe videatur: & licet ipſa hiſtoriarum monumenta cuiuſdam Magniæ Vrbicæ tamquam Maxentii vxoris mentionem feciſſent, neque ita tamen deſiſterem, aliam Principi noſtræ quærere ætatem, aliumque maritum, congruentem ei ſimilitudine characterum & numorum, quibus neglectis hac in re nihil certi conſtitui poteſt. p. 40.

Sententia illorum, qui Magniam Vrbicam Magnentio, aut Decentio, aut denique Magno Maximo tribuunt, tam parum veriſimilis eſt, hiſce myſteriis initiatorum iudicio, vt refutatione indigna videatur. Vt tamen omnino falſam eſſe conſtet, ſuffecerit, iiſdem argumentis inſiſtere, eandemque obſeruare methodum, qua in Maxentio vſus ſum.

 Formæ

Formæ fabricæque conditio atque inſcriptio penitus diuerſæ in illis cernuntur; neque vllos adeo ſectatores hæc habuit ſententia, quantum ſciam. Prænomen tantum MAG. quod in nonnullis Decentii, Maximique numis obuium eſt, anſam præbere huic coniecturæ potuit; nihil
p. 41. autem hoc probat, ratione idonea & huic rei congruente deſtitutum. Quod ad Magnentium attinet, ad quem itidem nonnulli hanc Principem propter conuenientiam nominis referre voluerunt, conſtat, huius Imperatoris coniugem vnicam fuiſſe Juſtinam, quam deinde ob ſingularem eius venuſtatem, & præclaras, quibus inſtructa erat, ingenii dotes Imp. Valentinianus duxit. Quæcunque igitur eam in rem afferuntur, falſa & chimærica ſunt, non minus quam prænomen Magnentia, quod nonnulli ſunt commenti, vt eam hac ratione ad ſuam ſententiam traherent, pro quo omnino tamen Magnia Vrbica legendum eſt, quo pacto integrum expreſſum in numis nonnumquam inuenitur.

p. 42. Ad examen itaque vocatis variis, quas hactenus de iſthac Auguſta eruditi fouerunt ſententiis, atque oſtenſo, illam nequaquam poſſe vni ex hiſce tribui Imperatoribus, cuius fuiſſe vxorem eam contendunt, nihil amplius reſtat, quam vt meam proferam ſententiam, eamque argumentis confirmem. Simul quoque expendam opinionem R. P. Harduini, oſtendamque, num Carino aut Numeriano, vti vir iſte eruditus ſentit, illa tribuenda ſit; & fueritne alius Princeps, qui potiori iure hanc poſtliminio ſibi vindicare poſſit.

Primo dici queat, quod licet hæc noſtra Auguſta vxor Carini aut Numeriani exſtitiſſet, quæ eſt opinio Patris Harduini, eo vſque tamen ſemper hac de re eſſet dubitandum, donec inueniretur teſtimo-
p. 43. nium aliquod ſaltim ſpecioſum, quod Carino, in cuius partem maxime vir ille doctus inclinat, eam adiudicaret. Sed quoniam nobis argumenta haud ſiſtit ad ſuam opinionem tuendam idonea; quin & illa, quæ adduci ab eo potuiſſent, aliis ſint communia Imperatoribus, omnem mihi meam confirmandi, libertatem conceſſit. Conditio formæ atque litterarum duo ſunt in numis maxime obſeruanda, & in eiuſmodi diſquiſitione probe conſideranda inprimis, e quibus cognoſci ſtatim poſſit, quo tempore Imperator aut Auguſta, de cuius numo quæritur, imperio præfuit. Hæc vero cum minime ſufficiant ad diſcutiendas, quæ

quæ aliunde oriri poſſunt, difficultates, peculiari labore indagan- p. 44.
da ſunt argumenta, quæ magis faueant vni, quam alteri tertioue Imperatorum, in quorum numis, vti hoc loco formæ conditio & litterarum inter ſe conueniunt. Quod pulchre mihi ſucceſſiſſe, adeoque me in hoc ipſo negotio inueniſſe exiſtimo, quo quandam certi ſpeciem meæ ſententiæ addere valeam. Tanto igitur confidentius ſententiam meam publici iuris facio, quod iam eruditorum quorundam calculum tuli; & ipſemet R. P. Harduinus, cum Magniam Vrbicam propius veræ ſuæ ætati admouet, aliquo modo meum adiuuat inuentum. Primus enim ſum, (præfiſcini dixerim) qui ad hanc Principem applicui, quæ ex Virorum doctorum obſeruatis ſequi colligique poſſe videntur. Hardui- p. 45.
num quidem, qui Carino aut Numeriano, ſed priori magis quam alteri Magniam Vrbicam coniunxit, adiuuant ſane & conditio formæ & litterarum in numis Vrbicæ horumque Principum inter ſe congruentes. Ex hoc autem vnico argumento nihil adhuc inferri poteſt, quod ſingulatim magis faciat pro duobus hiſce Principibus, quam pro aliis quibuſuis, quorum in numis eadem conſenſio formæ & inſcriptionis obſeruatur, atque litterarum genus, quod in ſubſignatione legitur, itidem ſimile occurrit. Donec igitur rationes afferantur, quibus Vrbicam vni potius quam alteri tribuunt, difficultates ſemper reſtabit, quod de quinque aut ſex Imperatoribus non minus quam de Carino p. 46.
idem queat affirmari.

Ita conſideratis ſola numorum forma & litterarum ſubſignatione, Principes inuenio plures, qui illam ſibi coniugem vindicare poſſunt. Ex horum numero eſſet Aurelianus, niſi iam de Seuerina vxore eius conſtaret; itemque Tacitus, Florianus, Probuſque. Rationum mearum vna hæc eſt, quod characteres KAA. P. X. XI. & alii eiuſmodi, quorum vſus ſub Aureliano demum obtinuit, in omnium horumce Imperatorum numis inueniuntur, ipſamet quoque ſtructura, vt ſupra iam notaui, tam exiguo tempore non adeo notabilem admittit differentiam. Imperatores enim a me memorati, vix ac ne vix quidem decem aut duodecim annis vniuerſi imperio præfuerunt. Illorum ita- p. 47.
que examinandæ ſunt affinitates, numi ſingulorum cum Magniæ Vrbicæ numis conferendi, atque ita elaborandum eſt, vt, cuinam marito tribuenda ſit legitimo, detegatur.

 Taci-

Tacitum liberos ſuſcepiſſe Vopiſcus nos docet in Oratione, quam coram Senatu recitauit Falconius Nicomachus, in hac poſt factam electionem huius Senatoris ad Imperium: *Gratias igitur*, inquit, *Diis immoratalibus ago atq; habeo, & quidem pro vniuerſa Republica, Teque* Tacite
p. 48. Auguſte, *conuenio, petens, obſecrans, libere pro communis patriæ legibus depoſcens, ne paruulos tuos, ſi Te citius fata præueniant, facias Romani hæredes Imperii.* Quibus egregia hæc verba addit: *Quare circumſpice, imitare Neruas, Traianos, Hadrianos, ingens eſt gloria morientis Principis, Rempublicam magis amare quam filios.* Magnia igitur Vrbica, quæ in numis *Venus Genitrix* audit, Tacito poſſit competere. Sed quod idem
p. 49. auctor paulo inferius addit, *Tacitum* videlicet *vxorem gemmis vti* non eſſe paſſum, noſtræ Principi haud conuenit, quoniam ipſius numi illam gemmis plane onuſtam nobis ſiſtunt, vti cernitur in ſingulari illo, quem ipſemet aſſeruo, cuiuſque ectypon accurate hic dilineari curaui.
T. IV. n. 3. E vulgari eſt ære minimi moduli, Magniam Vrbicam humero tenus referens ſuper luna creſcente; ornatam vndique gemmis atque vnionibus.

Florianus, Taciti Imp. frater, multos non minus liberos habuit,
p. 50. vt vitæ ipſius auctor tradit: *Et Floriani*, inquiens, *liberi & Taciti multi extiterunt, quorum ſunt poſteri credo milleſimum annum exſpectantes, in quos multa Epigrammatica ſcripta, quo iocati ſunt aruſpices Imperium pollicentes.* Cum autem, vt nonnulli auctores referunt, proprio potius marte, quam auctoritate Senatus Imperium arripuit, atque vix tenuit per duos menſes integros, non veri videtur ſimile, Magniam Vrbicam eius coniugem fuiſſe.

Nec de Probo fas eſt dubitare, quin fuerit maritus, liberoſque ſuſceperit. Vopiſcus duobus in locis hoc ſatis declarat. Primo affert
p. 51. verba, in acclamationibus edita, cum Orationis ſuæ Aelius Scorpianus Conſul finem feciſſet: *Probe Auguſte, Te cum Tuis Dii cuſtodiant.* Altero magis euidenter: *Poſteri*, inquit, *Probi, vel odio inuidiæ, vel timore Romanam rem*, hoc eſt, regionem Romanam *fugerunt: & in Italia circa Veronam & Benacum lacum, atque in his regionibus larem locauerunt*, & reliqua. Cumque imago ſiue ſtatua Probi, fulmine tacta, colorem in veſte mutaſſet, reſponderunt haruſpices, futurum vt poſteri inſignis hu-
p. 52. ius familiæ in Senatu aliquando illuſtres redderentur, magniſque afficerentur

rentur honoribus; vnde Probum liberos reliquiſſe conſtat. Tabella
ære deſcripta, quam hoc loco adiunxi, elegantem Probi numum maxi- T.IV.n.5.
mi moduli exhibet, qui ſaltim nobis oſtendit, eum fuiſſe vxoratum.
In aduerſa parte caput ſiſtitur huius Principis iunctum Auguſtæ, ipſius
fortaſſis vxori, quam nonnulli, quo fundamento nixi neſcio, Juliam
Proclam appellant: hoc duntaxat affirmare poſſum, diuerſam eſſe ab ea,
quam ſculpi curauit Cl. Seguinus; vti ad Juliani Cæſarës in gallicum ele-
gantiſſime translatos, obſeruauit Illuſtris Spanhemius. Forma numo-
rum Juliæ Proclæ, vti & tota compoſitio atque volumen, quod numis p. 53.
temporum cadentis Imperii minime conuenit, a Probi numis admodum
differunt. Mihi autem videtur, ipſe hic eſſe Probus, quem inquiro,
& Magnia Vrbica illa ipſa Auguſta capiti huius Imperatoris adiuncta
in raro illo maximi moduli numo, quem accurate ſculpi magno ſtudio T.IV.n.6.
curaui. Huic adieci alium cum Adlocutione Probi, hactenus luci haud T.IV.n.7.
expoſitum; cuius ectypon Lompreus, Regii Stabuli Magiſter ὁ μακαρίτης
mecum communicauit, tuo etiam, Illuſtriſſime Domine, cimeliarchio,
vt cum voluptate percepi, ab eo tempore illati. Singularis ille eſt ra-
ritatis, & ad exponendam rem geſtam, hiſtoriarum monumentis ſignifi-
candum nobis inſeruire poterit. Nolo hic eius expoſitionem aggredi,
quoniam longius ab inſtituto me abduceret. Cum vero exemplum p. 54.
mihi eſſet de inſigni quodam maximi moduli numo Magniæ Vrbicæ,
parum hactenus cognito, expreſſum Verſalias illud mecum apportaui,
vt ibi cum capite feminæ, quod in Probi numo maximi moduli occur-
rit, conferrem. Examen vtriuſque a me inſtitutum præſente Cl. Oudi-
neto, coniecturandi locum mihi præbuit, quod caput Magniæ Vrbicæ
in numo hoc maximo, & alterum vxoris Probi duas diuerſas Principes
referat, ita oris ductus inter ſe haud congruunt.

Probo itaque minime tribuendam hanc Principem iudico. Ca-
rus ſolus cum filiis reſtat, ad quorum aliquem referri poteſt; numi enim
illi horum Principum ætatem nequaquam excedunt.

Jampridem hac de re conſtitui ſententiam, cuius locuples mihi p. 55.
teſtis eſt Cl. Baudelotus. Sex annis maius ſpatium eſt elapſum, cum
ex Numophylacio nonnullos contemplatus numos, & in his Magniæ Vr-
bicæ quoſdam examini ſubiiciens, meam de ea opinionem ipſi indica-

 uī,

ui, quod videlicet Caro hæc coniux tribuenda esse videatur, atque ita semper sensi, e quo numismata cadentis Imperii congessi. Ad hunc Imperatorem eam ipsemet retuli. Huic denique vni omnes, quas postea inueni, rationes conueniunt, mihiqne semper argumenta, quibus ea liberis ipsius tribui posset, nimis infirma assensuque indigna, fuerunt visa.

Ecce iam causas, Illustrissime Domine, quæ ansam mihi præbuerunt hanc, quam nunc sequor, amplectendi sententiam, quamq; iudicio tuo
p. 56. subiicio tanto confidentius, quoniam non eo ingenio calamum arripui, vt aliorum opiniones exagitarem, sed vt huic historiæ capiti ordinique Principum vtriusque sexus in nostris cimeliarchiis obseruando lucem accenderem.

Primo. Historia minime nos docet, vxorem Cari, antequam ipse Augustus euaderet, e vita excessisse.

Secundo. Haud dubium est, duos Caro fuisse liberos, quod de Carino dici neutiquam potest. Historia aut mortem vxorum ipsius omnium, aut repudium plerarumque subit ineum ac præcipitatum nos docere videtur. Testatur enim Vopiscus in vita Carini, huncce Impe-
p. 57. ratorem *vxores ducendo ac reiiciendo nouem duxisse, pulsis plerisque prægnantibus.*

Tot itaque duxit, ac statim iterum reiecit vxores, vt creditu sit difficile, eum tam breui temporis spatio a Senatu pro illis Augustæ titulum impetrasse, quod ob prærogatiuas, quas hic titulus secum ferebat, non sine solemni ritu fiebat, vt in epistola quadam ad Gallandum obseruauit Cl. Baudelotus. Licet etiam pro certo haberetur, quandam ex iis iam fuisse dictam Augustam, quod prorsus negare non audeo; hoc tamen minime adhuc euinceret, eandem Magniam fuisse Vrbicam. Apparet ex numis huius Principis, plures eam genuisse liberos, quod cum Carini historia conciliari ægre potest, quippe qui nouem vxores intra
p. 58. breue tempus ductas perpetua serie repudiarit. Numeriano quoque cum non minori verisimilitudine attribui potuisset. Numeria enim, a qua Numeriani nomen ferre potuit, adhuc tam incognita est, vt exinde nihil certi colligi queat. In hoc quidem Principe tum liberalibus artibus, tum vsu belli claro, non tot, quot in Carino, occurrunt difficulta-

tes.

tes. Si autem Caro Magnia Vrbica tribuatur, omnia sunt plana & expedita. Titulus enim *Veneris genetricis*, satis declarat, Carinum atque Numerianum hos duos Cari exstitisse liberos, qui Cæsares, ac dein Augusti fuerunt. Hoc mirum in modum adhuc confirmatur ex auersa parte insignis numismatis Magniæ Vrbicæ maximi moduli, cuius communicationem Croisato Juniori debeo, qui cum iudicio seligere nouit, p. 59.
quicquid vel vetus vel nostra ætas ostentat elegantis atque exquisiti.

Imago sedentis, quæ in auersa parte se offert, haud dubie Virtus T.IV.n.6.
est Dea, quam innuit inscriptio: PVDICITIA AVG. dextra pomum, sinistra puram gerit hastam, a tergo adstat Felicitas, vti in aliis numis repræsentari consueuit. Hæc altera figura caduceum, pacis symbolum dextra tenet, sinistra cornu copiæ, ad indicandum, veram felicitatem ex coniunctis hisce donis pretiosissimis Numinis consistere. Fortassis eo ipso Augustæ simul notare voluerunt pudicitiam, quæ virtus non p. 60.
minus ipsi, quam toti Imperio afferret felicitatem.

Binæ paruæ imagines, quæ pedibus maioris adsistunt, Carinum atque Numerianum denotant, qui repræsentantur tamquam fructus legitimi coniugii, quos virtus huius Principis Imperio progenuit. Togati cernuntur instar multorum ad pedes Dei alicuius Imperatorum. Hac enim ratione Traianus occurrit cum inscriptione *JOVIS Conseruatoris Patris Patriæ*, vbi Jupiter, Colossea magnitudine expressus, pallium expandit super Traianum, ad pedes ipsius stantem; qui propemodum similis est alii numo Commodi cum inscriptione: *Jupiter Conseruator* TR. P. VI. IMP. III. in quo Commodus etiam sub Jouis cernitur tutela. Populus Romanus Numerianum atque Carinum felicitatis suæ auctores habere poterat; Vnde fortassis natum, quod Magnia Vrbica p. 61.
Salus Publica fuerit vocata, quemadmodum in quodam ipsius numo le- T.IV.n.2.
gitur, quod ipsum, vt mihi videtur, respondet *Spei Publicæ*, in auerso Cari numo obuiæ, vbi Carinus & Numerianus equo insidentes apparent. Hic insignis numus in Tuo, Illustrissime Domine, asseruatur cimeliarchio, cuius descriptionem, Gallando a Te commissam, magno desiderio orbis litteratus exspectat.

Tantum itaque absuit, vt Harduini opinio a mea me dimouerit sententia, vt in ea potius, quam foui atque hic exposui, mirifice me confir-

confirmauerit. Magniam enim Vrbicam Caro magis quam Carino, eius filio, tribuendam exiſtimo. Auerſa facies elegantiſſimi numiſma-
p. 62. tis Magniæ Vrbicæ maximi moduli a me iam allati, in qua bini occurrunt (Carinus & Numerianus) Principes, hanc difficultatem prorſus componere ac decidere videtur. Forſan & in poſterum numi inuenientur alii, qui hoc de argumento pluribus nos inſtruent.

Explicanda adhuc reſtant nomina & nonnulla ſymbola, quæ ipſi tribuuntur in numis. Ne autem quicquam omittam, quod huic inueſtigationi lucem aliquam afferre poteſt, adiungam quæcunque in monumentis atque inſcriptionibus antiquis veſtigia nominis & cognominis huius Auguſtæ inuenire potui.

Ornatus, quem gerit in capite trianguli figuram referentem, diadema eſt Imperatoribus proprium, vti Baudelotus in Epiſtola ad Gallan-
p. 63. dum contendit, in qua multa hoc de argumento obſeruatu digniſſima nobiſcum communicauit.

Quod ad nomen & prænomen attinet, quibus Auguſta noſtra in numis inſignitur, neque adeo recentia illa, neque incognita eſſe intelligo. Nam præter varia auctorum loca, & inſcriptiones, quæ illorum mentionem faciunt, reperi adhuc in numis cadentis Imperii nonnulla nobilitatis maiorum vel poſterorum eiuſdem veſtigia.

Prænomen MAGNIAE in hiſce occurrit inſcriptionibus.

CVRTIA Ɔ L MVSA	MAGNIA T. L. METHE

p. 64.

T. MAGNIVS T. L.
HILARIO FRATER
THEONI CAESARIS. AVG. L.
CORNIFICIAN.

D. ME-

D. MEMORIÆ. M. *CINIANI JVLLIANI DEF.* *MAGNIA MAXIMIOLA CON.* *ET SIBI VIVA PONEND. C.*

NAAMONIVS
HEMVLL. M. F.
MAGNIÆ STATIA VX.
STAT. NAMONIO
SENI MARITO OPT.
ROM. ET L. NA
MONIL EIVS LI.
PAVLINA CASSIANO
AMIC. OPT.

Grut. p. dcclxix. n. 6.

MAGNIA IRONIA p. 65.
SIBI ET
MAGNIO F.
LIB. SVO ET LIB.
LIBERTABVSQVE
SVIS.

Gruter. p. dccclxxiii. n. 13.

Ecce inuentam adhuc aliam Antequeræ, Antiqueræ siue Antiquariæ (nomen ab eius antiquitate deductum) in vrbe Hispaniæ in Regno Granatensi, satis ob Maurorum seditionem clara. In hac inscriptione mentio occurrit cuiusdam P. Magnii, qui, summis Imperii officiis functus, permagnis atque insignibus beneficiis suam affecerat prouinciam. p. 66.

P. MAGNIO QF QVIR RVFO MAGNONIANO
TRIB. MIL. III. PROC. AVG. XX. ET. TR. PER
HISP. BAET. ET. LVSITAN. ITEM PROC. AVG.
PER BAETIC. AD KAL VEG ITEM PROC.

AVG. PROV. BAETI. AD DVCEN. ACIE
PIEC. AMICO OPTIMO ET BENE DE
PROVINCIA SEMPER MERITO DD.

Gruter. p. ccccxxxiv. n. 3.

Familiam certe Magniæ illuſtrem olim extitiſſe neceſſe eſt,
p. 67. cum Imperatores ipſi, prænomine iſthoc vſi, inueniuntur, vt Magnius Maximus, Magnentius & Decentius, vti ex numis ipſorum cernere licet.

Monumenta in quibus Vrbicæ nomen reperitur.

Vrbicæ nomen in veteribus non minus inſcriptionibus, quam eius prænomen celebre eſt. Gruterus inter alias vnam exhibet, in qua nomen hoc prænomini familiæ Flauiæ eſt adiunctum, e qua originem ſuam traxerunt Conſtantini, cuique etiam fortaſſis ortum ſuum debet Magnius Maximus, ſub Conſtantino Tyrannus, qui e familia Conſtantinorum ſeſe originem ducere iactabat. Quo oſtendi poteſt, Maximi titulum minime eſſe appellationem ob res præclare feliciterque geſtas Conſtantino tributam, vt hactenus fuit creditum, ſed no-
p. 68. men familiæ, quod in Sæculo Conſtantini obſeruauit R. P. Harduinus.

FLAVIAE VRBICAE
FILIAE SVAE CARISSIMAE
F E C I T
VICTOR ET MONICA
VRBICA PARENTES.

Gruter. p. 976.

Aliam Gruterus affert inſcriptionem de Vrbica quadam Chriſtiana, vt duplex nominis Jeſu Chriſti monogramma, in vtroque Epitaphii latere collocatum, & hæc verba: *Quieſcat in pace & in nomine* produnt.

PVELLAE VRBICAE CON-
☧ JVGI DVLC ☧
QVÆ EIVS OBSEQVIO
SEMPER NOBIS CONVENIT
IN MATRIMONIO QVÆ VI-
XIT ANNOS

P. L.

P L. M. X X X. D E C E S S I T D I E p. 69.
X I I I. K A L. J V L.
Q V I E S C A T I N P A C E E T I N
N O M I N E.

Gruterus p. 1058.

Mentionem Aeliæ cuiusdam Vrbicæ fecit epitaphium quoddam, in Muſeo Wittenio olim aſſeruatum. Qui Catalogum eius librorum, antiquitatumque compoſuerunt, annotant tantum, ſeptem illud lineis ſiue verſibus conſtitiſſe. Spero, illum qui hoc ſibi acquiſiuit monumentum, de eo plura nos eſſe edocturum.

Sub primis Imperatoribus viri hoc nomine & magnæ auctoritatis & eruditionis inueniuntur quamplurimi, Alios inter exſtitit *Aggenus* ille *Vrbicus*, cui inſignem Tractatum de limitibus agrorum, & alium de Controuerſiis debemus. Qui regnante Tiberio vixiſſe creditur.

Tres ecce inſcriptiones ſingulares Lugduni exſtantes, in quibus de Quinto quodam Adginnio ſermo eſt; quæq., familiam aliquam huius nominis fuiſſe ſplendidam, produnt. p. 70.

I.

IOVI. O. M.
Q. ADGINNIVS VRBICI
FIL. MARTINVS SEQ.
SACERDOS ROMAE ET AVG.
ADARAM AD CONFLVEN-
TES
ARARIS ET RHODANI FLA-
MEN
II VIR IN CIVITATE
SEQVANORVM.

II.

MARTI SEGOMONI FACTVM
ANNVA
VRBICI FIL. MARTINVS

SACERDOS ROMAE ET AVG.
MVNACIO PANSA COS.
IN CIVITATE SEQVANO-
RVM
E. GALLIÆ HONORES
ET SVIS DECREVERVNT.

Sponius. p. 134.

p. 71. III.

D. M.
CALVISIAE VRBICAE ET
MEMORIAE SANCTISSIMAE
P. POMPONIVS GEMELLI-
NVS
IIIIII VIR AVG. LVGVD
CONIVGI CARISSIMAE
ET INCOMPARABILI
POSVIT.

Du Choul. p. 269.

Priores duæ inſcriptiones pedi turris Sti Petri infixæ ſunt, ea in parte, vbi hodie eſt cœmeterium.

Prima ad Jouem continet votum Qu. Adginnii, Sacerdotis in templo Auguſti, quod ad confluentem duorum fluminum Rhodani & Araris erat exſtructum.

Secunda Marti Deo conſecrata eſt, cui ſingulare Segomonis cognomen eſt tributum.

p. 72. Hic fortaſſis idem eſt, qui Tractatum de *limitibus agrorum* conſcripſit.

Iuuenalis Satyr. VI. mentionem cuiuſdam Vrbici iniicit:

Vrbicus exodio riſum movet attelanæ
Geſtibus Autonoes: hunc diligit Ælia pauper.

Martialis Epigramma 50. libri VII. Vrbico cuidam, ſuo amico inſcripſit:

Mercari

Mercari noſtras ſi te piget, Vrbice, nugas
Et laſciua tamen carmina noſſe libet.

Sub Antonino Pio Lollius Vrbicus floruit, (*c*) qui Dux cum exercitu miſſus, vt Magnam Britanniam debellaret, profligatis ac repulſis barbaris aliam exſtrui curauit munitionem ſiue murum magnum inſtar aggeris, incurſionibus ipſorum oppoſiti. p. 73.

Vetus quoddam Martyrologium Vrbici meminit, Præſidis Prouinciæ, ſub quo Ptolemæus, Lucius, & tertius, cuius nomen non exprimitur, Alexandriæ martyrii coronam adepti ſunt. Vrbicus hic vixit ſub Antonino Pio & M. Aurelio, ipſius filio, idemque cum eo eſſe poteſt, de quo iam locuti ſumus.

Fuit etiam Lollius Vrbicus (*d*), Hiſtoricus, magni ſuis temporibus nominis, cuius opera noſtram ætatem haud attigerunt. Floruit ille tempore Macrini atque Elagabali, fortaſſe filius Lollii illius Vrbici, quem Antoninus Pius miſerat Britannis compeſcendis.

A viris hiſce illuſtribus Magnia Vrbica genus ducere potuit, p. 74. quemadmodum iam afferendi fortaſſe ipſius familiæ originem debent.

Auſonius, quarto clarus ſæculo, mentionem facit Pomponiæ Vrbicæ, quæ vxor fuit Juliani cuiuſdam Cenſoris. Affinitatem eius auctor iactat, & morum integritatem, nobilitatemque maiorum magnis extollit elogiis, vti e prioribus Epigrammatis verſibus videre licet.

Vt generis clari veterum ſic femina morum,
Vrbica cenſoris nobilitata thoro.

Alius fuit ſub Theodoſio Vrcicus (*e*), ex Senatore ad Epiſcopatum Claromontanum in Aruernia euectus.

Græcum nobis reſtat fragmentum de noua caſtra metandi ra- p. 75. tione, ſub titulo: Ουρβικίȣ ἐπιτήδευμα, quod Rigaltius notis illuſtratum publici iuris fecit. Hic Vrbicius ſiue Vrbicus Anaſtaſii tempore vixit, cui, vt nonnulli exiſtimant, opus ſuum dedicauit.

Hiſtoria Eccleſiaſtica, & qui de Sanctis Hiſpaniæ ſcripſerunt, Vrbicum Burdegalenſem commemorant, qui centenarius A. C. 714. prope ciuitatem Oſcam in Hiſpania exſpirauit.

Hh 3 De

(*c*) *Spartian. p. 27.* (*d*) *Lamprid. p. 100. in Diadum.* (*e*) *Gregor. Turonenſ. lib. I. p. 30.*

De patria Magniæ Vrbicæ nihil certi afferri poteſt, niſi affirmare velis, gente fuiſſe Hiſpanam; ſiue quoniam inſcriptio præcipua ſu-
p. 76. pra adducta, quæ Magnii cuiuſdam, Viri perilluſtris meminit, Anticyræ, in vrbe Hiſpaniæ fuit reperta; ſiue quoniam in Hiſpania fluuius fuit Vrbicus, hodie Orbegi nomine celebris; ſiue denique, quod ab vrbe Hiſpanica fortaſſis, quæ Vrbicia ſiue Vrbica vocatur, traxit appellationem. Hæc vrbs iuxta Liminium ſiue Alambram & Saragoſſam ſita eſt.

De genere Cari, cui tamquam marito hanc Principem tribuimus, admodum inter ſe ſcriptores diſſentiunt. Interim tamen ex Gallia Narbonenſi eum ortum fuiſſe conueniunt, ſecuti teſtimonium Sidonii Apollinaris p. 400. qui ortum Cari eiuſque liberorum in hacce regione collocat. Vopiſcus nos edocet, vitam Cari, eiuſque liberorum ante annum Chriſti trecenteſimum a Ceriliano fuiſſe deſcriptam, cuius induſtriam atque ingenium laudat. Vitam vero Carini ſingulatim Ful-
p. 77. uium Aſprianum conſcripſiſſe; ſed dum nimis diligens nihil omittere ſtudet, moroſum tædioſumque.

Poëta quoque Aur. Apollinaris Cari compoſuit hiſtoriam. Ipſemet præterea Numerianus, Princeps ille Iuuenis tam venerabilis, qui eruditis ſuæ ætatis & admirationi & æmulationi fuit, vitam Cari Patris ſui contexuit. Sed de ſcriptis hiſce omnibus, vti de infinitis fere aliis, præter acerbam illorum iacturæ recordationem, nihil amplius nobis reſtat.

Hæc ſunt, Illuſtriſſime Domine, quæ veri ſimillima de regno, maritoque huius Auguſtæ inuenire potui. Niſi tempora inuidioſa permagnum librorum numerum nobis ſubduxiſſent, Hiſtoria cadentis præci-
p. 78. pue Imperii, tam impenetrabili, in qua nunc verſatur, caligine neutiquam eſſet obducta. Minime ad coniecturas toties confugere cogeremur, nec eo vſque anniti, vt per mille ambages pauca illa, quæ de hiſce nobis reſtant, fragmenta, tanto labore & ſæpius exiguo certi fructu eruamus.

Hæc interim iactura non omnem plane ſpem reſtituendæ antiquitatis ſuſtulit. Auxilio enim & luce, quæ e numis aliiſque huius generis monumentis petuntur, infinita adhuc nobis incognita detegi aliquando poterunt.

In egregium hunc hiſtoriam reſtituendi finem ac ſcopum, Tu, Illuſtriſſime Domine, hæc fragmenta pretioſiſſima antiquitatis ſemper dili-

diligenter inquisiuisti, nec quicquam eorum negligis, quæ series a Te collectas magni iam numeri supplere, magisque exornare valent. Integras iam illas habendas esse ducerem, si tuo hoc in genere desiderio non minus laudabili, quam honesto ac generoso, fines constitui possent. Series Tibi numorum sunt ex omni sæculo, metallo moduloque admiratione dignissimæ; vnde semper in nominis tui gloriam tamquam ex fonte inexhausto noua lux ad illustrandam historiam, & res præclare gestas in lucem reuocandas peti poterunt. Noluisti nimirum scientiam singularem antiquitatis, qua polles, illorum præstantissimorum monumentorum luce destitui. Neque ego diffiteor, studium, quod in me semper fuit antiquitatis, mihi conciliasse amorem singularem, cuius mihi non pauca dare documenta dignatus es. p. 79.

Quod si hæc Tibi, Illustrissime Domine, Dissertatio legenti tædium non contraxit, meo id minus labori, quam insigni amori tuo erga hoc litterarum genus attribuerim, si vero post album ab Academia nuper restaurata calculum, de tua quoq; sibi poterit gratulari approbatione, iam aliorum quoque mihi suffragia promittere ausim. Præcipue vero honorificum mihi est, quod nomen tuum fronti huius opusculi præfigere humaniter mihi concessisti. Quis enim ignorat, Te in summa dignitate constitutum longius etiam alios a Te remouere ingenii fascibus: & cum Rex tuæ hoc virtuti se debere existimauit, vt propius Te sibi admoueret, nulla quantacunque encomia in Te congesta suspecta adulationis esse possunt. Ego certe, cui satis constat de virtutum & eruditionis Tuæ præstantia, quæ laudes vndique Tibi contrahunt, pascor tacita voluptate, cum video dignis Te mactari elogiis, neque hoc gaudium meum vlla re vinci cupio vel æquari, quam obsequio erga Te meo, quo futurus sum p. 80. p. 81.

Magni nominis Tui

Illustrissime Domine

Cultor humillimus

GENEBRIERIVS.

XXIII.

Cl. GENEBRIERII DE NIGRINIANO DISSERTATIO

Cuius ætas admodum fuit hactenus incerta; Deque aliis nonnullis Principibus, quorum numiſmata multum difficultatis faciunt antiquariis.

Edita gallice

PARISIIS MDCCIV. in 8.

PRAEFATIO.

VIri partium ſtudio haud dediti, hoc eſt, veri litterarum amatores nonnullas forte grates mihi debere ſe fatebuntur, quod in hac numaria, vt ita dicam, regione nullius hactenus pede tritum ſolum detexerim. In Diſſertatione, quam menſe nuper elapſo typis ſubmiſi, noua laboris mei ſpecimina edere promiſeram. Jam ecce tibi nonnulla de numis Nigriniani, aliorumque Principum, qui in hunc vſq; diem crucem fixerunt eruditis. Animaduerſionibus meis in Magniæ Vrbicæ numos non credideram aduerſarios me mihi concitaſſe. Cura enim in illis adhibita, ne quicquam veri ſimilitudini aut regulis criticis repugnans proferrem, tutum mihi aſylum a cenſura probabili promittere videbatur. Ad hæc ſuffragium verſatiſſimorum in hoc ſtudiorum genere virorum, quo fretus (neque enim diffiteor) haſce coniecturas luci exponere publicæ ſuſtinui, meam eas euulgandi fiduciam magis adhuc confirmauit inſtigauitque.

p. 2. Nihilominus tamen percepi, Virum quendam e Collegio, quod ſum-

ſummo ſemper honore proſequor, contra ſcribere inſtituiſſe; quo animo neſcio. Nam vt dubitem facit, quod diſſertatio mea ante tres vel quatuor annos ipſo præſente in cœtu quodam lecta, nihil viſa eſt habere vſque adeo ſpernendum, vt tam leuibus inſultibus laceranda exponeretur. Ipſemet clariſſimus Valens, cuius accuratiſſimo examini ſubiecta fuerat, iudicium, quantum optare poteram, benigniſſimum de ea tulit. Quod idem Vir præſtantiſſimus & in hoc litterarum genere eruditiſſimus mihi coram ſignificare non dubitauit. Sed magis etiam pro honore meo faciunt verba Illuſtris Academiæ Præſidis, quibus ſuam de ſcripto Henrionii, aduerſarii mei, ſententiam eſt complexus: Nihil in eo ſcripto ſe " reperiſſe ſingulare, niſi quod Auctor meam coniecturam de Magnia " Vrbica deſtruere conetur, cui meliorem non poſſit opponere. Omnem- " que fructum eius laboris eo tantum recidere, vt in priſtinas tenebras " idemque incertum, in quo circa hanc Auguſtam ante verſati fuimus, " denuo relaberemur. " Quod ſane iudicium longe magis pungere debuiſſet aduerſarium meum, niſi illuſtris Abbas Bignonius, pro connata ſua ſingulari humanitate & elegantia, ſuauiſſimis verbis illud condiiſſet. Hæc cum ita ſint, ad obiectiones Henrionii deinceps reſpondere haud difficile eſſe exiſtimo.

Critica, vt a Doctoribus noſtris accepimus, ars eſt haud adeo facilis exercitu. Ad eam enim feliciter ingrediendam & bono ingenio & probis moribus eſt opus; ſimiliter vt recte in ea verſeris, non minus p. 3. præclaræ a natura dotes, quam indefeſſum per multos annos ſtudium requiritur. Quæ cum non cuiuis contingant, temeritatis notam ſæpius incurrere videas quam plurimos, qui aduerſus ſcripta aliorum publice inſurgunt. Hoc quam pulcre quadret in eum, qui meas de Magnia Vrbica coniecturas euertendas in ſe ſuſcepit, facile oſtenderem, ſi ſingula mihi obiecta hoc loco refutare, atque ex inſtituto refellere conſtituiſſem. Sed neutiquam hic mihi eſt animus, qui ita iniurius viderer in iudicium & eruditionem peritiamque eorum, qui longam illam aduerſus me diſſertationem recitari audiuerunt. Haud dubie ſcilicet admirati ſunt abſtruſa aduerſarii mei argumenta, & multiplicem eius lectionem in ſcripto contra me proditam. Ea cumprimis obſeruari potuit: exprobrata mihi mala loci ſcriptoris cuiuſdam latini veteris verſione. Tam vero

ſimplicem quemquam eſſe quis credat, tamque occœcatum quocunque præiudicio, vt ſibi perſuadeat, hominem vtcunque in litteris verſatum, aut antiquitatis vſu tinctum, *rem Romanam* apud Vopiſcum interpretari *regionem Romanam*, niſi ratio ſingularis ad hoc eum permoueat. Equidem imperito cuiuis, & a lectione bonorum ſcriptorum alieno, facillimum fuit verba illa exponere de officiis Reipublicæ, aut negotiorum publicorum adminiſtratione. Sed officium Viri in Antiquitate
p. 4. non hoſpitis diligentiorem inquiſitionem deſiderat; neque quicquam ſtatuere permittit, niſi quod conſultis MSS. codicibus, & eruditiſſimis Criticorum obſeruationibus ad verum loci ſenſum facere intellexerit.

Atque ita me geſſi hoc in loco, Salmaſium præclarum ducem ſecutus. Qui, illuſtri doctrina & ſubacto iudicio Vir, cum docuiſſet verbis *rem Romanam fugerunt*, intelligi *Romanam regionem*, ſuburbicariam; adiungit, aliter ſi illa exponantur, ſenſu omnino deſtitui. *Quod ad vulgatam*, inquit, *huius loci lectionem attinet, romanam rem fugerunt, prorſus inepta & abſurda eſt.* Hoc autem opido ſingulare, quod, vix audito errore, Vir, qui aliorum Ariſtarchum agere inſtituit, *regionem Romanam* accipit pro ditione extra Italiam. Cum vero arguit, hoc me ſenſu interpretatum eſſe Vopiſcum, iudicium hoc in negotio erit penes eruditos, quis noſtrum rectius perſonam ſuam egerit. Obſeruatio denique ſubiuncta de iuuentute Magniæ Vrbicæ, quam ex facie ipſius apparere vult, in numis huius temporis, nullius eſſe ponderis poteſt.

Quis præterea in numis adeo hoſpes eſt, vt ipſum fugiat, in maxima numorum huius Auguſtæ parte, quemadmodum in illo etiam, quem hic delineari curaui, ea conſpici Vrbicam ætate, qua mater Carini & Numeriani eſſe optime potuit. Eiuſdem farinæ ſunt, quæ porro Henrionius obiicit de binis Principibus, qui ad pedes ſtant feminæ, in
p. 5. numo maximi moduli ſedentis. Qua fide vel qua antiquitatis intelligentia affirmat, figuras binas toga virili indutas, tenellulos notare infantes. Num adeo ſingulare eſt, ipſos Imperatores parua eiuſmodi ſtatura, eodemque habitu conſpici maioribus Deorum imaginibus adſtantes? Qui vel in tranſcurſu euoluerit libros de re numaria tractantes, vel obiter Numophylacia inſpexerit, facile obſeruabit, quam vano, etſi prodigioſo conatu, & inuita Minerua Henrionius geſtiat in hoc argumento cornicum oculos effodere. Traianus Ducis Arſchotani, Jouis pedibus adſtans cum inſcri-

inſcriptione: CONSERVATORI PATRIS PATRIAE; Auerſa M. Aurelii adhuc quidem Cæſaris, ſed Tribunitia iam poteſtate inſigniti facies, in qua Princeps iſte vna cum Vero ad pedes maioris imaginis ſtantis, togaque ſua eos tegentis vtrinque adiunctus cernitur, addita inſcriptione: CONCORDIA; Commodus eadem, qua Traianus, ratione expreſſus & vndique obuius; Alex. Seuerus, qui, vti percepi, apud Cl. Boſeum exſtat; Diocletianus, quem ipſemet aſſeruo; & Maximianus denique in cimeliarchio celeberrimi Baudeloti, ſatis euincunt, parum iis ineſſe ſolidi, quæ Henrionius mihi obiecit. Jam p. 60. nonnulla horum exemplorum attuleram, ad quæ nihil ille reſpondit. E contrario infinita alia attulit in medium, vere, vt toti prope congregationi viſa ſunt, ieiuna ac puerilia. Quod ſi aliquando inuentis feliciter verioribus meæ cedere iubebuntur coniecturæ, ſaltim minutiis huiuſcemodi, quas iſte mihi obiicit, haud euertuntur. Neque mihi perſuadeo, incerta Henrionii tantam, quam ſibi promittit, fidem apud antiquitatis peritos eſſe adeptura, aliumue Imperatorem Caro in hac controuerſia præferendum. p. 6.

Adeo de iure huius Principis in Magniam Vrbicam perſuaſus ſum, & quæ contra aduerſarius meus oppoſuit, tam parum homines mouerunt, vt noua potius argumenta, cum Academia exirem, pro mea ſententia mecum communicata fuerint. Carini adhuc Cæſaris numiſmata ſatis demonſtrant, fuiſſe quandam Principem, Cari poſt euectionem ad Imperium coniugem. In aduerſa numi parte M. AVR. CARINVS NOB. CAES. legitur, at in auerſa facie vel MONETA AVG. cum ſolenni typo, vel VIRTVS AVGG. cum binis figuris, vel denique PIETAS AVGG. cum vaſis ſacris. Hic Auguſtus atque Auguſta nequaquam alii quam Carini pater materque intelligi poſſunt. Alius inſuper ſingularis raritatis numus in Cimeliarchio Cl. Bodeloti maiorem adhuc fidem meæ ſententiæ facit. Cæſarem enim tantummodo ſalutans hunc Principem, tres eius tempore vixiſſe Auguſtos innuit. Circa caput ipſius leguntur verba: IMP. C. M. AVR. NVMERIANVS. NOB. C. at in auerſa parte VIRTVS AVGGG. cum binis figuris, in area extant litteræ ε. Δ. & ſubſignatur XXI. Cum itaque numi Carini Cæſaris duos Auguſtos prodant, qui minime pro aliis, quam pro Caro eiuſque vxore habendi ſunt; Hiſce coniecturari licet, Carinum Caro p. 7.

adhuc ſuperſtite ante Numerianum fuiſſe Auguſtum, numoſque huius memorati Principis eo tempore cuſos. Idem ſane auerſæ partis typus, eadem trium Auguſtorum inſcriptio, eædemque in area litteræ ε. Δ. ac ſubſignatus numerus XXI. in Carini numis reperiuntur. Quæcunque ex his colligere lectori placuerit, difficile tamen illi erit coniecturam meam euertere. Ad quemcunque etiam Imperatorum hanc referre alii laborabunt Auguſtam, quam vero me marito ſuo vindicaſſe exiſtimo; nihilominus fatebuntur, tutiſſimam hanc viam primum me triuiſſe, & indicaſſe, nec difficile mihi fuerit demonſtrare, quod omnino errent, quicunque ab hac via diſceſſerint.

Denique veritati conſentaneum haud eſt, quod cognitum iam fuerit & argumentis idoneis comprobatum, Magniam Vrbicam non exſtitiſſe vxorem Maxentii, vt ſua fide affirmat Henrionius. Etenim in hunc vſque diem poſt memoratum Principem eam collocarunt omnes in deſcriptionibus cimeliarchiorum, quæ ab aliquot annis vel impreſſæ ſunt, vel ineditæ adhuc deliteſcunt. Pro certo etiam affirmare poſſum, quod ante meas hoc in argumento obſeruationes nec ipſe Henrionius quicquam certi exploratum habuerit. Itaque non erat operæ pretium,
p. 8. tota fere diſſertatione mea ſe iactare, & ſuam exornare diatribam; neque quicquam deinde dignum habere, quod nos ipſe doceat. Quis enim ferat, quod de Tacito Imp. affert ad deſtruenda verba Vopiſci a me adducta? Tradente nimirum Vopiſco, quod *Tacitus vxorem gemmis vti non eſt paſſus*, Henrionius ex his verbis colligi poſſe putat, eam gemmis vſam fuiſſe, quoniam hoc ipſi ab Imperatore fuit interdictum. Sed quis non cernit, tam male illum intellexiſſe auctoris verba, vt ipſum non videatur legiſſe? Itaque iuuat adnotare, quod ſi tam fideliter me hoc in loco deſcripſiſſet quam in pluribus aliis fecit, nequaquam locus ei fuiſſet faciendæ degreſſioni ad propoſitum ſuum parum neceſſariæ, in qua auſcultanda toti cœtui tædium oboriri videbatur. Quæ præterea de PVDICITIA in numo maximi moduli notat, vt oſtendat, illam nequaquam conuenire matri duorum ea ætate Principum, qua fuere Carinus & Numerianus; nihilo magis naſum criticum, neque magnam in numis peritiam arguunt. Regulæ hanc in rem vniuerſe propoſitæ, ſunt falſiſſimæ, & quis neſcit, PVDICITIA*m* itidem reperiri in numis Mœſæ a-

uiæ,

uiæ, & Otacillæ atque Hetruſcillæ, quin imo in numis plurium Imperatorum?

Non poſſum intermittere, quin tria quoque verba de argumento addam, quod ex ornamento & tegmine capitis petere voluit meus aduerſarius. Nihil enim potuit falſius dici a viro, qui numorum ſingulare ſtudium profitetur. Scilicet tegmen illud eum induxit, vt hanc Principem ad aliam quam Aureliani Taciti vel Floriani ætatem referendam eſſe negaret. Contendit enim rationem illius modumque mutatum ſub Probo, quoniam bini rami ex lauro in fronte feminæ (ipſius, vt creditur, vxoris) occurrunt, & Theodora eodem capitis tegumento ornata eſſe videtur. Sed numi noſtri perſpicue eum erroris arguunt, nam Galeria Valeria poſt ipſam Theodoram eodem, quo Magnia Vrbica, ornamento in maxima parte ſuorum numorum inuenitur. p. 9.

Quæ porro ſua fide annotat de ratione, qua Auguſti dignitas conferri conſueuit, non adeo ſunt magno iudicio ſcripta, neque Henrionius ea eſt auctoritate, vt eius verbis fides ſtatim habenda ſit. Ceterum Cl. Baudelotus, quem in præſenti argumento citaui teſtem, quemque hoc loco perſtringere forſitan tacitus voluit, facile hoc excutiet, quando hanc quæſtionem examinare duxerit operæ pretium. Nullo negotio enim ipſi oſtendet, Elagabali exemplum, quod ex libris nonnullis, qui rem numariam tractant, hauſit, in quo JVLIA PAVLA Principis auctoritate Auguſta appellatur, haud magni eſſe ponderis. Neque Henrionius oculis vſurpauit primitiuum locum, e quo verba ſunt deſumta; quæ, ſi genuino ſenſu explicentur, affirmationi aduerſarii mei temerariæ nequaquam fauere poſſunt. Sed voluminis res eſſet, ſi ſingula eius commenta refellere aggrederer. p. 10.

Hoc vnicum miror, quod inuidia ac nimio, vt omnibus patuit, acerbæ in me ferendæ cenſuræ ſtudio ductus, non inſtiterit viam, a me p. 58. indicatam, qua nonnulla ex incertis ſuis firmiora ſaltim reddere, atque magis in rem ſuam trahere potuiſſet. Dixeram ea in pagina, Magniam Vrbicam cum maiori veri ſimilitudine, ac minoribus difficultatibus obſtantibus Numeriano potius poſſe quam aliis attribui. Equidem rationes huius meæ ſententiæ eo in loco diſſimulaui, itaque qui ſcriptum Henrionii recitari auſcultauit, miratus eſt haud dubie, has a

me non fuisse productas in medium. Verum nunc eccas. Apud Suidam mentio fit de Numeriani filio Basilisco, atque in præsenti Dissertatione coniecturam propono haud improbabilem, quod Nigrinianus, cuius numi certissime sunt huius temporis, alter Numeriani filius esse videatur.

Hæc ni fallor sufficiunt, vt constet, censuram dissertationis meæ de Magnia Vrbica fundamento ac verisimilitudine carere. Certe satis esse possunt hactenus allatæ meæ obseruationes, e quibus de tota reliqua illa censura lector iudicium ferat.



p. 1. *Clarissimo ac Præstantissimo*

VIRO

BAVDELOTO de DAIRVAL,

Causarum in suprema Regis curia Patrono.

EN Tibi, Vir clarissime, nonnullas animaduersiones meas in Nigriniani, quæ nobis restant, numismata, de quibus nihil hactenus dictum mihi videtur, quod solidis firmisque argumentis non possit euerti. Hasce obseruationes tuo debeo consilio, quo instigatus quotidie,
p. 2. relictas colligo spicas agri, e quo amplas iam messes eruditi quam plurimi retulerunt. Equidem multiplicatis in diem hoc in genere operariis, inconsultum fere duxi, meas de nonnullis cadentis Imperii numis cogitationes in publicum emittere. Non ab re enim existimabam, meas iam pridem ab aliis occupatas esse inuestigationes. Sed cum nihil hactenus eiusmodi prodierit; sed mihi, vti videtur, integra relicta sit hæc materia pertractanda, coniecturas a Te approbatas luci exponere audacter me posse confido. Documenta singularis tuæ in hoc genere eruditionis ac peritiæ iampridem publice testata, nec minus tot eruditæ ac curiosæ obseruationes, quas indefesso studio quotidie profers, satis declarant, quanti tuum in hoc argumento faciendum sit suffragium. Neq; Te ego solus huiuscemodi effero laudibus, Vir clarissime; verum haud exigui mihi honoris esse duco, quod hoc ipso prodam, quam arctis vinculis

culis

culis tibi per maius decennio ſpatium fuerim obſtrictus, & quantum ex Bibliotheca tua ac cimeliarchio, & ex tua maxime conſuetudine profecerim.

Minime Te latet, Nigrinianum quoque ſcriptoribus fuiſſe non minus incognitum, quam Magniam Vrbicam, de qua nuper meam ſententiam orbi erudito impertii. Hiſtoriarum monumenta, quæ ſingulatim vitam huius Principis nobis enarrare debuiſſent, vix nonnullorum eius familiæ annotant nomina; quibus vero in locis mentio ipſius adhuc occurrit, ratione hoc fit parum certa exploratque, adeo vt abſque ſollicita inquiſitione cognoſci omnino non poſſit. Tempus itaque P. 3.
ac ætatem huius Principis indagaturo non ab hiſtoria, ſed à numis, qui nobis reſtant, ſumendum eſt initium. Monumenta, quæ detegendæ mihi Magniæ Vrbicæ nuper inſeruierunt, etiam fortaſſe opem ferent ad tempus Nigriniani certum definiendum. Conſultis itaque huius Principis numis, nonnulla, vt ſpero, ſiue de vita, ſiue de morte ipſius in Hiſtoricis detegere potero.

Priuſquam vero ad ſingulas coniecturas meas deſcendam, examinandæ veniunt nonnullorum antiquitatis peritorum ſententiæ, quas de credita ætate huius Principis fouerunt.

Occo, vt mihi videtur, primus omnium exſtitit, cui Nigriniani numos debemus. Hic exiſtimauit, illum imperante Conſtantio vixiſſe, eundemque eſſe cum Conſule Nigriniano, Sergii collega, quo tempore Conſtans a Magnentio fuit occiſus. Varii illa tempeſtate per Romanum Imperium hinc inde exorti motus huic coniecturæ non leue pondus adiicere videntur; neque ſola ſi Hiſtoria conſulatur, huic opinioni adeo aduerſa inuenietur. Viciſſim conſideratis forma typiſque numorum Nigriniani, collatiſque deinde cum Principum numis, qui tempore Conſtantii aut Magnentii regnarunt, iudicari facillime poterit, Nigrinianum, de quo hic nobis ſermo eſt, neutiquam eum eſſe P. 4.
conſulem, qui ſub Conſtantio faſces conſulares geſſit; hunc vero ad ſummum poſteris familiæ Principis illius annumerandum eſſe, ac reuera Nigriniani, qualeſcunque turbæ ſub Conſtantio fuerunt excitatæ, nullas in illis fuiſſe partes. Quæ abunde probari queunt ex vniuerſe diſpu-

diſputatis in diſſertatione de Magnia Vrbica circa compoſitionem & numorum inſcriptiones.

T.IV.n.8. Inſcriptio ſane numorum huius Principis: DIVO NIGRINIANO, ac corona radiata cinctum caput, nec non auerſæ partis CONSECRATIO tempori filiorum Conſtantini haud amplius conueniunt. Mos Imperatores, ipſorumque filios hac ratione poſt obitum conſecrandi, & corona radiata, quæ hic cernitur, tunc iam obſoleuerat, nec durauit vltra tempora conuerſionis Conſtantini.

Secundo. Characteres KAA in numorum Nigriniani ſubſignatione reperti, qui probe omnino conſiderandi ſunt, non amplius in numis regnante Conſtantio, Conſtantini filio, cuſis obſeruantur.

p. 5. Tertio. Forma & conditio numorum Nigriniani cum numis Conſtantii non conuenit. Tria hæc in numis horum Principum tam diuerſa Nigrinianum ipſum produnt minime fuiſſe Conſulem & Collegam Sergii. Celeberrimus quoque Triſtanus, qui eo ſæculo vixit, quo iſtud ſtudiorum genus iam maiori cura, quam tempore Occonis illuſtratum fuerat, hanc eius ſententiam neutiquam amplectendam cenſuit. Ait enim, loco cuidam Zoſimi innixus, Nigrinianum ſibi videri filium Alexandri, in Africa Tyranni. Nimirum Zoſimus narrat, Maxentium in Africam traiicere parantem, ab Alexandro, Prouinciæ illius tum præfecto, filium ipſius obſidem fidei deſideraſſe. Sane, inquit Triſtanus, Alexandro filius fuit iam adultus, facieque venuſta atque iucunda: Sed cum nec hiſtoria hunc Principem Juuenem commemoret; Nigrinianus vero, cuius nomen itidem eſt incognitum, in numis ſuis omnibus non abſurde reſpondeat imagini iactati Alexandri filii, quæ eſt apud Zoſimum; Triſtano in mentem venit exiſtimare, hunc Nigrinianum illum eſſe filium, idque tanto magis, quoniam in numis huius Principis characteres KAA inueniuntur, quos, Antiquitatis ſui ſæculi peritiſſimos ſecu-

p. 6. tus, de Carthaginienſi ciuitate interpretatus eſt. Hæc enim ſunt argumenta, quibus permotus hanc ſuam ſententiam aliorum aſſenſione dignam cenſuit vir iſte eruditiſſimus; quæ etiam tamquam veri ſimillima in hunc vſque diem fuit acceptata. At quantumcunque ſpecioſa hæc viſa fuit opinio, minime tamen intelligo, qua ratione animo, circumſpecte certi aliquid hac in re inquirenti ſatisfacere valeat. Ipſe quoque Triſta-

Triſtanus, cui ob quamplurima feliciſſime inueſtigata non mediocriter obſtricti ſumus, eam veluti leuem duntaxat coniecturam, cui nec ipſe multum fidei habet, nobis proponit. Eam itaque deſtruere haud erit difficile, ſi tantum obſeruemus, quod illa ipſa Triſtani argumenta, ob quæ Occonis ſententiam reiiciendam eſſe putat, itidem nobis ad ſuam euertendam inſeruire poſſint, quippe vtriuſq; eadem fere eſt ratio. Conditio ſane numorum Nigriniani cum numis Alexandri aut Maxentii non ita congruit, vt ex eo affirmari liceat, Nigrinianum horum Principum ætate floruiſſe; typi e contrario, inſcriptiones & characteres in illis occurrunt nimis diuerſi, vt aliam quam Alexandri ætatem indicent, nedum vt filio eius tribuendi videantur. Noſter Princeps ſi Alexandri eſſet filius, non formam tantum atque indolem, ſed metallum quoque, quin immo ipſos characteres in numis vtriuſque ſibi inuicem conſimiles obſeruaremus. Hanc methodum alibi propoſitam magnam cum primis p. 7.
veri ſpeciem habere hoc loco profiteor. Numi enim Principum, qui eodem tempore regnarunt, iiſdem vixerunt legibus, ſuamque poteſtatem in vnum eundemque populum exercuerunt, quoad compoſitionem, inſcriptiones, characteres, & alia ſingularia ab vſu huiuſcemodi dependentia, communiter inter ſe conuenire debent. Itaque ſi obſeruentur varietates in numis Principis ob diuerſos, in quibus ſignati fuerunt, locos, eædem etiam in ipſius filiorum numis occurrent. Superfluum enim fuerit hic añotare, numos certis Romani Imperii prouinciis percuſſos non eiuſdem eſſe indolis, quam qui e Romanis prodierunt officinis. Conſtat ſiquidem inter eruditos, quod Græci peculiare vſi ſint ingenio, & numi in Aegypto & Hiſpania ſignati plane forma differant, nec minus numi Coloniarum. Sed hæc, a ſingulari vſu dependentia, haud valent deſtruere, quæ de numorum forma vniuerſe attuli. Sufficit numos prouinciæ cuiuſque conuenire inter ſe, & formam peculiarem referre pro ratione temporis & loci, quibus fuere percuſſi.

At enim Nigriniani numiſmata conditionis ſunt ab Alexandri p. 8.
numis, cuius filium viri docti eum faciunt, perquam diuerſæ, neq; cum numis Principum, qui poſt illum regnarunt, vllam ſimilitudinem præ ſe ferunt. Hoc facile patet vel vtcunque hoc myſteriorum genere initiatis, iiſque qui veritati cedere non dubitant. Hoc fundamento nixus

haud amplius mihi perſuadeo, aſſentiendum eſſe ſententiæ, cui tot ex ipſis numis petita argumenta poſſunt opponi. Ac Tu quoque, Vir clariſſime, lubenter mecum fatebaris, ficulneis eam niti argumentis, cum primum meam Tibi opinionem ſignificarem. Vlterius nempe aſſurgendum eſſe, numiſque ipſis coram inſpectis inueſtigandum eaque in ætate ſubſiſtendum exiſtimo, quam conditio & forma illorum indicat, & quo characteres KAA, in numis Nigriniani obuii, numiſmatibus Imperatorum inſculpi conſueuerunt. Minime Te latet, Vir Præſtantiſſime, has litteras primum ſub Aurelio cœpiſſe ſubſignari, atque hoc continuatum regnantibus Tacito, Floriano, Probo, Caro eiuſque filiis. Hanc ob cauſam iuxta ea, quæ alibi obſeruaui, Nigriniani numi ad iſtud temporis ſpatium, quo Imperio hi præfuere Principes, omnino reducendi ſunt. Neque enim illorum Imperium, quod decem circiter annis durauit, vſus litterarum, quas dixi, ſubſignatarum exceſſit. Nil igitur amplius reſtat, quam definire, ſub quonam horum Principum Imperator fuerit Nigrinianus declaratus, (ſi detur eum rebellaſſe, quod poſtea examinaturus ſum) & a quo poſt obitum inter Diuos relatus.

Cum hæc hiſtoriæ pars ſine ſingulari multarum rerum diſcuſſione haud probe illuſtrari queat, arbitratus ſum, eo me in negotio haud felici poſſe ſucceſſu vti, niſi perſequerer ſingulos motus, qui ſub Imperatoribus iam memoratis acciderunt. In variorum itaque Tyrannorum ſub Aureliano ortorum commemoratione Zoſimus refert, Imperatorem hunc victa Zenobia ſimul Orientem deſeruiſſe, ſimul Apſum, motuum qui præceſſerant auctorem, in hoc elaboraſſe, vt Marcellinum quendam in partes ſuas perduceret, & diademate ornaret.

Hunc Marcellinum in Meſopotamia reliquerat Imperator, ipſique Orientis crediderat adminiſtrationem. Hic Præfectus iuſſus ab Apſæo ſententiam animi declarare, rem eo vſque traxit, vt Imperatorem de eo certiorem facere poſſet. Interim Palmyreni Antiochum quendam purpura induebant, & vrbe Palmyra ſeſe tuebantur.

Vopiſcus quoque motus cuiuſdam horum mentionem facit, qui diuerſus tamen eſſe poteſt ab illo, cuius Zoſimus loco iam dicto meminit. Equidem nec Marcellinum nominat, neque Antiochum, qui

Imperatoris ſumſere dignitatem, ſed de de SANDARIONE & ACHIL- p. 10.
LEO ibi loquitur. En Vopiſci verba: *Palmyreni*, inquit, *qui iam victi atque contuſi fuerant, Aureliano rebus Europenſibus occupato, non mediocriter rebellarunt. Sandarionem enim, quem in præſidio illic Aurelianus poſuerat, cum ſexcentis ſagittariis occiderunt, Achilleo parantes Imperium: Verum ideo Aurelianus, vt erat paratus, ex Europa reuertit; atque vrbem, quia ita merebatur, euertit.*

Nonnullis viſum eſt, Zoſimi Antiochum Achilleumque Vopiſci, vnum eundemque fuiſſe Principem, ſub duobus diuerſiſque nominibus. At enim cum nomina ſint inuenta diſtinguendis hominibus, veriſimilius mihi videtur, ipſos veluti diuerſos diſtingui oportere, niſi forte e duobus iſtis nominibus alterum ſit prænomen. p. 11.

De alio adhuc Tyranno Firmo ſiue Firmio idem Vopiſcus refert, quod in Ægypto eodem fere tempore caput extulit, quo iam memorati inſurrexerunt. *Interim res per Thracias Europamque omnem Aureliano ingentes agente*, Firmus *quidam extitit, qui ſibi Ægyptum ſine inſignibus Imperii, quaſi vt eſſet ciuitas libera, vindicauit.*

Hic, vt videmus, negat Vopiſcus, Firmium Imperatoris ſiue Auguſti vſum fuiſſe titulo, id enim ſibi volunt verba: *Sine inſignibus Imperii.* Sed alibi hanc ſuam ſententiam retractat, & auctoritati cedit numiſmatis in honorem huius Principis percuſſi, quod Archontius, Vir illa ætate non indoctus ei monſtrauerat, in quo Firmius ſibi tribuit nomen Imperatoris atque Auguſti: *Contra ego mecumque Rufus Celſus, C. Julianus & Soſianus contenderent dicentes illum & purpura vſum & percuſſa moneta Auguſtum eſſe vocitatum. Quin etiam numos eius Seuerus Archontius protulit.*

Locus iſte notatu digniſſimus eſt, quippe qui vtilitatem veterum monumentorum ad hiſtoriam illuſtrandam conceptis verbis prodit, & p. 12.
oſtendit pretium, quo cura ſtudiumque virorum, qui ea colligunt, compenſetur.

Præterea in Aur. Victore Septimium quendam inuenio, qui in Dalmatia contra Aurelium inſurrexit, ſed paulo poſt a ſuis fuit interemtus. *Huius tempore apud Delmatas Septimius Imperator effectus, mox a ſuis obtruncatur.* Hic Septimius idem eſt haud dubie cum Epitimio

Zosimi, vti nomen illud apud hunc corrupte legitur. Huic vero Zosimus (*a*) adiungit alios binos, quibus singularem nullum assignat prouinciam. *Eodem tempore venerunt in suspicionem rerum nouarum Epitimius & Vrbanus & Domitianus, statimque deprehensi pœnas dederunt.* Post has Septimii in Dalmatia turbas, rebellionem monetariorum Romæ ortam Aur. Victor collocat. *Hoc tempore in vrbe Roma Monetarii rebellarunt, quos Aurelianus Victor vltima crudelitate compescuit.* Ex singulis, quæ de turbis hisce hactenus attuli, minime apparet, Nigrinianum auctorem fuisse vllius horum motuum. Capita enim vniuscuiusq; hic nominata sunt, & quod ad monetarios attinet, constat, Felicissimum, numorum Romæ Præfectum, ad res nouas eos excitasse. Ipse Suidas Principis nomine illum insigniuit, quo indicari videtur, quod Imperatorem se salutari iusserit. φηλικίσιμος ἄρχων ἐπὶ Αὐρηλιανοῦ τοῦ βασιλέως.

p. 13. Post obitum Aureliani amplum inuenitur spatium, ad quod referendus videtur Nigrinianus. Constat enim, hoc interregnum adelectionem vsque Taciti Imperatoris septem aut octo mensibus durasse. Non absurde itaque affirmare licet, Nigrinianum hoc vsum fuisse tempore, quam maxime sibi fauente, & in prouincia quadam, cuius ipsi commissa præfectura erat, Imperatorem se declarari passum esse. Simili fere occasione Hadrianus, a militibus suis ad Imperii fastigium euectus, non exspectato mandato aut assensione Senatus, litteras statim ad Amplissimum illud collegium scripsit, Imperatoris sese suscepisse dignitatem, quoniam sibi optime constaret, Rempublicam absque Imperatore diu subsistere haud posse. Non sine ratione igitur fortassis motus a Nigriniano excitati, ad hoc tempus referri possunt. At enim conceptis verbis Vopiscus: *Ergo quod rarum est*, inquit, *& difficile fuit, S.P.Q.R. perpessus est, vt Imperatorem per sex menses, dum bonus quæritur, Respublica non haberet;* Quibus hæc deinde subiungit: *Quæ illa concordia, quam grauis Senatus authoritas fuerit? Nullus vsquam tyrannus emersit.*

p. 14. Donec itaque non contraria inueniantur argumenta, verbis huius auctoris fides interim habenda est, loco in primis, quo tam diserte illud affirmat, & ipse testatur, se hoc mirari. Quantacunque vero hæc fuerit concordia milites inter atq; Senatum; nihilominus tamen interre-

(*a*) *Zosim. lib. 1. cap. 49.*

terregnum hoc, quod per ſex aut octo menſes durauit, Reipublicæ ad-
modum fuiſſe pernicioſum, merito affirmaueris. Monarchia enim ſi-
ue Regnum ſine capite haud diu ſuſiſtere poteſt, vt non magnas multis
& ingentibus turbis præbeat occaſiones. Quis non lubenter ſibi per-
ſuadeat, longo eo, quo de Imperatoris electione ſolliciti erant, tempo-
re, illos, quibus nec ingenium, nec defuit ambitio, ſummam hanc ob-
tinere poteſtatem, omni ſtudio allaboraſſe; poſtquam autem intellexiſ-
ſent, Senatum ſerio de eligendo Imperatore cogitare, vnuſquiſque pro
inſtituto factionem ſuam proſequi incipiebat. Magna igitur hæc, cu-
ius Vopiſcus meminit concordia, ab vna extremitate ad alteram mox
iterum delapſa eſt, vndique motus obſeruati, & ignis vltra ſex menſes
clam nutritus atque occultatus, in magnas Romano Imperio flammas
celerrime erupit. Vix enim electo Tacito variæ variorum factiones
contra eum inſurrexere, multaſque ipſi pararant inſidias. Vopiſcus p. 15.
ipſe: *Interemptus eſt*, inquit, *inſidiis militaribus, vt alii dicunt, ſexto men-
ſe, vt alii, morbo interiit. Tamen conſtat, factionibus eum oppreſſum, men-
te atque animo defeciſſe.* Equidem nec auctores, nec cauſam horum mo-
tuum idem Vopiſcus annotauit; at Zoſimus atque Zonaras hac in re
paulo accuratiores, initio referunt, quod Tacitus ex cognatis ſuis quem-
dam Maximinum, Syriæ Præfectum conſtituerit. Hic, qui in opido-
rum Magiſtratus ſpeciem quamdam tyrannidis exercebat, coëgit illos,
vt res nouas molirentur, & cum aliis turbulentis, qui ex conſpiratione
contra Aurelianum ſupererant, ſeſe coniungerent. Interimebant itaque
Maximinum, perſequebanturque Tacitum, eundemque ex bello aduer-
ſus Scythas ſiue Gothos reducem gladio confodiebant. Expeditionem ſane
aduerſus Gothos intelligendam eſſe auerſa numi huius Principis, quem
penes me aſſeruo, facies confirmare videtur, in qua hæc occurrit in-
ſcriptio: VICTORIA GOTTHICA. Fortaſſis etiam ſuſpicari licet,
Nigrinianum hiſce interfuiſſe turbis, ac ductorem certæ cuiuſdam co-
hortis extitiſſe. Sed Zoſimus Nigrinianum huic tempori abiudicare
videtur, poſt obitum Taciti Imperium fuiſſe referens Probum inter ac p. 16.
Florianum diuiſum. Probus tenebat Syriam, Phœniciam, Palæſtinam,
totamque Ægyptum. A Floriani autem partibus ſtabant quæcunque a
Cilicia ad Italiam vſque regiones & trans Alpinæ Galliaque & Hiſpa-

 nia,

nia, Anglia, totaque cum Mauritania Africa. Poſt relationem tam exactam num veriſimile videtur, nihil eum dixiſſe etiam de Principe, qui aliquas harum Prouinciarum Probo atque Floriano præripuiſſet? Nonne potius credendum eſt, Nigrinianum ſub neutro horum Principum caput extuliſſe? Conſtat Tibi, Vir clariſſime, nullum exſtitiſſe Principem præter Gallienum, ſub quo plures motus, plures turbæ, ac plures quoque tyranni fuerunt. Quot prælia ipſi ſub initium ſtatim Imperii erant committenda? quot rebellarunt populi? quot excurſiones in omnes vndique exteriores Imperii oras hanc ob cauſam ſunt inſtitutæ? Quot victi tyranni, & ad pedes ipſius proſtrati Reges? Vt facile conſtabit ex recenſione ſingulorum tumultuum ſub hoc Principe ortorum, quam pro inſtituto meo adiungam, ne quid ex hiſce omnibus omittam, quæ præſenti inquiſitioni lucem quandam afferre poſſunt.

Florianus vix in Occidente a militibus Imperator ſalutatus fue-
p. 17. rat, cum eodem tempore Probus quoque a ſuis in Oriente proclamatus eſt. Copiis igitur ab vtraque parte ad conflictum communem deductis, in Gallia magni excitati ſunt motus. Poſt Taciti mortem fœderati ſtatim Franci, Burgundi, Vandali aliæque Germaniæ gentes quam plurimæ in Galliis, haud parui momenti ciuitates ſeptuaginta vi occupauerunt. Quibus in auxilium Probus approperans, deuicta prius prope Tarſum Floriani manu, & adminiſtratione Orientis tradita Saturnino, infinita cum barbaris trans Rhenum prælia commiſit, infinitoſque ex illis occidioni dedit. Semnonus, Princeps cuiuſdam inter hoſce populi, eiuſque filius cum aliis capitiui ducebantur. Zoſimus, qui ſolus hoc nobis retulit, addit narrationi victoriæ memoratæ, Probum minime duos hoſce Principes morti tradidiſſe, ſed deinde potius, icto populos inter, quos deuicerat, fœdere, liberos eos dimiſiſſe. Ignoſces mihi ſpero, Vir clariſſime, breuem hanc digreſſionem, non penitus facientem ad meum propoſitum, quemadmodum & alteram hanc, a qua ægre mihi queo temperare ob ſingularem Probi numum, qui Zoſimi (b) verbis de victoria a Logionibus reportata fidem conciliare videtur.
p. 18. Numus iſte, vt Tibi compertum eſt, in cimeliarchio aſſeruatur Focalti, Viri Illuſtriſſimi, & antiquitatis ſtudioſiſſimi, cui vtraque Reſpublica ciuilis

(b) *Zoſim. I. 67.*

ciuilis & litteraria quam maxime obstrictæ sunt. Pars numi aduersa inscriptione circa caput Probi galea tectum gaudet: VIRTVS PROBI T.IV.n.7.
AVG. Ipsemet vero Princeps dextra hastam humero innixam tenet, sinistra clypeum, cui milites, scutis suis capita tegentes, insculpti cernuntur. In auersa legitur: ADLOCVTIO AVG. Probus in cliuo, seu sublimiore loco collocatus, milites suos ex veteri Ducum exercitus consuetudine alloquitur. Ad pedes ipsius duo cernuntur capitiui, vinctis post tergum manibus, & milites cum militaribus signis. Duo inter ceteros præsto sunt viri, altera manu capitiuum quisque suum ducentes, altera vero frenum comprehendentes equi, in quibus scilicet captiui fuerunt adducti. Hoc modo illos coram Imperatore sistunt, qui sententiam de iis ferre videtur. Dexter barba promissa, sinister est imberbis, quod, vt ego mihi persuadeo, Semnoni eiusque filio satis conuenit. Hasce gloriosas expeditiones aliæ secutæ sunt quamplurimæ aduersus Burgun- p. 19.
diones ac Vandalos, illorumque Principis Igillii capitiuitas, & leges, quas populis Germanis, eorumque vicinis maximam partem imposuit. Ab eo tempore constat, multos variorum populorum Reges aduenisse, qui aut clementiam, aut tutelam opemque huius Imperatoris implorarunt, vti in numis a Cl. Patino & Abbate Campensi publicatis, atque in veteribus, qui nobis supersunt, scriptoribus obseruatur. Probus interim haud minori fortuna de domesticis, qui ipsi erant debellandi, hostibus triumphauit. Jam quærendum est, num Nigrinianus noster inter hosce inueniri possit. Imperator pedem ex Oriente vix mouerat, cum Saturninus, ab ipso in Syria relictus, rebellaret, purpuramque indueret; Sed mox & ipsum & Palphurium Vopisci, & Zosimi Lydium, Duces prædonum, Isauriam deuastantium egregie vltus est Probus. Attamen insignis hæc fortuna, diuinitus conatibus illius adspirans, adeo non deterruit Bonosum atque Proculum, vt copias potius in Galliis quam plurimas contraherent. Cum hisce per milites suos, quibus præerant, Imperatoris titulo auctis, Probo longum fuit graueque bellum, priusquam eos debellaret. Zosimus (c) de alio præterea Tyranno agit, qui eodem fere tempore in Anglia insurrexit. Narrat enim, hunc ex commendatione Victorini, Probi amici, huius regionis Imperium

(d) Zosim: p. 388.

p. 20. rium obtinuisse. Itaque cum Imperator de rebus nouis ab eo motis resciuisset, grauiter ea de re apud Victorinum est conquestus, qui dedit operam, vt hunc Angliæ, in quam ipse proficiscebatur, Præfectum e medio tolleret. Zonaras, qui eum appellat Tyrannum, confirmare videtur, hunc inuasorem & titulos & Imperatoris potestatem sibi arrogasse. Alii quidem scriptores, quæ in hac causa deinceps gesta sunt, haud addunt, ast Cedrenus (*d*) circumstantiis ex aliis breuiter relatis singulare hoc factum adiungit: *Victorinus*, inquiens, *ex Anglia redux baltheum suum soluit, & in mare proiecit, atque sine cinctura ad Imperatorem ingressus est. Imperator ab alio eum ita tractatum suspicans iratus est. Victorinus autem se vltro hoc fecisse dixit, rogauitque, ne vlli posthac rei præficeretur, quod omnia imperia periculosa, & certæ pernicici obnoxia esset expertus.*

Jam examinatis tot inuasorum turbis, quas modo recensui, nulla inuenitur prouincia Nigriniano magis conueniens, quam Anglia, cuius Præfectus sub Probo caput extulit. Vopiscus, Zosimus ac Cedrenus, qui illius nomen omiserunt, aliquam e primis meis coniecturam, Nigrinianum fortasse hunc fuisse Tyrannum, confirmare videntur; Sed facies Nigriniani in omnibus eius numis admodum iuuenilis impedit, quo
p. 21. minus hanc sententiam, perinde vt mihi primum persuadebam, certam esse existimem. Cum itaque Nigrinianus vltra tempus Imperatorum, de quibus supra sermo nobis fuit, haud collocandus sit, nec Tyrannis hisce, qui rebellionis crimine sub memoratis Imperatoribus sese notarunt, annumerari possit, examinare restat, an fuerit filius vel potius parens cuiusdam ex illis ipsis Imperatoribus. Hoc quidem vniuerse affirmare licet, ab omnibus istis quinque vel sex Imperatoribus liberos esse susceptos; cuius rei argumenta in mea de Magnia Vrbica dissertatione adduxi. Sed ne singulos hic persequi aggrediar, nullus ex iis occurrit, cui hac ratione Nigrinianus maiori iure conueniat, quam Aureliano. Sane hi ambo ex vna eademque familia descendisse videntur. Ansam coniecturæ mihi præbuit prænomen Domitii, quod Aurelianus vti in aliis, sic in hoc quoque numo sibi tribuit, qui aduersa parte caput ipsius sistit corona radiata cinctum, addita inscriptione: IMP. CL. DOM. AVRE-

(*d*) *Cedren. p. 217.*

AVRELIANVS AVG. in auerſa vero facie SECVRIT. AVG. atq; in area numerum XI. Domitia familia, quam hic Aurelianus iactat, eſt fortaſſis eadem, ex qua, vt mihi videtur, Nigrinianus quoq; ortus. En rationem, qua illud probari poſſe exiſtimo. Minime Te fugit, Nigrinum ſub Hadriano conſulem fauiſſe malis quorundam Conſularium aduerſus hunc Principem moliminibus. Hi, teſte Spartiano, cum pluribus aliis conſpirauerant, vt Hadrianum in ipſo ſacrificandi actu interficerent. Sed conſpiratione detecta, morte auctores puniti ſunt: quos inter Nigrinus quoque iuſſu Senatus Fauentiæ fuit occiſus. Addit Spartianus, facta hæc eſſe iniuſſu Hadriani, qui illis iſtud crimen condonare voluit. Neſcio an numus huius Imperatoris, quem ipſemet aſſeruo ex ære mediocris moduli, cum titulo: CLEMENTIA AVG. in auerſa parte, vnus ſit illorum, qui in honorem Hadriani hanc ob cauſam ſignati fuerunt. Interim certum eſt, quod Aelium adoptare haud dubitauit Imperator, non obſtantibus, quæ cum eo geſta erant, & quod Nigrini coniurati gener eſſet. Varii huius nnminis fuere in Romana Republica e diuerſis tamen familiis. Nonnullos enim ex *Auidia* vel *Pontia*, alios ex *Domitia* fuiſſe conſtat; e qua noſter quoque Nigrinus ſupra memoratus ortus, quoniam filia ipſius, ab Aelio in vxorem ducta, *Domitia Lucilla* vocabatur. Quemadmodum vero Aurelianus Domitii prænomine vtitur demonſtraturus, ex illuſtri ſe familia Domitia ortum trahere; ita quoque dici fortaſſe veriſimiliter poteſt, Nigrinianum a Nigrino, proprio hoc ipſius ſeruato nomine vocatum fuiſſe, vti a Caro Carinus, a Licinio Licinianus & a Domitio Domitianus. Hæ coniecturæ minus forte, quam aliquis credat, remotæ confirmari videntur loco Eutropii, qui, motu monetariorum memorato, ſtatim obſeruat, Aurelianum àd capitis ſupplicium viros illuſtres condemnaſſe quam plurimos, qui leuem tantummodo ſuſpicionem incucurrerant, illi ſe ſeditioni interfuiſſe. Vopiſcus itidem refert, multos illum morti tradidiſſe Senatores, quibus conſilia rebellionis falſo imputabat. *Fuit enim ſæuus & ſanguinarius & trux omni tempore, etiam filii ſororis interfector.* Cui ſubiungit: *Addunt nonnulli filium ſororis, non filiam ab eodem interfectum, plerique autem etiam filiam ſororis.* Nonne hac ratione credendi locus eſt, Nigrinianum fuiſſe Aureliani nepotem, vtpote filium ſororis ipſius, eun-

p. 22.

p. 23.

demque ab hoc crudeli Principe interfectum, vti laudati scriptores testantur?

p. 24. Os adolescentis, quod in omnibus Nigriniani numis obseruatur, non male congruere videtur iis, quæ hactenus ex historiarum monumentis retuli. Nec consecratio, in numis ipsius obuia, difficultatem alicuius momenti in hoc negotio inducere valet. Licet enim e medio eum sustulerit Aurelianus, hoc tamen consecrationem ipsius impedire nequaquam potuit. Quin immo videtur potius, hoc ipso voluisse sese purgare a nece filii sororis, aut cogitationes de crudelitate hominibus obortas solemni hac confessione innocentiæ per consecrationem, siue proprio consilio siue sororis precibus factam, diluere. Et sane acerbos ac recentes ob filii mortem sorori illatos dolores haud aliter lenire poterat, quam loco ipsi inter Semi-Deos concesso.

Aurea ac ærea, quæ Nigriniani exstant numismata, illum cum consecrationis nota sistunt. Jam aquila in iis sola iam rogus cernitur. Quo satis declaratur, illum haud potuisse inter Diuos referri nisi ab Imperatore, in Imperio suo pingui otio fruente. Aut nonne etiam affirmare liceat, Nigrinianum fuisse Aureliani filium? Equidem non fugit me, pro fabuloso illum hactenus haberi, & Vopiscum testari, *quod Aurelianus filiam solam reliquerit, cuius posteri nunc Romæ sunt*, addita ratione, quæ nullum dubitationi locum concedit; *Aurelianus namque Proconsul Ciliciæ, Senator optimus, sui vere iuris, vitaque venerabilis, qui nunc in Sicilia vitam agit, eius est nepos.* Idem auctor alio in loco, quo seueritatis Aureliani meminit, qua vxorem filiamque suam iussit priuatorum instar hominum vitæ rationes instituere, nullam filii ipsius mentionem facit. Hæ, vt quidem existimo, obiectiones contra sententiam meam quam maxime facere videntur. Sed non adeo mouere nos debent ista loca, vt nonnulli forte sibi persuadent; adeoque in iis nihil mihi contrarii reperi, vt potius ad coniecturam meam confirmandam inseruire queant.

p. 25. (marginal note beside "tione, quæ nullum dubitationi locum concedit")

Primo. Quando dicitur, Aurelianum eo adegisse vxorem filiamque, vt priuatorum instar hominum vitæ rationes instituerent, non ipsi locus erat de filio loquendi, atque de hoc Principe iuuene cogitandi, cuius educatio Præfecto cuidam haud dubie commissa erat, a quo in arte belli-

bellica instrueretur. Silentium itaq; istud, siue omissio filii Aureliani hoc in loco, non pro negatiuo argumento assumi debet.

Secundo. Verba: *Aurelianus filiam solam reliquit*, minime pro- p. 26.
bant, Aurelianum præter vnicam filiam haud alios suscepisse liberos; sed volunt potius, illum filiam duntaxat superstitem sibi reliquisse. Quo tantum euincitur, filium Aureliani, si quidem fuit ipsi filius, ante eum e vita excessisse.

Interim tantum abest, vt hic Aureliani filius Historicis plane sit incognitus, quod multi contendunt, vt ipsum inueniam conceptis verbis designatum. Ecce locum præteritum elegantissimo auctori exquisitæ Dissertationis de nonnullis Tetrici atque Aureliani numis Luxemburgi 1700. impressæ. Suidas (*e*) eum nobis e veteri quodam scriptore relatum conseruauit, qui inauditam Aureliani crudelitatem referens diserte id, quod dixi, affirmat, ὡς μηδὲ τῶν οἰκείων αἵματος διαμεῖναι καθαρὸς· τῆς γὰρ τοῦ παιδὸς γαμετὴν καὶ ἀνέγκλητον διεχρήσατο, h. e. *vt ne a necessitudinum quoque cæde abstinuerit, vxore etiam filii insonte interfecta.*

Scio quidem, huic loco alia Vopisci atque Aurelii Victoris opponi posse, qui nihil plane de hoc Aureliani filio dicunt. Sed quoniam scriptores memorati in eo quidem conueniunt, quod Aureliani erga suos crudelitatem omnes referant, de illis vero, quos neci tradidit, dissentiunt; satis produnt, haud plene se ea de re instructos fuisse. Sa- p. 27.
ne ex Aur. Victoris sententia filium sororis interfecit Aurelianus; secundum alios, quos memorat Vopiscus, non filium sed sororis filiam; & iuxta alios iterum, filium filiamque sororis sustulit. Quod si primas Eutropii (*f*) editiones sequi volueris, cæde se sororis germanæ Aurelianus polluit: *Trux omni tempore, etiam filiis: sororis interfector.* Si Suidam vero audiamus, vxorem filii occidi iussit. τῆς γὰρ τοῦ παιδὸς γαμετὴν καὶ ἀνέγκλητον διεχρήσατο. Omnes istæ varietates, diuersæque relationes iustam dubitandi occasionem suppeditant, in nonnullis hisce mendum irrepsisse. Suidæ forsan relationi hoc loco præ ceteris insistendum esse existimauerim. Ex optimo illud auctore haud dubie depromsit, & omnibus constat, quam vehementer ei obstricti sumus, quod plurima,

(*e*) *Suid. in* Αὐρηλ. (*f*) *Eutrop. IX. 9.*

quæ alibi fruſtra inquirimus, nobis conſeruauerit. Celeberrimus Ballonſellus, auctor Diſſertationis de nonnullis Aureliani & Tetrici numis, a coniectura mea non adeo alienus eſſe videtur. Cum enim intelligi vix poſſit, qua ratione Aurelianus, ſi huius nominis ſolus exſtitiſſet, tot reportare victorias, totque Prouinciis adeſſe tam inter ſe disiunctis breui eo, quo regnauit, tempore potuerit, filium ipſi adſignat, victoriarum eius ſocium, illumque in numis obſeruaſſe ſe exiſtimat. Optaſ-
p. 28. ſem, vt hæc ipſius coniectura meæ confirmandæ inſeruire potuiſſet, ſed ratione ille vſus eſt ad ſententiam ſuam ſtabiliendam, quæ a communi ſyſtemate nimium quantum abhorret.

Mombritii acta, ſi ſincera eſſent, non parum conferrent ad hanc de filio Aureliani opinionem tuendam. Auctor ille in actis S. Columbi refert: *Aurelianum dixiſſe per Deum meum ſolem & per omnes Deos meos conſenti mihi & ſacrifica Diis meis & eris coniunx filio meo Aureliano Cæſari, & bene tibi erit in domo mea propter pulchritudinem tuam.* Sed cum illa, ex ſententia eruditiſſimorum quorumuis Criticorum, atque in his Bailleti, pro falſis habenda ſint, cum his mihi magni momenti teſtimonium eripitur, ideoque hoc non tamquam argumentum primæ auctoritatis præſenti loco adduxi, ſed vt tantummodo demonſtrarem, nihil quicquam me veritatis indagandæ gratia neglexiſſe.

Licet interim hæc acta exigui ſunt ponderis, num autem ideo, ſi alibi inuenitur, quibus hoc illorum teſtimonium confirmari queat, plane tamquam nullius fidei omnia, quæcunque referunt, abiicienda ſunt? Facile credam, auctorem horum actorum narrationem ſuam exor-
p. 29. nare paululum & expolire inſtituiſſe; Nonne autem ad hanc rem capita quædam præcipua e veteri ſcriptore fide digno, qui ea conſeruauit, petere potuit, atque in his id ipſum de Aureliani filio? Nihil igitur impedit, quo minus perſuaſi ſimus, & Aureliano filium fuiſſe, & ductam ab eo vxorem, quam, licet innocentem, Suida teſte, Aurelianus iuſſit interficere. Eo forſitan tempore factum, quod filius Aureliani memoratus nomen ſuum in Nigrinianum a Nigrinia vxore deſumtum tranſmutauit, hac in re ſecutus exempla quorundam Imperatorum, vt Domitiani & ſic porro. Si modo hanc opinionem tueri fas eſt. Nomen tamen Nigriniæ haud quaquam chimæricum eſt. Gruterus enim inſcri-

ptio-

ptionem, Præneſtis in Italia repertam, de Nigrinia quadam affert in hanc ſententiam:

FORTVNAE PRIMIG. SIGNVM
EQVITATIS NIGRINIA AVXESIS
CVM FELICE AVG. LIB. ET SVIS
DDDD.

Aliam ecce ex collectione Fabretti, quam e Roma ſubterranea produxit.

VAL. NIGRINIÆ INFANTI IN-
NOCENTISSIME QVE B. ANN.
II. M. II. D. X. OR. V. IN
PACE.

Idem Fabrettus inſcriptionem aliam ſingularem refert, in qua mentio fit cuiuſdam Nigriniani, qui cum Fl. Anicio faſces conſulares geſſit, in Faſtis quidem omiſſo; niſi hic Anicius idem ſit cum Sergio Conſule, qui ſub Conſtantio Collega fuit Nigriniani. p. 30.

ANTONIN . . . .
V. C. PONTIF. ET DECEMVIR.
SA. F. TAVROBOLIO CONFEC
TO III. KAL. MAI FL. ANICIO
ET NIGRINIANO CON. ARAM
FELICITER CONSECRAVIT.

Non facile definire licet huius inſcriptionis ætatem, nec accurate demonſtrare, num illa noſtro Principi abiudicanda ſit. Cum tantum fragmentum ſit, coram debebat luſtrari atque ad examen reuocari, priuſquam ex eo lucis aliquid haurire detur. Nam Taurobolium ibi commemoratum circa tempora M. Aurelii in vſu eſſe cœpit, & admodum ſero in deſuetudinem abiit, cum ſub Gratiano adhuc eiuſmodi genus ſacrificandi fuerit vſitatum. Nomen initiale extrema parte truncatum ANTONIN.... rem nihilo magis valet decidere, cum titulo deſtituatur, qui diſerte nos docet, ad quemnam ex Imperatoribus Antoninis debeat referri. Forſan Tibi, Vir clariſſime, inter obſeruationes tuas reconditæ antiquitatis occurret aliquid, quod critico huic p. 31.

argumento lucem afferre, faſtoſque hoc in loco illuſtrare poterit. Multi de cetero ex hac familia reperiuntur viri magni nominis. Hadrianus Nigrino cuidam promiſerat Imperium, ſi exſpectare illud iſte poſuiſſet. Vixit etiam Nigrinus ſiue Nigrinianus quidam ſub Conſtantio, qui Aquileiam ſe receperat, ibique ſe tutatus monumentis, Imperator ſalutari geſtiebat, ſed Romanis traditus viuuſque eſt exuſtus. Faſti denique mentionem Nigriniani faciunt, qui iam Nigredianus, iam Nigrianus appellatur, conſul atque Sergii collega. Ex allatis ſane patet, Nigrinianum in noſtris numis obuium nec ad tempus Conſtantii; neq; ad Alexandri in Africa, imperante Maxentio, Tyranni ætatem, vt hactenus quidem creditum fuit, poſſe referri. Aevum enim Principum a nobis notatorum tranſgredi omnino non poteſt Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Cari eiuſque filiorum, ſed in eo decem aut duodecim annorum ſpatio, quo iſti, vt ſupra dixi, imperium tenuere, eſt collocandus. Nulla hoc difficultate laborat. Cuicunque enim parti aliquis faueat, & quicunque Imperatorum e iam dictis Nigriniano parens tribuatur; ſemper tamen ſuppetent argumenta a ſimilitudine conditionis numorum, & p. 32. litterarum KAA ſubſignatarum repetenda. Cum interim luna creſcens inuerſa in numis horum Principum ante Probum haud inueniatur, nec in Probi numis litteræ KAA ſubſignatæ occurrant, vti in Caro, Carino atque Numeriano; hinc occaſionem ſumſi nouæ coniecturæ, quam hoc loco proponere non dubito. Forte enim Nigrinianus fuerit filius Carini, aut, in quem magis propendeo, Numeriani.

Primo. Numi Nigriniani numis Cari & Numeriani conſecrationis typum referentibus admodum ſunt ſimiles. Cum autem conſtet, Carinum illis fuiſſe ſuperſtitem, nec vllum reperiri Carini numum, in quo eius conſecratio appareat, credendum eſt, laudatos Principes ipſius cura conſecratos fuiſſe. Et ex adoleſcentia, quam præ ſe fert Nigrinianus, colligitur filius forte exſtitiſſe Numeriani, atque ab Apro vna cum Principe parente interfectus; quamquam huius rei altum eſt apud Hiſtoricos ſilentium. Tibi, Vir clariſſime, iudicandas relinquo diuerſas hic adductas ſententias, quibus annitor Nigriniani ætatem detegere. Hoc ſaltim affirmare ſemper audeo, illum, quod ad propoſitum meum ſufficit, non fuiſſe, vt hactenus exiſtimarunt viri doctiſſimi, filium Alexan-

dri

dri in Africa Tyranni; neque omnino illorum, quos designaui, Principum p. 33.
transgressum esse ætatem, quod ipsorum numi mihi indicarunt. Quæ omnia me longe melius nos docebis, cum in lucem proferes egregias tuas in omne genus numismatum, quæ in Numophylacio tuo collecta seruas, obseruationes.

Vt viæ, quam ingressus sum, de nonnullis Imperatoribus incognitis agendi, vlterius insistam, en Tibi aliquos, de quibus iuuat mea tecum dubia communicare. Duos diuersos lustraui numos cuiusdam Maximiani Junioris. Vnus in Cimeliarchio Illustrissimi Focalti exstat, hac gaudens inscriptione: IMP. MAXIMIANVS JVN. AVG. Caput T.IV. n.9.
eius lauro redimitum faciesque barbata cernitur; in auersa parte solemnis occurrit figura cum titulo PRINCIPI JVVENTVTIS, subsignatis litteris PLC. Alter, quem describi curaui, cuiusque posticam partem diuersam in tabella adiuncta cernere licet, spectat ad R. P. Jobertum.

Hunc Imperatorem esse incognitum, neque vllam eius apud scriptores exstare mentionem, hactenus creditum fuit. Nonnulli antiquitatis periti existimarunt, illum Galerii esse Maximiani filium, ideoque, vt a Patre suo distingueretur, Juniorem appellatum.

Non possum, quin ingenue Tibi profitear, me salua summa ea, p. 34.
qua viros illos doctos prosequor, obseruantia, huic ipsorum sententiæ accedere minime posse. Hunc enim Maximianum Jun. neutiquam a Galerio distinguendum esse censeo, quippe qui & pater & filius & idem ille est, quem sub nomine Galerii Maximiani cognitum habemus, quo a Fl. Val. Maximiano, qui eum Imperii fecerat socium, discernatur.

Primo. Quantum ex oris ductibus in hac numorum ætate iudi- T.IV.n.10.
care licet, cum Galerio Maximiano ex asse congruit.

Secundo. Junioris titulus, in adducto numo ei attributus, non minus quam filio iactato optime conuenire potest, licet etiam ipse alium postea susceperit Augustum.

Tertio. Quin immo non tantum ei conuenire potuit, sed etiam interdum adhiberi debuit, vt iam deinceps ostendam.

Non ignotum est, Diocletianum & Maximianum, quorum hic cognomine Jouii, ille Herculei vocabatur, cum per octo annos rebus præfuissent, communi consilio constituisse, non quidem Imperii onere sese suble-

subleuare, sed felicioris regni causa duos adhuc collegas sibi adsociare. Delegerunt itaque Constantium cognomine Chlorum, & Galerium Maximianum Armentarium, quibus initio titulum tantummodo Cæsaris tribuerunt. Ambo deinde per aliquod tempus sola NOBILIS CAESARIS dignitate sub auspicio patrum suorum permanserunt, ac denique ad Augusti dignitatem fuerunt euecti.

T.IV. n. II.

p. 35. Vno igitur eodemq; tempore quatuor fuerunt Augusti, & duo deinceps alii Nobiles vocati Cæsares, a Constantio & Gal. Maximiano in societatem Imperii adsciti, Seuerus nempe & Maximinus Daza, vt præter historiarum monumenta nos edocet singularis Gruteri inscriptio p. CLXXVIII. 7.

DD. NN. DIOCLETIANVS ET
MAXIMIANVS INVICTI SE
NIORES AVGVSTI PATRES
IMPERATORVM ET CAESARVM
CONSTANTIVS ET MAXIMIA
NVS NOBILISS. CÆSARES
THERMAS FELICIS DIOCLE
TIANI AVGVSTI FRATRIS SVI
NOMINE CONSECRAV. CEPTIS
ÆDIFICIIS PRO TANTI OPERIS
MAGNITVDINE, OMNI CVLTV
PERFECTA ROMANIS SVIS
DEDICAVERVNT.

Inter quatuor istos, qui simul eodem tempore fuerunt, Augustos duo priores gaudebant nomine communi Maximiani; ex his Galerius Maximianus JVNIOR vocari potuit, vt a natu maiore distingueretur, qui dictus itidem est respectu alterius SENIOR. Quod tamen non semper in vtroque obseruatum vides. Non enim omnia Maximiani natu maioris, alio nomine Herculei dicti, numismata Senioris nomen præferunt, vti & rarissime appellatiuum Junior in numis Galerii, vt mihi persuadeo, reperitur. Quibus mea magis magisque confirmatur sententia, quod scilicet numi isti, in quibus vocabulum JVN. inue-

p. 36.

nitur

nitur, ad Galerium ſpectare videantur. Nam cum Herculius Maximianus ſolus adhuc eſſet Auguſtus, minime neceſſe erat, SENioris vocabulo eum a Galerio ipſius genero diſtinguere, qui Cæſar tantum eo tempore adhuc exſtitit. Non erat ipſi timendum, ne cum altero confunderetur, quoniam titulus iſte ſatis eum diſtinguebat a nummis Parentis Herculii, qui Cæſaris dignitatem non attigit, ſed Auguſtus ſtatim a Diocletiano declaratus eſt. Hinc fit, quod Junioris titulus Nobili Cæſari adiunctus numquam in numis Galerii inueniatur. Neque in illis frequenter eſt obuium prænomen Galerii, vt in hoc præſenti numo, quem exempli loco, quamquam in re non plane ignota, afferre volui. Notatu tamen dignum eſt, & ad præſens inſtitutum noſtrum facit: MAXI- p. 37.
MIANVS NOB. CAES. Caput ipſius lauro cinctum; & in auerſa T.IV. n.II.
parte verba: SACRA MONET. VRB. AVGG. ET CAESS. NN. cum ſubſignatis litteris AQ. r. quæ Galerium indicant, licet nomen GAL. haud ibi reperitur. Titulus enim NOB. CAES. illum ab Herculio ſatis diſtinguebat, adeo vt nomen GALERii præmittere haud ſemper eſſet neceſſe. Sed quam primum Auguſtus euaſit, duobus iam ſimul exiſtentibus, prænomen negligi & ſolus JVNioris vel SENioris ti- T.IV. n.9.
tulus in alterutro numo poni potuit. Quod in duobus, quos deſcribi & 12.
curaui, numis factum quoque deprehendimus.

In prioris antica parte cernitur MAXIMIANVS SEN. P. F. AVG. & caput ipſius laurea cinctum; in poſtica vero CONCORD. MILIT. E. ac infra PR. In alterius aduerſa parte occurrit IMP. MAXI- T.IV. n.9.
MIANVS JVN. AVG. & caput eius laurea redimitum; in auerſa vero SECVRIT. PERPET. DD. NN. ac infra PLC.

Si obiiciat aliquis, nomen GAL. vocabulo JVNioris coniunctum in numis his haud inueniri, vt eundem ipſum eſſe conſtet. Inutile illud eſſe reſpondeo, cum nec Maximianus Herculius in numo a me producto prænomen ſuum adſcribi curauerit, vt appareat, numos, in quibus SEN. occurrat, Herculii eſſe, quod nomen adiungi non erat neceſſe, cũ p. 38.
SENioris appellatio ſatis eum ab altero diſtingueret. Quod ſi quis tres in numis agnoſcere contendat Maximianos; vtpote Herculium, Galerium & tertium Juniorem, fas quoque erit mihi affirmare, Maximianum SENiorem non neceſſario eundem eſſe cum Herculio debere, quoniam

 appella-

appellatio hæc in aliis ipſius numis non ſemper reperitur, adeoque quatuor eſſe Maximianos admittendos.

Juxta hanc ſententiam tres quoque introduci conficique poſſunt Licinii e binis illis, quos agnoſcimus; Licinius ſcilicet pater, qui facillime ab aliis diſtinguitur, quia in numis, qui eum nobis barbatum ſiſtunt, Auguſti ſemper titulo inſignitus veniat; & alii Licinii duo iuniores, quorum alter frater natu maior cum elogio NOBilis CAESaris in hoc numo occurrit DN. LICINIVS NOB. C. alter frater natu minor, qui, vt a priori diſtingueretur, appellatione vſus eſt JVNioris addita NOBilis CAESaris titulo, quod nemo, quantum ſcio, hactenus auſus eſt affirmare. Quoniam vero ex ſententia huiuſcemodi tam inepta colligere licet, ne dubitemus IMP. MAXIMIANVM JVN. AVG. eundem cum GA-
p. 39. LERIO eſſe. Non deſunt ſaltim rationes, quæ adſtruendæ ſententiæ meæ ſatis eſſe poſſunt; contrariæ vero opinionis ſectatores hactenus argumenta haud ſatis firma produxerunt, vt ex nihilo hunc nobis effingerent Principem. Nouum etiam, quod Tu, Vir Præſtantiſſime, mihi ſuppeditaſti, argumentum ex Idatii faſtis depromo. Chronologus iſte, de obitu horum Principum agens, ita de illis loquitur:

Anno II. poſt Conſulatum decimum & ſeptimum his Conſſ. quod eſt Maxentio III. ſolo diem functus eſt Maximianus ſenior. Maximiano VIII. Conſule.

His Conſſ. quod eſt Rufino & Voluſiano diem functus eſt Maximianus JVNIOR.

Ex hiſce patet, JVN*ioris* appellationem notiſſimo nobis Galerio propriam fuiſſe, eique ideo attributam, vt per hanc a SENiore diſtingueretur; nam vtraque cognominatio & in Hiſtoricis & in numis reperitur. Obiter quoque notandum eſt, huncce Gal. Maximianum in numis primum titulo Junioris vſum eſſe, quemadmodum Herculius pater ipſius, & Diocletianus primi ob ætatem honoris loco ſibi vindicarunt titulum Senioris, vnde forſan deſcendere poſſunt elogia, hodieque Gallis noſtris frequentiſſima, *Monſeigneur* & *Noſſeigneur*, hoc diſcrimine,
p. 40. vt vox *Seigneur* reſpiciat non ætatem magis prouectam, ſed dignitatem maiorem, vt adeo hoc ipſo denotetur reſpectus ac veneratio, quam illi debemus, vel ſuperioritas atque eminentia, qua præ nobis eſt inſignis.

Sub

Sub Diocletiano ipſo etiam & Maximiano obtinuit apponere elogium DN *Domini Noſtri* pro titulo Imperatoris, qui initio lemmatis in numis vetuſtiorum Imperatorum communiter inuenitur. Vox Domini ſub Aureliano quoque & Caro obſeruata fuerat. v. g. *Deo & Domino nato Aureliano Aug. Domino & Deo Caro Aug. Deo & Domino Caro Inuic. Aug.* Quemadmodum illud iam annotauit Illuſtris Spanhemius. Haud quidem me latet, in inſcriptione apud Gruterum p. 274. Alexandrum Seuerum, aut, ſi mauis, Decium quendam DOMINI NOSTRI elogio exornari, quod in numis ante Aurelianum & Carum non inſculptum eſt. At litteræ DN. DD. NN. in numis duorum horum Principum obuiæ, ante eos haud obſeruantur, ſed deinceps in vltimis Imperatoribus conſtanter occurrunt. Imperatoris enim titulus vltra tempus, quo regnauit Conſtantinus, haud amplius deprehenditur.

Rev. P. Harduinus feliciter mihi videtur hariolari, numos Conſtantii, in quibus JVN. occurrit, Gallo eſſe abſcribendos; cui ipſius obſeruationi eo lubentius ſubſcribo, quoniam non deſunt rationes, quibus ad eam amplectendam perſuadeor. Numiſmata huius Conſtantii Junioris, & Conſtantii, Conſtantini filii, communiter inter ſe confundun-
tur. Sed ne diligentius inquiram, num Conſtantius iſte, Conſtantini p. 41.
filius, potuerit Junioris titulo vocari, certe conſtat, numos omnes, qui
DN. CONSTANTIVM. JVN. NOB. C. abſque corona & cum naſo T.V.n.1.
longo & aquilino fere ſimili ſiſtunt, ad Conſtantium Gallum eſſe referendos, cuius rei argumenta afferri poſſunt quam plurima.

Primo. Numi filii Conſtantini cum titulo NOBilis CAESaris vniuerſi ſunt alterius formæ ac conditionis, &, vt viſu facillimum eſt, tempore Conſtantini ſignati; cum e contrario Galli numiſmata compoſitionem produnt paulo diuerſam, & numis aliorum Imperatorum
circa ætatem Juliani congruentem. T.V.n.2.

Secundo. Filius Conſtantini M. longe iuniore ætate Auguſtus declaratus, quam iſte, qui in numis cum titulo NOB. CAES. apparet, vt ex vtriuſque numis licet cernere.

Tertio. Numi, qui reperiuntur haud dubie Conſtantii, Conſtantini filii, eoque admodum adoleſcente percuſſi, omnes illum aut lauro aut alia corona redimitum ob oculos nobis ponunt. Ac ſi forte non-

nonnulli inueniuntur capite nudo, facillimum est agnoscere diuersitatem; cum e contrario numismata Constantii Galli cum titulo Junioris iuncto verbis NOB. CAES. omnia absque corona, aut diademate potius eum repræsentant, licet multo adultior videatur Constantio, cum
p. 42. ad Augusti dignitatem eueheretur. Hisce adiungere iuuat, quod non solum numi in quibus appellatio Junioris vna cum aliis, quæ dixi, apparet, ad Gallum referendi sint; sed omnes etiam, qui absque hoc vocabulo JVN. reperiuntur, dummodo illum paulo ætate prouectiorem
T. V. n. 3. nudoque capite, vt Julianum Apostatam Nobilem Cæsarem, eius fratrem, oculis sistunt. Non itaque amplius in dubium vocari debet, quin isthæc numismata alii sint Principi quam Constantio, Constantini filio, tribuenda, quoniam conditio ipsorum nimis diuersa respectu temporis, quo Cæsar tantum exstitit Constantius, ac similis est numis Constantii, Constantini filii, qui cum Augusti titulo circa finem ipsius Imperii, quo Gallus Cæsar electus est, signati fuerunt. Neque ille solus hoc tempore nudo capite sistitur. Etenim præter Julianum, eius fratrem idem adhuc obseruatum cernas in Magnentio & Decentio, qui, Cæsares adhuc, capite semper nudo conspiciuntur; sed & eosdem Augusti iam titulo insignitos corona sæpius aut potius diademate, quod tunc in vsu erat, destitui videas. Corona laurea tempus Constantini haud ex-
p. 43. cedit. Equidem inuenitur illa adhuc in ipsius filiis vna cum Cæsaris elogio; sed postquam Augusti vocati fuerunt, diadema, quod Constantinus introduxit, assumsere, vti in maxima ipsorum numorum parte cernere licet. Noui sane Aur. Victorem affirmare, quod Aurelianus Imperator primus diademate vsus fuerit; nec me fugit, prouocari ad numum in cimeliarchio Ducis Arschotani, in quo Aurelianus, diademate cinctus, apparere videtur; sed illum neutiquam adhuc videre potui: igitur proprie loquendo sub Constantino demum vsus hic obtinuit. Hoc autem diadema non prius, vt mihi videtur, assumsit Constantinus, quam post prælium insigne, quo Maxentium deuicit, excitatus signo crucis, quod de cœlis ipsi ostensum, atq; in labaro statim ab eo expressum est, quo nihil est in tota antiquitate celebrius, ipsi vero certum fuit tot victoriarum ab hostibus reportandarum præsagium. Eundem vsum diadema gestandi successores ipsius constanter retinuerunt, & abhinc nec

laurea

laurea nec radiata corona vſquam fere cernitur, quam poſt Conſtantinum Juniorem in numis Imperatorum haud amplius obſeruaui. In Conſtantii quidem, fratris ipſius, numo laurea conſpici videtur, ſed gemmis illa exornata eſt atque diſtincta, vt veri inſtar diadematis haberi debeat.

Supererat adhuc, Vir clariſſime, vt meas Tibi coniecturas de pluribus huius generis numiſmatibus exponerem, niſi maius otium illæ p. 44. deſiderarent, quam vitæ genus & ſtudium, cui me conſecraui, mihi permittunt. Non Te fugit, quanta ſit artis Medicæ vaſtitas, vt ei quoque, qui vel exiguam tantum illius partem perſequi aggreditur, non ſit diutius ad aliud forum diuertendum. Erit tamen fortaſſe tempus, quo mihi licebit magis ſtudiorum meorum rationes diſpungere, & in publicum dare ea, quibus ſuſcipiendis Tu & conſilio & exemplo tuo auctor mihi fuiſti. Ita mihi non, vt pridem, exprobrabis amplius, quod ab aliis eripi mihi ſinam gloriam tot obſeruationum in monumentis, quæ incredibili ſtudio hodie a multis inquiruntur. Quæ vero remora tuos hactenus detinet ingenii fœtus, & plurimos, & præſtantiſſimos, quos apud Te naſci vidi, & in quibus, vt in omnibus adhuc tuis in lucem editis, haud dubie reperturi eſſemus obſeruationes inſignes, atque futuras ad eruditorum primæ caueæ palatum? Quod ſi vel Cimeliarchii tui notitiam publici iuris faceres, quot & quam egregiis lipſanis priſcæ eruditionis (vt tuo verbo vtar) bearemur. In his offerret ſeſe oculis noſtris inſcriptio Attica eximia bis mille & quadringentorum amplius annorum, cum marmoribus aliis & iconibus æneis, ſingularibus etiam antiquioribus, & tot ſingularia numiſmata ex quocunque metalli genere materiam felicem præbitura ingenio tuo. Non dubito pleroſque, quod in exterorum quoq; ſcriptis legere memini, opus hoc, cuius in præſenti ſpem facio, exſpectare impatienter. Noli itaque male ferre, quod nouo veluti vinculo fidem tuam obſtringâ lectoribus; neq; enim difficilius Tibi erit eandem exſoluere, quam mihi futurum eſt iucundiſſimum, quocunq; tempore & loco meum erga Te amorem meamque obſeruantiam rebus magis quam verbis teſtari.

Tibi addictiſſimus

GENEBRIERIVS, Med. D.

XXIV.

EPISTOLA
REV. PATR.
GRAINVILLII
JESV SOCII,
De numo quodam Maximini Imp.

E Memoriis Triuultianis MDCCIV. Januar. p. 54. seqq.

VIR CLARISSIME.

NVmus Maximini, cuius apud Te memini, maioris forſan eſt & raritatis & vtilitatis, quam quidem exiſtimes. Quod confeſſurum te ſpero, ſi meas in hunc numum animaduerſiones tecum communicauero. Ecce vero illas: Aduerſa huius numi facies caput ſiſtit lauro cinctum cum inſcriptione: MAXIMINVS FIL. AVGG. in auerſa vero parte genius Imperatoris ſtans cernitur, dextra pateram, ſiniſtra abundantiæ cornu præferens, additis litteris R. GENIO AVGVSTI. in ſubſignatione SIS. legitur, ad cuius alterum latus luna creſcens, ad alterum L. exſtat.

Conſtantini ſupereſt numus huic plane ſimilis, excepto oris ductu & nomine, ſed inſcriptiones illæ, licet vtrique Principi communes, nihilominus admodum ſingularia quædam & tua attentione digniſſima nos edocent.

Primo. Principes iſti, qui neque Cæſares, neque Imperatores, neque Auguſti fuerunt, *Auguſtorum filii* vocantur, cuius rei exemplum, ſi numos ſuperſtites conſulamus, hucuſque nullum reperitur. Equidem verum eſt, duos Agrippæ filios, Caium & Lucium, ab Auguſto auo adoptatos titulum ſumſiſſe filiorum Auguſti, vt toti terrarum orbi adoptionem ſuam notam redderent; ſed iidem erant Cæſares, atque hoc elogium

logium ſuis in numis ferunt. Tiberius ab eodem adſcitus Auguſto itidem ſeſe Auguſti filium vocauit, ſed eodem tempore Imperatorem atq; Auguſtum. Quamplures alii exinde Principes, ſimili dignitate inſigniti, omnes, aut Imperatores, aut Cæſares, aut Auguſti fuerunt. Fauſtina p. 55.
quoq; Junior & Lucilla vno eodemque tempore & *Auguſtæ* ſunt & *filiæ Auguſtarum* appellatæ. Ac licet veriſſimum eſſet, quod ait Capitolinus, Verum Juniorem, poſtea Imperatorem, citra vllam aliam dignitatem nomine *filii Auguſti* decoratum fuiſſe; hoc in numis tamen, qui hodie ſuperſunt, non inuenitur. Soli itaque Maximinus & Conſtantinus, quamquam neque Cæſares, neque Imperatores, neque Auguſti ſalutantur, *filii Auguſtorum* in iis audiunt. Hoc vero vnde?

Secundo. Vnde etiam eſt, quod, cum in aduerſa horum numorum parte FIL. AVGG. ponitur, in auerſa illorum facie GENIO AVGVSTI exſtet? Hæc poſterior inſcriptio num ad hoſce Principes, an ad quendam alium pertinet?

Tertio. Maximinus & Conſtantinus in hiſce numis *filii Auguſtorum* audiunt, quod ex conſtanti vſu duplex GG. ſignificat. Alii autem Principes *filii* tantum *Auguſti* FIL. AVG. vocantur. Quorſum hæc differentia?

Solus ſi Conſtantinus nomine *filii Auguſtorum* inſigniretur, res forſan poſſet expediri. Conſtat enim, Conſtantium eius patrem fuiſſe Auguſtum; atq; Claudium Imperatorem cognomine Gothicum ex eius fuiſſe maioribus. Qua de re non dubitare nos ſinit Eumenius, &, quæ auctoritatem ei conciliat, hæc Gruteri inſcriptio p. 283.

PROPVGNATORI IMPERII ROMA-
NI FVNDATO QVIETIS PVBLICAE.
D. FL. CONSTANTINO MAX.
VICT. SEMP. AVG. D. CLAVDI. NE-
POTI DIVI CONSTANTI FILIO SER-
TORIVS SILIANVS V. P. PRÆPOSI-
TVS FABRICAE DEVOTV.
N. M. Q. F.

Hoccine ſufficiebat, vt Conſtantinus vocaretur *filius Auguſtorum?* p. 56.

rum? Eumenius ſane huius eſt ſententiæ, cum Imperatorem ita blande alloquitur: *poſt duos familiæ tuæ Principes tertius Imperator.* Sed maior etiam ratio ſuppetit. Nam Conſtantinus reuera erat Maximiani Herculii nepos. Pater enim ipſius Conſtantius eodem, quo Cæſar creabatur, tempore, quoque Theodoram eius priuignam duxerat, ab hocce Imperatore adoptatus fuit. Sic affirmari quoque poſſet, Conſtantinum ipſum adoptatum ab eodem Maximiano Auguſti elogium & Fauſtam filiam pro coniuge accepiſſe. Mos ille ſolemnis erat huius temporis. Maximianus enim paucis ante annis Conſtantium adoptauerat, cum Theodoram ei in coniugium aſſocians, Cæſarem creaſſet. Nonne veri videtur ſimile, quod idem Imperator Conſtantinum ſimiliter adoptauerit, quando eum vocauit Auguſtum, eique filiam ſuam Fauſtam in matrimonium dedit; quodque in gratiam filii, quo vehementer ad conſilia ſua exequenda vtebatur, idem fecerit, quod patri fecerat, cum eo facile carere poſſet. Lactantius etiam minime dubitat, hunc Maximianum vocare & patrem & ſocerum Conſtantini. Ecce verba eius de capto Maximiano, qui Conſtantinum tollere inſtituerat: *Attrahitur*, inquit, *ad Imperatorem rebellis Imperator, pater impius, ſocer perfidus.*

Quamquam vero hæc, quæ hactenus retuli, ad notas in Conſtantini numo FIL. AVGG. explicandas inſeruire poſſent; non illa tamen valent ſimilem inſcriptionem in numo Maximini illuſtrare. Licet enim veriſſimum ſit, Principem hunc a Galerio Maximiano in filium fuiſſe ſuſceptum, quod e numis tamen haud probari poteſt; pater Maximini minime fuit ab Auguſto quodam adoptatus, neque maiores ipſius Imperatoris dignitatem geſſerunt, cum de illis ne quidem conſtet, quod Romani ciues vmquam fuerint; adeo obſcura eſt & ſemi-
p. 57. barbara eius familia, vnde & Lactantius Maximianum vocat *adoleſcentem ſemi-barbarum.* Si autem contendas, eum duxiſſe filiam Conſtantii Imperatoris, hæc mera eſt diuinatio, ſiquidem neque inſcriptiones, neque numi aut Hiſtoriarum monumenta quicquam de eo referunt, ſed potius contrarium perſuadent. Si enim Maximinus ſororem Conſtantini in matrimonio habuiſſet, numquid Licinio in bello contra Maximinum tuliſſet opem? Numquid Licinius affinis Conſtantini tantam crudelitatem in deuictum Maximinum exercere, & omni coniunctionis ratione

tione posthabita illum vna cum vxore & liberis interficere potuisset? Numquid etiam Lactantius, qui omnia illa refert, & de Constantia, quoniam soror Constantini erat, tot & tanta commemorat, numquam hanc affinitatem notasset?

Eruditus quidam primi ordinis sibi persuasit, Maximinum non modo filium fuisse adoptiuum Augusti; sed quoque filiam Imperatoris Constantis duxisse, atque idcirco in numis postea vocatum *filium Augustorum*, quoniam genero semper nomen filii tribuitur. Vt in hac sententia acquiescere velimus, verum quidem est, quod vsus Gallis permisit generum venire nomine priuigni filiique. Sed vsus ille an idem apud Romanos quoque obtinuit? hoc dilucidius probari debet, cum nusquam vsurpatum legatur. Sane in inscriptionibus & historiarum monumentis gener illum significat, qui filiam duxit, neutiquam vero filius pro genero reperitur. Quod enim Saulus in Sacra Scriptura Dauidem compellat *fili mi*; ab amore potius quam a coniunctione sanguinis hæc proficiscitur appellatio. Saulus enim pronum suum & gratum in Dauidem animum, minime vero affinitatem hoc verbo exprimit; æque ac nos in signum amoris iuuenem affamur filii nomine, vt Salomon etiam Ecclesiastes, & ipsemet JESVS CHRISTVS sexcenties fecerunt, cum docebant homines, aut faustissima quæque illis apprecabantur (*a*). p. 58.

Vlterius addo: si vel maxime oratores atque historici filium pro genero forsan aliquando adhibuissent; ex his minime fas esset colligere, quod vocabulum filii in numis quoque idem significet. Quam ob caussam quæso? Quoniam Oratores non minus atque Poëtæ licentiam sibi in verbis suis concedunt. Neque historici semper adeo sunt superstitiosi, cum primis re illud non exigente: nam narrationis, qua vtuntur, amplitudo, & variæ, quæ ab iis referuntur, circumstantiæ facile supplere possunt, si quid forte desit exacto delectui vocabulorum. Sed numi exquisitis, accuratis & propriis vtuntur. Instrumentum enim sunt publicum, paucis verbis omnes edocens. Auctoritate Magistratuum post maturam deliberationem cuduntur, itaque omnia in iis debent esse diligenter expensa, perspicua atque clarissima, nihilque obscuri

Nn aut

(*a*) *Confide fili remittuntur*. Matth. IX. 2.

aut dubii continere; perinde fere, vt leges ac Senatus Conſulta. Quæ vero obſcuritas eſſet in numis, ſi filius iam pro genero, iam pro filio acciperetur? Ecquis Appollo verum ex iis ſenſum diuinando exſculperet? In lingua quacunque neque in Poëta neque in Oratore verba ſubobſcura ferre poſſumus. Quam vero incongruens & audax, filii vocabulo duas admodum diuerſas ſignificationes in numo tribuere, vt filium denotet reſpectu Maximiani, generum vero reſpectu Conſtantii? Quod eo minus amplectendum cenſeo, quoniam nullo modo, vt ſupra notaui, eſt veriſimile, Maximinum vmquam filiam Conſtantii duxiſſe. Vt probe itaque notas FIL. AVGG. intelligamus, recurrendum nobis eſt ad hiſtoriæ caput, in numis pridem notatum, ſed vltra decem fortaſſe ſæcula
p. 59. ignotum, donec Baluzius paucis abhinc annis illud detexit, edito inſigni Lactantii libro *de mortibus perſecutorum.* In huius enim capite 32. præſtantiſſimus auctor refert, quod cum Galerius Maximianus Licinium ſibi Auguſto Auguſtum ſocium delegiſſet, titulumque Cæſaris Maximino tantum & Conſtantino conceſſiſſet, Maximinus, qui ante Licinium iam Cæſar fuerat, indignatus ſe haud euectum ad Auguſti dignitatem tertium duntaxat locum in Imperio obtinuiſſe, conqueſtus ſit de eo, atque palam minatus, quod bellum excitaturus aſſet, precibus & mandatis Galerii contemtis: vnde Imperator ille *victus contumacia* Maximini, *tollit Cæſarum nomen, & ſe Liciniumqne Auguſtos appellat: Maximinum & Conſtantinum filios Auguſtorum.* Quis non ſtatim videt, quod ex hac lege illico percuſſi ſint numi inſcripti FIL. AVGG. Hos autem Galerius ſignari iuſſit. Omnes enim notam SIS. hoc eſt Siſcii, nomen opidi Pannoniæ ſubſcriptum habent, quæ neque Conſtantini, neque Maximini ditionis erat, ſed ſoli Galerio ſubiecta. Hinc etiam eſt, quod in auerſa horum numorum facie GENIO AVGVSTI legitur, quo Imperatorem ob excogitatam ſuam hoſce Principes conciliandi rationem adulari voluerunt. Hanc itaque vt extollerent tamquam fructum ſummæ prudentiæ, a diuino huius Auguſti ingenio profectæ, in auerſa numi facie genium ipſius ſignarunt. Maiorem vero fidem ſententiæ præſenti conciliat, quod, licet Principes non pauci fuere iſta tempeſtate ad Imperium deſtinati, nemini tamen niſi Maximino & Conſtantino hunc titulum
p. 60. tribuerint, quodque rariſſime in horum quoque numis reperiatur; ſiquidem

dem ordo ille dignitatis, vti subiungit Lactantius, haud diu substitit. Constantinus enim Augusti Maiestatem cum filia Maximiani concessam tuebatur; & Maximinus paulo post Galerio per litteras nuntiauit, *in campo Martio proxime celebrato*, hoc est, nouissima copiarum lustratione Augustum se ab exercitu nuncupatum. Itaque Galerius Imperator *maestus ac dolens* sibi non umplius obtemperari, *vniuersos quatuor Imperatores iubet nominari.* Solus Lactantius hoc nobis seruauit caput historiae, quod ex ore ipsius Constantini forsan hausit, alii vero historici vel ignorarunt, vel a narratione sua alienum aut reticendum iudicarunt. Singularis porro Lactantii cum numis hac in parte conuenientia admiratione dignissima est. Videntur enim numi vel cusi ad conseruandam verbo huius rei, quam narrat Lactantius, notitiam, vel Lactantius illam commemorat, hosce numos vt explicaret. Vtrique certe vnum idemque confirmant, & mutuo sibi dant auctoritatem. Et cum nulla in antiquitate reperiantur monumenta, quibus minus quam numis repugnari potest, neque vllus sit sani iudicii homo, qui Lactantium auctorem esse libri *de mortibus persecutorum* neget; numquid affirmare liceat, consensum hunc inter numos atque Lactantium in hoc historiae capite pro certissimo argumento esse habendum?

Vtcunque vero haec se habeant, saltim difficultates, quae primo intuitu in numo Maximini sese offerebant, ita sunt disiectae. Ex iam allatis enim illas soluere tam facile est, vt prolixius hoc a me ostendi non sit necesse.

Idem numus ad aliam in verbis Lactantii difficultatem tollendam inseruire nobis potest. Codex Baluzii manu exaratus haud dubie legit: *Se Liciniumque Augustos appellat, Maxentium & Constantinum filios Augustorum.* Hac enim ratione verba reperimus typis exscripta, sed praesens numus semper mihi persuasit, errorem hic subesse librarii, qui Maxentium pro Maximino posuit. Equidem existimo, eruditissimos post Baluzium commentatores eiusdem fuisse futuros sententiae, si conformitatem huius numismatis cum relatione Lactantii paulisper considerassent. Sane circa initium mediumque capitis XXXII. in quo haec ipsius verba exstant, semper de Maximino, neutiquam vero de Maxentio auctor loquitur. Narrat ibi querelas & contumaciam attoniti p. 61.

 Maxi-

Maximini, cum Licinius esset eo prætermisso Augustus declaratus, quam componere Imperator studuit, creatis duobus Augustorum filiis. Quomodo fieri potuit, vt hic ipse non esset inter duos illos filios Augustorum, sed pristinæ conditioni relinqueretur? Ne verbum quidem de Maxentio, cui bellum inferebat Galerius, per totum caput dicitur. Neque a quoquam veterum edocemur, Maxentium vmquam fuisse *filium Augustorum* appellatum. Interim hæc dignitas non difficilius ei quam Maximino atque Constantino in numis tribui potuit. Et cum Galerius, qui Siscii numos cum hocce titulo superstites cudi curauit, vt satisfaceret hisce Principibus, suamque auctoritatem testatam faceret, haud dubie nonnullos etiam in Maxentium eodem tempore, quo in priores signari iussisset, si titulus iste ei esset concessus. Quæ omnia mihi persuadent, quod hoc loco pro *Maxentio* debeat *Maximinus* reponi. Ita mutuam sibi operam præstant Lactantius & numi. Nam sicut ille oportune adhibetur ad numum Maximini intelligendum: sic numus vicissim facit ad eluendam mendam, quæ locum Lactantii insederat.



XXV.

AVREVS
CONSTANTINI AVGVSTI
NVMVS

DE

VRBE, DEVICTO

AB EXERCITV GALLICANO MAXENTIO,

LIBERATA EXPLICATVS.

Prodiit primum

ROMÆ, AN. MDCCIII. in 8.

EMINEN-

EMINENTISS. AC REVERENDISS. p. 3.

PRINCIPI
TVSSANO
DE JANSON FORBIN
S. R. E.
CARDINALI AMPLISSIMO.

Michael Angelus de la Chausse Fel.

VICTOR CONSTANTINVS, GENTIVMQVE BARBARARVM DEBELLATOR in antiquis numis inscribitur: VRBIS LIBERATOR dicitur in veteribus monumentis: GLORIA EXERCITVS GALLICANI, cuius ope & victor euasit, & gentes barbaras debellauit, ipsamque Vrbem à Maxentio liberatam in pristinam libertatem restituit, prædicatur in aureo nostri musei numismate, in hac dissertatione explicato. Tuo igitur nomini debuit illa consecrari, EMINENTISSIME PRINCEPS, Tibi inquam, qui Gallicanæ nationis in Vrbe & decus es, & præsidium. Inter tot lætas Populi Romani acclamationes, gloriosissimo, ac piissimo Principi ob extinctam tyrannidem factas, faustosque applausus, de quibus obiter tantum hic agimus, vota mea, quæ publica vota sunt, sini me in eadem æterna Vrbe pro tua incolumitate rependere, eaque repensa benigne comprobando, obsequii mei, ac debiti partes in hoc, exiguo licet ac tenui, munere pro solita singulari tua humanitate suscipe. p. 4.

PRÆCLARA Constantini Aug. & inclytæ nationis Gallicanæ facta illustrat aureus hic nostri musei numus à Treuirensibus percussus. p. 5.
Exhibet in antica parte caput Constantini laureatum cum epigraphe: T.V. n. 4.

CONSTANTINVS P. F. AVG.

Constantinus Pius Felix Augustus. In auersa autem ipsummet Imperatorem Equestrem, cum lemmate in ambitu: p. 6.

GLORIA EXERCITVS GALL.

Gloria Exercitus Gallicani. Subtus vero PTR. *Percussa TReueris*, id est, *moneta.*

Constantinus Constantii Chlori ex Fl. Helena muliere sanctissima filius, adolescens optimis imbutus moribus, sub Galerio Maximiano primum contra Sarmatas militauit, partaque ex illis victoria, Duceq; capto, (*a*) Galerii insidias veritus ad patrem confugit: quo mortuo, anno videlicet abdicationem Diocletiani, & Maximiani Herculei subse-
p. 7. quente (*b*) V. C. MLIX. Æræ Christianæ CCCVI. (*c*) ætatis suæ XXXIV. paternum Imperium in Galliis, Hispanis, & Cottiis Alpibus sibi testamento relictum accepit. Cæsar primum in Britannia (*d*) dictus, & à Galerio forsan inuite declaratus, Augusti titulum sibi à patre, (*e*) & militibus delatum distulit vsque ad annum proximum, quo ipse primum COS. cum Maximiano Herculeo, qui purpuram resumserat, non tamen, vt quibusdam videtur, Seuero, aut Maximino suffectus, Faustam Herculei filiam in vxorem duxit. De his nuptiis, tituloque Augusti Constantino à socero dato mentio habetur in panegyrico ipsismet
p. 8. (*f*) in celebratione nuptiarum Treueris dicto. *Quid enim aut tu carius darr, aut tu carius accipere potuisti, cum hac affinitate vestra & tibi, Maximiane, per generum iuuenta renouata sit; & tibi, Constantine, per socerum nomen Imperatoris accreuerit?* (& deinde) *Gesseris enim multa fortiter licet, multa sapienter, cum per maximos tribunatus stipendia prima conficeres; sentias, necesse est, tantæ auspicia fortunæ, Imperator adolescens. Quanquam quid ego in te ætatis tuæ potius quam grauitatis nomen vsurpo? cuius tanta maturitas est, vt cum tibi Pater Imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare malueris; vt idem te, qui illum, declararet Augustum. Siquidem ipsum Imperium hoc fore pulchri-*
p. 8. *us iudicabas, si id non hereditarium ex successione creuisses, sed virtutibus tuis debitum à summo Imperatore meruisses.*

C. V. Comes Franciscus Mediobarbus (*g*) hunc numum profert,

(*a*) *Pompon. Lætus lib.2.* (*b*) *Lactant. de mort. persec. c. 19.* (*c*) *Idat. in fast.* (*d*) *Eumen. in paneg.* (*e*) *Lactant. de persec. c. 24.* (*f*) *Paneg. 6. n. 2.* (*g*) *Imp. Rom. num.*

fert, prædictoq; anno cuſum exiſtimat: ſed quo argumento nitatur, minime apparet. Fortaſſe quia Conſtantinus Treueris tunc commorabatur, vbi in celebratione nuptiarum Auguſtus dictus fuerat: ſed ad quid inſcriptio GLORIA EXERCITVS GALL. cum hoc anno nil egerit memoratu dignum. Expeditionem contra Francos anno ſuperiori poſt mortem patris ſuſceperat, eorumque Regibus Aſcarico, & Regaiſo ſuperatis, & captis totam Germaniam ad dandos obſides compellauerat: illo autem anno cuſus numus minime videtur, ſiquidem Conſtantinus Cæſaris dignitate contentus Auguſti titulum nondum acceperat. Melius Carolus Du Cange, (*h*) qui numum Treueris percuſſum ſcribit, cum Conſtantinus poſt deuictum Maxentium, aſſertamque Romanam libertatem in Gallias reuerſus anno CCCXIII. inibi aliquandiu conſtitit, & inde in inferiorem Germaniam ad exortos Francorum tumultus pacandos tranſiit. p. 10.

At quia Conſtantinus ſuperato Maxentio MAXIMVS Romæ dictus eſt, & in noſtro numo AVG. tantum inſcribitur, Mediobarbi poſſet opinio prævalere: obſeruandum eſt, quod licet ille, poſt deuictum apud Maſſiliam anno CCCX. Maximianum Herculeum, MAXIMVS in Galliis appellatus fuerit, (*i*) in infinitis tamen eomet tempore, annisque inſequentibus, atque etiam poſt victoriam de Maxentio reportatam percuſſis numis AVG. tantum inſcribitur relicto MAX. titulo, vt legitur apud eundem Mediobarbum in numis ab eo relatis cum epig. in antica parte: IMP. CONSTANTINVS AVG. CONSTANTINVS P. F. AVG. In auerſa autem: GAVDIVM ROMANORVM. GLORIA EXERCITVS. RESTITVTORI LIBERTATIS. VIRTVS EXERCITVS GALL. &c. p. 11.

Anno CCCVIII. III. Id. Nouembris Licinius Carnunti in Pannonia AVG. à Galerio (*k*) declaratur præſentibus, ac conſentientibus Diocletiano, & Maximiano Herculeo: qua promotione à Maximino in Oriente audita, ipſe AVG. titulum aſſumit. Galerius deinde, etſi inuite, Conſtantinum & Maximinum AVGG. dicit; vnde quatuor Imperatores eodem tempore extitere, (*l*) Galerius, Conſtantinus, Licinius p. 12.

(*h*) *Differt. de infer. æui num. n. 53.* (*i*) *Paneg. 7. n. 13.* (*k*) *Idatius.* (*l*) *Lactant. de perſec. c. 32.*

nius, & Maximinus. Is Licinio infenſus primum AVG. mortuo Galerio ſe inſcripſit, qui honos Conſtantino poſt deuictum Maxentium à Senatu virtutis gratia delatus eſt (*m*).

Varios trium inſequentium annorum euentus, quoniam ad nu-
p. 13. mi noſtri dilucidationem minime faciunt, hic referre noſtri non eſt propoſiti. Defunctis itaque Herculeo, & Galerio, dum Maximinus in Oriente imperat, Conſtantinus II. COS. cum Licinio etiam II. COS. collega, anno Chriſti CCCXII. Imperii ſui VI. ad liberandam Vrbem, totamque Italiam à ſæuiſſima Maxentii tyrannide Alpes tranſgreſſurus, in itinere ſanctum Crucis ſignum media die in cœlo vidit, quod totus etiam conſpexit exercitus, referente Euſebio (*n*). Erat autem illud radiis coruſcans, luciſque ſplendore fulgens, aureis hiſce literis ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ belli victoriam ſignificans. De loco, vbi hoc cæleſte ſi-
p. 14. gnum apparuit, non conſentiunt Scriptores: quidam in Galliis (*o*) viſum affirmant, antequam Conſtantinus Alpes tranſgrederetur: alii, quando prælium aduerſus Maxentium commiſit (*p*). Conueniunt autem fere omnes, hoc cæleſte portentum ad Conſtantini conuerſionem multum pro fuiſſe: ſiquidem ab illo tempore ſalutare Crucis ſignum vexillis impoſuit, Idolorum templa euertit, multaque edicta catholicæ religioni fauorabilia promulgauit. Illum etſi à primis Imperii menſibus Chriſtianis fauiſſe, Deique cultum reſtituiſſe affirmet Lactantius (*q*). *Suſcepto Imperio Conſtantinus Auguſtus nihil egit, priuſquam Chriſtianos cul-*
p. 15. *tui, ac Deo ſuo reddere: hæc fuit prima eius ſanctio ſanctæ religionis reſtitutæ.* In dubio tamen eſt, an ipſe catholicam religionem ante prædictam Crucis viſionem fuerit profeſſus, cum in panegyricis falſorum Numinum mentionem fieri, Jouemque, & Apollinem pro ſua æternitate precari, ac numos cum epigraphe MARTI CONSERVATORI. MARTI PROPVGNATORI. JOVI CONSERVATORI. SOLI INVICTO COMITI. HERCVLI VICTORI. &c. etiam poſt deuictum Maxentium, Vrbemque liberatam cudi paſſus fuerit. Sed hæc ad Oratorum Gentilium, Populorumque falſæ religioni addictorum pertinaciam

(*m*) *Lactant. ibid. c. 44. Euſeb. lib. 9. c. 9.* (*n*) *Lib. 1. de vita Conſtant.* (*o*) *Sozomen. l. 1. c. 5.* (*p*) *Lactant. de perſ. c. 44.* (*q*) *Id. ibid. c. 24.* (*r*) *De fal. relig. lib. 1.*

ciam tribui possunt, si fides Lactantio (r) Constantinum alloquenti. *Constantine Imperator Maxime, qui primus Romanorum Principum repudiatis erroribus Maiestatem Dei singularis, & veri & cognouisti, & honorasti.* Philippum tamen ante illum Christianum fuisse testantur Eusebius (s) & Orosius (t). p. 16.

Constantinus Alpes transgressus Segusio, Taurinoque captis Mediolanum petiit, ciuitatemque exultantibus populis ingressus, aliquot dies in ea commoratus est. Eadem sane, & quidem mira sub CONSTANTINO AVG. & LVDOVICO MAGNO exercitus Gallicani disciplina: eadem in debellandis hostibus fortitudo, & magnanimitas: eadem in parcendo clementia? eadem in victoriis moderatio. *Qui fuit ille dies*, inquit anonymus panegyrici ad Constantinum author, (u) *quo Mediolanum ingressus? Quæ gratulatio Principum ciuitatis? Qui plausus populi? Quæ securitas intuentium te Matrum, te Virginum? Quam duplici fructu fruebantur, cum pulcherrimi Imperatoris formam viderent, & licentiam non timerent? Ostentare se omnes, & tripudiare sine vllo de reliquiis belli metu, & auspicium victoriæ tuæ pro consummatione metiebantur.* p. 17.

Brixiam deinde, Veronam, quæ maximo hostium tenebatur exercitu, victis Maxentii Ducibus, occisoque Ruricio cepit: Aquileiam, & Mutinam in suam potestatem redegit: ac tandem profligato ad saxa rubra septimo ab Vrbe milliari Tyranni exercitu, ipsoque V. Kal. Novembr. (x) ea die, qua sextum Imperii sui annum complebat, (y) ac quinquennalia terminabantur, ad pontem Miluium in Tiberim submerso victor, & triumphans Constantinus Vrbem cum magno applausu, ac faustis Senatus, Populique Romani acclamationibus postera die ingressus est. *Nullus post Vrbem conditam*, ait Nazarius, (z) *dies Ramano illuxit Imperio, cuius tam effusa, tamque insignis gratulatio aut fuerit, aut esse debuerit: nulli tam læti triumphi, quos annalium vetustas consecratos in literis habet. Non agebantur quidem ante currum vincti Duces; sed incedebat tandem soluta Nobilitas. Non coniecti in carcerem Barbari; sed* p. 18. p. 19.

 educti

(r) *De fal. relig. lib. 1.* (s) *Chronic.* (t) *Lib. 7. c. 13. & 18.* (u) *Paneg. 9. n. 7.* (x) In Kalend. vet. apud Bucher. *V. Kal. Nouembr. EVICTIO TYRANNI. IV. Kal. INGRESSVS DIVI.* (y) *Lactant. de persec. c. 44.* (z] *Paneg. 10. n. 30. & seqq.*

educti è carcere Consulares. Non captiui alienigenæ introitum illum honestauerunt; sed Roma iam libera: nihil ex hostico accepit; sed se ipsam recuperauit; nec præda auctior facta est, sed esse præda desinit: & quo nihil adiici ad gloriæ magnitudinem maius potest, Imperium recepit, quæ seruitium sustinebat. Duci sane omnibus videbantur subacta vitiorum agmina, quæ Vrbem grauiter obsederant: scelus domitum, victa perfidia, diffidens sibi audacia, & importunitas catenata; furor vinctus, & cruenta crudelitas inani terrore frendebant: superbia, atque arrogantia debellatæ, luxuries coërcita, & libido constricta nexu ferreo tenebantur. (Et mox) *Quis triumphus illustrior? Quæ species pulchrior? Quæ pompa felicior?*

p. 20.

Plura vide apud Eusebium, (*a*) & incertum panegyrici authorem (*b*) Constantinum Treueros reuersum alloquentem, exultantemque Romam in illius triumpho describentem.

Æternam Constantini victoriæ, Maxentiique cladis memoriam conseruat superbus triumphalis arcus Romæ à Senatu, Populoque Romano inter montes Palatinum, & Cœlium erectus LIBERATORI VRBIS. FVNDATORI QVIETIS dicatus, vbi inter cætera mira arte sculpta ex destructis Augusti, & Traiani, vt quibusdam videtur, (*c*) ac M. Aurelii, teste Baronio, (*d*) aliisque insignioribus Vrbis monumentis illuc translata, quatuor Genii seu pueri alati insculpti sunt, anni partes quatuor cum symbolis referentes, & felicia tempora ob extinctam Maxentii tyrannidem designantes. Ad hanc fortunatam ætatem referendus videtur pariter aureus huius Imperatoris numus (*e*) cum quatuor puerulis, ac solitis symbolis, & epigraphe FELICIA TEMPORA.

p. 21.

Quonam vero tempore absolutus fuerit arcus, ad numum nostrum parum attinet: siquidem hic Treueris Constantino in Gallias reuerso percussus fuit anno Vrbis liberationem subsequente: ille autem eodem anno, quo Decennalia Imperii Constantini soluta, & Vicennalia suscepta, vt ex ipsiusmet arcus inscriptione: VOTIS X. VOTIS XX. SIC X. SIC XX.

p. 22.

Baronius (*f*) hanc votorum nuncupationem anno CCCXV. factam, dictosque à Constantino Cæsares Crispum, & Constantinum Juniorem refert ex authoritate Nazarii: (*g*) at illa ex eiusdem oratione pane-

(*a*) *In vita Constant.* (*b*) *Paneg. 9. n. 19.* (*c*) *Donat. l. 3. c. 6. Marlian. l. 4. c. 6.* (*d*) *An. 312. 66.* (*e*) *Mediobarb. in Constantin.* (*f*) *an. 315. 1.* (*g*) *Paneg. 10.*

panegyrica, quam citat, pronunciata Kal. Martii A. CCCXXI. die natali Cæsarum, quo vota eorumdem Quinquennalia soluebantur, ac suscipiebantur Decennalia, incidit in A. CCCXVI. vt notat alter Purpuratus [h] non minus virtute, ac doctrina, quam dignitate Eminentissimus, peragente Constantino decimum Imperii sui annum: vota enim de nouo suscepta arguere videntur priora iam soluta, seu de proximo soluenda: sicuti testantur eiusdem Constantini Vicennalia Romæ an. CCCXXVI. exacto nempe altero Deceñio celebrata; quam sententiá tuetur eruditissimus Pagius. [i] Scribit Eusebius [k] inter Decennalium Constantini Augusti solennia dictos Cæsares Crispum, & Constantinum Juniorem; eodemque anno Solis defectum euenisse docet Aurelius Victor, [l] quem die VI. Julii A. CCCXVI. accidisse narrat Caluisius [m]. Idatius vero [n] trium Cæsarum, Crispi nempe, Constantini, ac Licinii Junioris promotionem die prima Martii A. CCCXVII. Gallicano & Basso Coss. agente Constantino annum Imperii sui XI. factam asserit, (cui opinioni refragantur aliqui Scriptores, [o] huic promotioni annum CCCXVI. assignantes:) præfatum vero solis defectum ad diem XXVI. Julii A. CCCXVII. refert Scaliger, [p] vt Chronologię suę Constantini Aug. Decennalia, & Vicennalia A. CCCXVII. & CCCXXVII. vt asserit, celebrata accommodet, cum antea Imperii eiusdem Constantini initia A. CCCVII. male statuerit, sed diutius in istis.

Pacata Roma, pristina, Senatui authoritate restituta, rebusque omnibus in Vrbe compositis, inde Constantinus labente anno CCCXII. seu ineunte CCCXIII. III. cos. decessit. Mediolanum profectus Constantiam [q] Sororem suam Licinio etiam III. cos. illuc accito [r] in vxorem dedit, hisque nuptiis splendidissima pompa celebratis in Gallias reuersus Treueris aliquamdiu constitit, & ad Rheni ripam Francos transitum molientes compressurus, Germaniamque subinde vastaturus concessit. Ad hanc expeditionem in Francos, & Alamannos referenda videntur duo Constantini numismata aurea, [s] in quorum auersa parte mulier

p. 23.
p. 24.
p. 25.
p. 26.

[h] *Card. Noris de num. Licin. p. 75.* [i] *P. 165. & seqq.* [k] *Tric. c. 3. p. 608.* [l] *P. 526.* [m] *p. 389.* [n] *In fast.* [o] *Chronic. Alex. & S. Prosp.* [p] *L. 5. de emend. temp. p. 476.* [q] *Lactant. de mort. persec. c. 47. Zosim. lib. 2. Opt. lib. 1.* [r] *Vict. epit. p. 542.* [s] *Du Cang. Hist. Byzant. tab. 3.*

mulier ſub trophæo plorans cum epig. in ambitu GAVDIVM ROMANORVM. infra in vno FRANCIA. in altero ALAMANNIA: nec non aliud pariter aureum (*t*) cum eadem epig. & trophæo, cui aſſidet vtrinque captiuus, infra FRAN. & ALAM. De Francis à Conſtantino ſuperatis, ac profligatis paſſim apud Scriptores mentio: eam illi Germaniæ partem incolebant, quæ tempore D. Hieronymi (*u*) Francia vocitabatur, & quæ appellatio Galliæ noſtræ indita eſt, cum ii Populi regnante Meroueo Rhenum tranſacti Prouincias Gallicas inſederunt, quo quidem nomine
p. 27. primus videtur vſus Gregorius Magnus, de florentiſſimo Regno mirabilia locutus (*x*). Romanos in expeditione Italiæ ſuperatos, deuictoſque ad Rhenum Francos lege apud incertum panegyrici authorem Treveris Conſtantino dicti. (*y*) *Facile eſt vincere timidos, & imbelles, quales amœna Græcia, & deliciæ Orientis educunt &c. Romanum vero militem, quem qualemque ordinat diſciplina, & ſacramenti religio confirmat; aut trucem Francum ferina ſola carne diſtentum, qui vitam pro victus ſui vtilitate contemnat, quantæ molis ſit ſuperare, vel capere? Quod tu, Imperator,*
p. 28. *& nuper in Italia, & in ipſo conſpectu barbariæ* (*z*) *paulo ante feciſti.* Quonam autem exercitu? Gallicano ſane, cuius GLORIA in numo noſtro prædicatur.

Numiſma eiuſdem Imperatoris aureum cum Marte gradiente, dextra haſtam, ſiniſtra trophæum, ad cuius pedes hinc, & inde duo captiui ſedentes, & epig. VIRTVS EXERCITVS GALL. Conſtantino ex Italia poſt Romanam expeditionem in Gallias reuerſo tribuit Co. Mediobarbus, annoque CCCXIII. forſan poſt fuſos Francos, [*] Germaniamque vaſtatam percuſſum ſcribit. At, pace Viri eruditiſſimi, virtutem
p. 29. quidni gloria comitetur, plane non video: ſiquidem altera alterius præmium eſt. VIRTVS EXERCITVS GALL. dicitur Conſtantinus, eiuſdem exercitus GLORIA videtur etiam, eodemque tempore prædicandus.

Neque vero omittendum, quod vtriuſque numi antica pars eadem

(*t*) *Mediob. in Conſt.* (*u*) *In vita S. Hilarion.* (*x*) L. 5. ep. 6. ad Childebertum Francorum Regem. *Quanto cæteros homines regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna, regni veſtri profecto culmen excellit.* (*y*) *Paneg. 9. n. 24.* (*z*) *Paneg. 9. n. 24.* [*] *In Germaniæ finibus.*

dem epigraphe insignitur, CONSTANTINVS P. F. AVG. hic Treueris in Gallia Belgica percussus, ille autem Siscia oppido Pannoniæ, quæ in superiorem, & inferiorem, Styriam, & Austriam nempe, ac Croatiam hodie diuiditur. Siscia vulgo Sissech ad Sauum amnem in Croatia, de qua Plinius (*a*). *Colapis in Sauum influens iuxta Sisciam*; fuit vna ex Vrbibus sex, quibus ius cudendæ monetæ inferiore æuo concessum, p. 30. inter quas pimum locum obtinuit: sequuntur aliæ per ordinem in notitia Imperii [*b*] relatæ, Aquileia, Roma, Lugdunum, Arelate, & Treueri; quibus Constantinopolis, noua Roma à fundatore dicta, posterioribusque temporibus aliæ quædam ciuitates additæ reperiuntur.

Cohortium Gallorum meminerunt Gruterus [*c*] & Reinesius, [*d*] exercituum autem Galliæ Carolus Du Cange [*e*] inscriptionem occasione huius numi referens in Ecclesia Sanctorum Achii, & Acheoli Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium ad Ambianum detectam, & ob characteres rudiori arte sculptos huic æuo tribuendam. p. 31.

PRO SALVTE ET
VICTORIA EXX G — *Exercituum*
APOLLINI ET VER — *Galliæ*
JVGODVMNO
TRIBVNALIA DVA
SETVBOGIV SESVGGI
F. D. S. D.

Hæ sunt, EMINENTISSIME PRINCEPS, coniecturæ satis probabiles, quæ tamen certa argumenta dici nequeunt; cum de rebus adeo obscuris, lucubrationibus vtcumque inuestigatis sententiam ferre tutum non sit. Opinionem meam, tantum abest, vt pertinaciter tueri velim, quin potius illam publicæ subiicio censuræ: sat mihi erit auitæ famæ, patriorumque exercituum gloriæ tentasse consulere; ac perenni p. 32. tuo nomini, tutelari veluti numini deuotum, deuinctumque tot beneficiis animum meum aperte, palamque consecrasse.

[*a*] *Lib. 3. c. 25.* [*b*] *Sect. 42.* [*c*] *P. 550. 5.* [*d*] *128. VI.* [*e*] *De infer. æui num. n. 54.*

XXVI.

ANDREÆ ERASMI à SEIDEL
NOBILIS MARCHICI

DE NVMO VETRANIONIS
AVREO SINGVLARI

WRATISLAVIÆ REPERTO

EPISTOLA
AD AMICVM.

quæ prodiit

WRATISLAVIÆ,
Ex Hæredum Baumannianorum Typographia 1687. in 4.

L. BEGERO, S.
A. E. S. S.

QVorſum & quo conſilio nuper Berolino diſceſſerim, Ampliſſ. Domine Conſiliarie, ſicut id Tibi cumprimis conſtat, ita Tu potiſſimum ille es, quem eligam ex Amicis in arbitrum inſtituti mei, vt ſi quid vſpiam ἐν παρόδῳ iucundi & proficui acciderit, Bonis quidem omnibus, Tibi autẽ præ omnibus occaſio præbeatur συγχαίρειν. Nam pro cumulo Humanitatis Tuæ, Tuo Tibi iure id à me vendicas, & pro ratione muneris requiris. Ex quo enim beneplacito Sereniſſimi admotus es curæ Gazophylacii Numiſmatum antiquorum, præter tot egregias Virtutes, quibus iam Orbi innoteſcis, illud ſtudium ſingulare, illumque ardorem in Te animaduerti, quo ſine languent noſtræ hæ deliciæ, imo penitus euaneſcunt. Gaudium meum ſæpe extitit dolor Tuus ingens, quotiens inter diſputandum de numis Brandenburgicis queſtus

es,

es, tantæ molis Theſauro, & nec qualitate ſolum ſed & ipſo pondere ſpectabili, deeſſe nihilominus quæ neceſſaria videntur ad conſtituendos triplicis Metalli ordines abſolutiſſimos. Sed Tuæ quidem laudi cedit, vti calentiſſimus talium es, quod earum rerum, quæ ſub Tutela Tua ſunt, defectum, primo cognoſcis, poſtea ſupplere ſtudes: Potentiſſimo vero Principi noſtro id præprimis honorificentiſſimum eſt, quod Tuis conſiliis illectus, non poſitum eſſe infra Principalem dignitatem arbitratur, hac in parte ſatagere, & augmentum Antiquariæ ſupellectilis, non a fortuna ſolum, ſed a virtute pariter expectare. Proinde dubium non eſt, quin euentus feliciſſimus, qui nec in maximis vnquam conatus Sereniſſimi fefellit, in leuioribus iſtis ita ſe facilem præbiturus ſit, vt gloriæ non minus atque deſiderio ſatisfiat. Tanto ſane Diuinitatis inſtinctui velificabitur quicquid vſpiam ſpirat in terris Eruditorum, & ad accendendum æſtuans ſtudium collaturum eſt materiam abundantem. Quod ſi ipſe quoque operarum aſſiduitate adiuuare potero ſurgentes ad ſuprema conatus, id elaborabo, vt me deuotum numini ſuo perſentiſcat Aquila oſtro rutilans: quæ ſub alarum ſuarum clypeo profectam ex Auſtriacorum terris Seideliorum domum, longa annorum ſerie fouit beneficiis & honoribus auxit, ita, vt quod aliis conſilium nobis natura iniungat, hanc Dominam malle, quam aliam deſiderare, quamdiu feſſa nondum continuis largitionibus fortuna, efficacioris Gratiæ locum in pectore Principis Indulgentiſſimi haud præcluſerit Familiæ, quæ ſplendore quidem & patrimonio cunctis cedit; at natalium honeſtate, gratitudine, fide, obſequio, nulli. Sed ad illa propero, quæ ad augmentum antiquariæ rei magis faciunt.

Tenet me adhuc Wratislauia, Vir Ampliſſime; Wratislauia illa, quæ iure ſuo, ſicut Athenæ olim, cuilibet obtrectatori, cui viſa non placuit, oggerere poſſet στέλεχον εἶναι. Præter enim maximam ſoli aquarumque libertatem, præter illum linguæ, ædium, veſtimentorumque nitorem, alia ſexcenta animaduertentes in hac florentiſſima Vrbe, quæ alliciunt, quæ delectant & detinent, non illos modo qui externis lætantur, ſed & iſtos, qui ſcrutantur altius, & benignitatem morum cum eruditione potiſſimum venerantur. Nam his certe dotibus abundat genius loci, nec vlla facile in Germaniæ Vrbe plures inuenias, qui

huma-

humaniori literaturæ vacant, & ſtudium num ſmatum antiquorum felicius amplectuntur. Verum equidem eſt, multos mero impetu ad iſtas ſæpe delicias non ferri ſed rapi, & quod a iudicio vnius eruditi profectum eſt, trahi ad exemplum etiam ab imperitiſſimis. Sed alia longe ratione res hic loci procedit, vbi non tam imitatione, quam motu & inſtinctu quilibet ſuo agitur ad conquirendas gazas numi veteris, affectu tam proprio, tam familiari, vt mortuo Patre familias non Filiis ſolum, ſed Vxoribus quandoque atque Filiabus cedat cum Gazophylaciis, etiam curioſitatis paternæ atque maritalis hæreditas. Neque metuunt ſibi palmam præripi Matronæ Wratislauienſes ab iſtis Italis aut Gallis, quas ob Antiquitatis ſtudium fama altius collocauit, quam quo ſexus earum videbatur poſſe eniti. Factum enim eſt, vt paucis abhinc diebus, quædam honoris cauſa nominanda Matrona Nobilis prolato Theſauro pretioſiſſimo multorum millium gemmarum atque numiſmatum, mihi inſpiciendum pariter & conſiderandum præbuerit cimelium extra controuerſiam rariſſimum, ita tamen, vt neſciam, an mirer magis ipſius operis & materiæ ſummam præſtantiam, an animum ſane haud muliebrem Mulieris Generoſæ, quæ nuper illud e Suecia nulla ſumptuum habita ratione afferendum curauit. Erat autem gemma διαφανής, rutilans, rubicunda, coloris ἠπαλίζοντος, duriſſima, pro Carbunculo quidem vendita, ſed iis Rubinis ſuppar, quos Itali Balaſſiones vocant, Claudii Cæſaris laureati imaginem a manu artificis præſtantiſſimi, opere ἀναγλύφῳ exactiſſime repræſentans. Habuit illam olim in deliciis, cuius adhuc per vniuerſum Septentrionis orbem fama viuit, Illuſtris Dominus a Palbizki, inter Miniſtros quondam Regum Regnorum Sueciæ, & aureo annulo muniri fecit, quamuis credatur ad reſtituendum integrum natiuumque fulgorem, ſatius fore vt auerſo latere pariter nuda & ſolo circulo aureo comprehenſa, hauriat vtrinque lumen, quod πρόσσω καὶ ὀπίσσω iaculetur. Jam vero quis enarret omnes & ſingulos huius inclytæ Vrbis Ciues, qui vel præterito æuo, vel etiam nunc rem antiquariam publice priuatim auxerunt, augentque. Vix huc delatus eram, cum me in terras curioſorum appuliſſe vel id argumento eſſet, quod perquirenti id genus cimelia, altera ſtatim die ab Aurifabris & Judæis afferrentur XC. fere numiſmata argentea, ſed vulgariſſima & ab Intelligentibus reiecta

& exauctorata. Tum demum me cupido incessit videndi etiam illa, quæ dispersa per singula Musea & νεμματοφυλάκια, digna fuissent habita seponi, & cum accuratiori cura seligi. Est autem in vniuersum ea Wratislauiensium comitas, vt vrbane excipiant desideria suorum hospitum, nec abnuant satisfacere illorum precibus, quotiescunque ciuiliter appellati ad officium aliquod humanitatis inuitantur. Jam publica loca prætereo. At in tot priuatorum ædibus, Bone DEVS, quam pulchra & quam veneranda antiquitatis vestigia delitescunt. Non sum ego illorum similis, qui præconum ac nomenclatorum officio publicis scriptis defunguntur, & longa vocum nominumque serie pro aliis famam & honores, pro se autem lucri vel amicitiarum compendia aucupantur. Id saltem indicasse sufficiat, infinitam me Dominorum Possessorum humanitatem expertum fuisse, quibus si vllo vnquam tempore referre gratiam possum, id elaborabo ne ipsos virtutis suæ pœniteat.

Hæc narranti Tibi, Vir Nobilissime, subit animum meum cogitatio, Te pro illo, quo flagras in talibus, sciendi ardore, fortassis desiderare, vt illa accuratius pandam, quæ præ ceteris sunt augendæ rei numariæ. Et quamuis aliam huius rei longe commodiorem occasionem fere præuideam: vnius tamen rarissimi numi singularis præstantia efficit, vt tempus indicii anticipem, ne fortunæ locus vltra detur, defraudare genium Curiosorum, & obuoluere silentii peplo cimelium maxime considerandum. Quod ipsum vti non ingratum erit nonnullis, ita tuam præprimis solabitur diligentiam, quam adhibes numis aureis, quorum seriem integerrimam auspiciis Principis Indulgentissimi Tibi corradendam proponis. Integerrimam dico, quatenus pro tanto Thesauro non sufficere debere constituisti possidere multos, etiam erarissimis, sed omnium omnino istorum Imperatorum, Cæsarum, Augustarumque, quorum in isto Vultus metallo fulget. Jamque apud Vos se iactant in auro, non Othones solum, Vitellii, Pertinaces, Didii Juliani, Gordiani Africani, Taciti &c: sed etiam Domitillæ, Plotinæ, Matidiæ, Galeriæ Valeriæ, Gallæ Placidiæ, Æliæ Eudoxiæ &c: Drusi item, Diadumeniani, Maximi, Juliani & Maximini Tyranni, Attali, Jouini, Johannes, Petronii Maximi, Glycerii, Basilisci &c: Et quamuis pauci quidem adhuc desiderentur, tamen non dubium est, quin bre-

ui ſint explendæ deficientium lacunæ, & perfectiſſimo ordine cunctorum imagines ſemet inuicem ſint conſecuturæ. Hinc nouæ Tibi rei nuntium fero, vt, qui alias haud vulgaria teris, poſſis etiam in his aliquid præter communem morem ſperare.

Nullus hactenus Antiquariorum in adornanda aureorum ſerie de Vetranionis numo ſollicitus fuit, cum illum vſpiam extare compertum ſit nunquam. Tu ſi de illo impoſterum quæras, fortaſſe non laboraueris incaſſum. Dum enim hic Wratislauiæ præſtantiora cimeliarchia ſcrutor, ecce, fors obtulit admirandæ venuſtatis numum, quem hactenus omnem Eruditorum diligentiam (quod quidem ſciam) effugiſſe, tanto minus miratus ſum, quanto diutius intellexi id ſæpe in aliis accidiſſe. Erat enim aureus Vetranionis, vniuerſo Antiquariorum collegio indictus, incognituſque hactenus, digniſſimus autem qui in lucem protraheretur, & aura demum veſci inciperet. De cuius ſane numiſmatis genuina antiquitate, mihi dubium omnino nullum eſt, nec erit fortaſſis vlli. Sint aſſertionis meæ fundamenta, primo, quæ in his talibus efficaciſſima eſt, Inſpectio ocularis. Quamuis enim de argenteis æreiſue facilius multo pronuntietur quam de aureis, quorum ſæpe fraudes vix exercitatiſſimis patent: habent tamen Curioſi ſectatores artis huius certa nihilominus κριτήρια veritatis, non quidem vulgo Antiquariorum cognita & explanatu apta, ſed ἄῤῥητα, ſeu tale quippiam, quod ineffabile potius quam demonſtrabile dixeris. Locus pariter vbi primum viſus Vetranio noſter, omnem prorſus dubitationis ſcrupulum eximit. Nam ſicut merito ſuſpectæ nobis eſſe debent lucripetarum manus, & quæ penes iſtos mangones numarios, Antiquarios Itali vocant (ſed riſum teneatis amici) proſtant numiſmata roriora: ita nos hærere non ſinit intemeratus Candor Venerandi Domini Poſſeſſoris, nuc fere octogenarii, a quo non fraus modo ſed & cogitatio fraudis aliena. Eſt ille Nobiliſſimus Dominus Albertus Sebitius, iſtius Clariſſimæ Familiæ, quæ diu Argentinæ, atque in terris Sileſiæ floruit, Vir, ob ſingularem in Mathematicis diſciplinis peritiam, & ſcripturæ elegantiam, patriæ ſuæ celeberrimum ornamentum, continuo ἄγαμος, nunc & emeritus. Qui cum diligens ſemper fuerit indagator atque helluo numi rarioris, antiquum tamen illum Romanum non niſi obiter tractauit,

&

& in tanta Numiſmatum recentiorum congerie, vltra X. vel XI. ſolidos Auguſtorum aureos haud reperi, omnes ſine cura & fortuito exceptos, nec vllum arte fictum ſeu παρακεχαραγμένον. Tertio loco firmiſſimum argumentum eſt, vt optime de numiſmate noſtro credamus: quod nuſquam ibi ſuppar numus extet, vnde peti potuiſſet ἔκτυπον. Notæ ſunt enim hac in parte Antiquariorum variæ & pluſquam Alchymiſticæ fraudes, quas adhibent adulterando numo veteri: ſed fere vix vltra progreſſa eſt ipſorum audacia, quam vt falſi numi exemplum, ſemper ab aliquo genuino deſumſerint. Raro noui aliquid ex ingenio prodiderunt impoſtores iſti, quoniam id præprimis venerandum habet Antiquitas, vt luceat proprio lumine, & fulgeat charactere, qui ſit æuo ſuo conſentaneus, & qualis nullo recentiorum artificio vel fingi vel pingi poſſit. Tanto minus contra nos facit, quod de iſto numo ſileant omnes Antiquarii: nonne enim fere quotidie accidit, vt inuicta Curioſorum diligentia noua quadam detegantur atque protrahantur in lucem: multa detecta fuerint, quæ rurſum deſierint comparere? Ita ſpero per nos pandetur aliquando fama ſingularis numi Taciti Imperatoris, quem ab aliquot annis poſſideo, forma vltra ſolitum maiori, parte auerſa totam domum Auguſtam exhibens, ipſum ſcilicet Imperatorem, cum Vxore & tribus Liberis, & Fratre Floriano: item alterius numi vetuſtiſſimi quadrati ex Electro, literis ſiue Punicis ſiue Palmyrenis, quem pro ſingulari ac vnico me poſſidere haud fortaſſis vane iactarem, ſi iactare meum eſſet. Sic a Te nuper oſtenſum mihi Fauſtinæ numiſma æreum primæ formæ, cum ædificio camerato meretur aliquando non ignorari: vti & illud ex argento rariſſimum, Viri Optimi, & his talibus non verſatiſſimi ſolum, ſed & intelligentiſſimi, Domini Eggelingii, Secretarii Reipublicæ Bremenſis, quod cum capite Septimii Seueri Jouem Prætorianorum Victorem, lemmate hectenus vel non obſeruato vel inedito, repræſentat. Nihil loquar de ſingulariſſimo numo meo Conſulari argenteo præſtantiſſimo Familiæ Aufidiæ monumento, quod incomparabilem Patini noſtri, vti olim Fuluii Vrſini diligentiam fugit, & per me quantocyus publico innoteſcet.

Nunc interim noſtrum aureum Vetranionem accuratius excutiamus. Figuram exhibet frons Schediaſmatis huius. Ipſum equidem T. V. n. 5.

ἀρχέτυπον seruo, vt accessio tanti Thesauri fiat, quatenus meretur tam singulare cimelium, vt in illa præclarissima aureorum serie inter elegantissimos in infinitum coruscet. Nam licet illa sit penes me in desiderando verecundia, vt quæ in solatium curiositatis sibi comparauerunt possessores, irreligiosum ducam importunis precibus extorquere: quis enim digesta semel per loculos numismata, gemmas, aliaque id genus Antiquitatis, facile abesse sibi patiatur? tamen Humanissimus Senex vltro cessit iure suo, inque vicem accepto alio numo aureo antiquo, hunc in nostrum transire dominium permisit. Interea hoc contentus sis typo quali quali, eiusq; succincta enarratione. Sed de prima parte numismatis nostri prolixe disserere, superuacaneum puto, nihil enim illa abit ab æreis, quæ tum in Gazophylaciis, tum in scriptis Eruditorum reperiuntur, cum capite Vetranionis & Inscriptione: D. N. VETRANIO P. F. AVG. Habuit nescio quid magnifici in titulis suis posteriorum Imperatorum ætas, quod speciem quidem simplicitatis præ se fert, re ipsa tamen summa atque maxima designat. Florentissimis sane Imperii Romani temporibus nihil Augustius erat præ appellationibus Imperatoris, Cæsaris, Augusti, Αὐτοκράτορος, Σεβαστοῦ. Sed decrescente potentia, creuit nominum potestas. Voluerunt Domini appellari, cum Imperator tantum Imperii caput sit, Dominus autem Vniuersi. Ita mundi Dominum, non Imperatorem se antea dixerat Antoninus Græcanico fastu; ita ista saltim vox digna habita est, quæ iungeretur titulis diuinis in illis rarissimis Inscriptionibus numorum: DEO ET DOMINO NOSTRO AVRELIANO. DEO ET DOMINO NOSTRO CARO. Dicebantur Nostri, cum vellent omnibus imperare videri, nec esse in orbe hominum genus, quod ipsorum dominio non subsit. Hanc vocabuli ἐνέργειαν pariter intellexit sequior ætas, quatenus ad nostra vsque tempora perdurat. Solemus subditi Principes quisque suos Dominos appellare, etiam nostros, etiam clementissimos, sed vix ita absolute, vt non habita ratione loci siue personæ loquentis, modo hic modo ille intelligatur. Quamuis Hispani arrogantius postulent, vt in quouis orbis angulo Hispaniarum Monarcha *El Rey Nuestro Senor* seu *Rex Dominus Noster* appelletur. Et de summo Pontifice notum est, propter vniuersale dominium in spiritualibus hoc vbique titulo nosci.

De

De ipſo autem Vetranione notiora ſunt omnia, quam vt diffuſa oratione indigeant. Et vitam eius prolixe ſimul atque erudite, vti ſolet, recenſet lumen Galliæ ſuæ Johannes Triſtanus Tom. III. p. 628. Auſus fuit iſte homo partem reipublicæ in Illyrico capeſſere, quo tempore poſt Conſtantis necem Italia, Gallia atque Africa Magnentio ceſſerant, durante adhuc ipſius Conſtantini Magni ſanguine, cum ipſe obſcuriſſimis natalibus, & prope ad ſtultitiam ſimpliciſſimus eſſet. Nullo omnino vel nomine vel prænomine noſcitur in numis veterumque monumentis: quamuis probabile ſit, more illis temporibus recepto, quo cum Imperio etiam nomina Imperatoriæ Familiæ ſumebantur, Flauium dictum fuiſſe. Vetranionem autem non Veteranionem vocatum planum eſt ex numis, contra doctiſſimum Valeſium, qui poſteriori lectioni patrocinatur in Notis ad Amianum. Βριταννίαν autem Βρεταννίων, Βετρανίων & Britannio, non ſunt niſi per Græcos corrupta. Habuit autem id egregii, quod vitæ probitate & comitate morum apud omnes optime audiret. Imo animum cunctis artibus expertem, ſenex & grandæuus erudiuit, & prima elementa literarum feſſa iam ætate accepit. Magiſter militum ad Imperium conſenſu militari vocatus eſt, cum tuendo Illyrico Princeps deeſſe videretur. Vide, quantum ad vitam literæ proſint cum benignitate morum coniunctæ. Occiſis enim à Conſtantio fraternæ cædis vltore Tyrannis cæteris, huic abrogatum quidem Imperium, ſed fatiſcenti & innoxiæ ætati non vita modo, ſed & voluntarium otium conceſſum eſt. Cognomenta Pii, Felicis, Auguſti, quæ etiamnum nominibus Auguſtorum & Principum iunguntur, multum venerationis habent. De eorum origine & incremento omnia ſunt peruulgata. Hæc obiter notos Pietatem, vti fortunæ & potentiæ, ita cunctis etiam virtutibus merito præferendam eſſe. Hinc cum per otium aliquando quæſitum eſſet inter amicos de arcu quodam in honorem Principis Fortiſſimi extructo, viſum fuit non nemini Herois æque Pii atque Fortis peruerſo ordine poſtpoſitam fortitudini pietatem in hac inſcriptionis parte: FORTIS, PIVS, FELIX. quatenus veteri Romanorum ſtylo rectius dictum fuiſſet: PIVS FELIX FORTIS.

Venio nunc ad alteram ſiue auerſam numiſmatis paginam, quæ exhibet Imperatorem tenentem dextra labarum ſalutari ſigno notatum, cui

cui victoria lauream imponit, cum hac notabili Inſcriptione: SALVATOR REIPVBLICÆ SIC. Gaudete Grammatici, nouus auctor prodit Imperatoria Maieſtate conſpicuus, qui omnem dirimet de egregia voce diſceptationem. Diu digladiati ſunt ſuper vocabulo *Saluatoris* Critici, tum antiqui, tum recentiores, quod cauſa fere cecidit penes omnes, poſtquam, neſcio qua ſorte, plures deſtructores & perditores, quam ſaluatores reperit. Putant ante Chriſtum generis humani Soſpitatorem, hanc vocem non fuiſſe, cum nondum eius notio fuerit, qualis à ſcriptoribus ſacris eidem eſt attributa: immo nec intraſſe Latium, niſi ferrea demum ætate, auctoribus magis pietate, quam ſtylo probatis, Cypriano, Lactantio, Arnobio, Hieronymo, Auguſtino. Sed quanto certius eſt pio fidelium cœtui vel ante ἐνσάρκωσιν τȣ̃ λόγȣ, adeoque ad ipſis vſque Paradiſi promiſſique ſeminis temporibus, officium Saluatoris & notionem huius vocis conſtitiſſe: Ita nec illi videntur rem acu tetigiſſe, ac omnia antiquitatis monumenta ſatis perluſtraſſe, qui eius natales non niſi dictorum Patrum æuo adſignant. Vtique plus ſubtilitatis quam veritatis habere videtur literatiſſimi Voſſii coniectura, cui viſum eſt, vocabulum Saluatoris nec dum in Africa receptum fuiſſe Tertulliani æuo, eo quod Chriſtus huic Patri Salutificator dicitur L. de Carn. Chriſti XIV. Præterquam enim quod latinus ſermo, qualis in Latio erat, extra Italiam omni tempore non fuit vbique receptus, præprimis in Africa, cuius gentes non recipiendis modo, ſed & fingendis vocabulis erant maxime procliues: non continuo inferendum videtur, ideo Salutificatorem dixiſſe, quod Saluatorem dicere non licuerit. Eiuſdem farinæ eſt Ciceronis auctoritas, quam Martiano Capella anteſignano contra Saluatorem facere contendunt. Ad illa enim Ciceronis II. in Verrem: *Itaq; eum non ſolum iſtius inſulæ, ſed etiam Sotera inſcriptum vidi Syracuſis. Hoc quantum eſt? ita magnum, vt latino vno verbo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum Soter, qui ſalutem dedit.* Martianus ait L. 5. *Inſolentiam vitans Cicero Soterem Saluatorem noluit nominare.* Nam etiam hic peſſime argumentantur. Si enim vocabulum Saluatoris putant ideo à Tullio damnari, quod fortaſſis arbitratus ſit eo non ſatis exprimi ſignificatum & ἐνέργειαν τȣ̃ Σωτῆρος, concedant pariter neceſſum eſt, etiam illas probatisſimas voces damnaſſe, *Seruatoris, Conſeruatoris, Soſpitatoris*, quibus pro græca hac pariter vti noluit, cum eas tamen receperit

ceperit

ceperit prior est posterior ætas. Quid? quod Martianus, ex mente Ciceronis, non pro barbaro, sed pro insolito, nec communi vsu trito iactat nomen Saluatoris, quod ipsum licet Ciceronis æuo insolitum, at nihilominus haud inauditum & ignoratum Romæ dixeris. His fere simile est, quod idem Auctor Lib. de Vniuerso ait: *Vix audeo dicere medietates, quas Græci* Μεσότητας *appellant: sed quasi ita dixerim intelligatur: erit enim planius.* Ad quæ doctissimus Olaus Borrichius notauit, tantopere vocem seculo suo nouam refugisse Ciceronem, quam tamen postea emolliente vsu non refugere alii, Palladius, Solinus, Macrobius, Vegetius, Marcellinus, Arnobius, Lactantius. Vt iam de voce *Piissimus* nihil dicam, quod verbum omnino nullum in lingua catina idem Tullius asserit, cum Curtius bonus Auctor eo vtatur. Vltimo loco etiam illa indicanda sunt, quæ de hoc vocabulo tradit Augustinus Libr. XIII. de Civ. Dei, & a Borrichio in Tractatu Cogitationum expenduntur. *Qui est*, inquit facundissimus Hipponensium Antistes, *Hebraice Jesus, Græce* Σωτὴρ, *nostra autem locutione Saluator: quod verbum latina lingua antea non habebat, sed habere poterat, sicuti potuit quando voluit.* Sed vt largiar quæsitam tot Scriptorum voluminibus non occurrisse Sanctissimo Patri, illud ipsum tamẽ haud tanti videtur, vt lingua latinâ, & Romana ciuitate penitus exesse iubeatur vox aliis Antiquitatis monumentis approbata. Nam vt de *Saluatoriis cubilibus* Plinii taceam, quorum meminit Lib. 15. c. 11. (vbi tamẽ cum Dalecampio legere mallem: *Salutatoriis*) & de verbo *Saluare*, quod reperire est apud Lactantium & inscriptum fuit sepulchro Alexandri Martyris Antonini Principatu, hoc modo: O. TEMPORA. INFAVSTA QVIBVS. INTER SACRA. ET. VOTA. NE. IN. CAVERNIS QVIDEM. SALVARI POSSVMVS. huc maxime facit præclara inscriptio, quam Gruterus exhibet p. XIX. JOVI. CVSTODI. QVIRINO. SALVATORI. PRO. SALVTE. CÆSARIS. NERVÆ TRAJANI AVG. COL. SARMITZ. Quæ cum indicium ætatis suæ præ se ferat, id omnino liquido euincit, integris C ante Tertullianum CCC que ante Augustinum annis, apud litteratores in vsu fuisse Saluatoris vocabulum; quamuis id minus obseruatum fuerit sanctissimis Patribus, quorum hic marmorum numorumque incuriosus, ille Afrorum more, vocabulis innouandis, quam antiquis retinendis, promptior fuit: imo loco Saluatoris

Salui-

Saluificatorem dicere maluiſſe puto, quod mire alias deſudauerit in fabricandis nouis deriuatis a verbo facio, vti patet ex his vocibus, quæ in eius opere notantur: *caſtificare*, *factitamenta*, *naturificatur*, *nullificamen*, *ſanctificium* aliiſque. At nobis optimæ vocis ingenuos natales etiam pulchre vindicat reſtituitque numus ſingularis, quem primum protraxiſſe in lucem publicam, non inter infima munera ſortis reputo. Deſinant enim porro ſcrupulis indulgere Critici contra auctoritatem ſacri numiſmatis, qua nulla maior & antiquior eſſe queat. Nam iam ante Arnobii, Lactantii, Cypriani, Hieronymi tempora dudum ſtetiſſe vocabulum *Saluatoris*, extra controuerſiam euincit. Eſto enim ipſius Vetranionis ætatem haud longe ab illa dictorum Patrum abeſſe: at mihi largientur omnes in moneta Romana vtcunque verſati, eiuſmodi numorum inſcriptiones non citra iudicium, vel ab imperitis, vti paſſim hodie euenire videmus, compoſitas fuiſſe: Sed ab Eruditis & Latini ſermonis intelligentiſſimis: quique maxime id darent operam, vt rotunde & receptis vocibus non per ambages, & locutionibus nouis aut barbaris exprimerentur. Hinc eſt quod proponere auſim argumentum inuincibile, ſcilicet iam ante Conſtantiniana tempora *Saluatorem* dictum fuiſſe, cum Conſtantii æuo meruerit hæc vox numis inſcribi. Et ſi recte conſidero, elegantioris cuiusdam viri genio id eueniſſe dixerim, qui cum obſeruaſſet in numis priorum Imperatorum nihil fere tritius vulgatiuſque occurrere, quam illa conſueta *Conſeruator*, *Soſpitator*, Σωτὴρ, quæ vere & proprie Seruatorem & Saluatorem denotant, delectabili varietate, pro more ingenii humani *Saluator Reipublicæ* dicere amauit, idque ſine exemplo, quamuis pro exemplo potuiſſet haberi, ni poſterioribus Cæſaribus minor viſa fuiſſet Vetranionis Tyranni auctoritas, quam vt ad eius imitationem numos ſignarent, inſcriberentque. Hinc tum circa hæc tempora, tum poſtea, magis in numis obſeruare licet vſitatos hos titulos, *Reparatio Reipublicæ*, *Reparatio Seculi*, *Felix temporum reparatio*, *Reſtitutor Orbis*, *Vrbis*, *Conſeruatori Vrbis ſuæ*, *ob Conſeruationem Salutis*, *Reſtitutor Reipublicæ* &c: Republica autem hic non opponitur Monarchiæ, ſed talem ſtatum deſignat, qualis eſt ſub Monarchis, ipſumque adeo Imperium Romanum, non quidem vniuerſum, ſed eam illus partem, quam ſibi regendam ſumſereat Vetranio. At.

At vero altioris indaginis videtur eſſe, definire, quiſnam intelligatur nomine Saluatoris in hoc numiſmate? Et fortaſſe veriſimile ſit, ipſum Vetranionem tanti nominis honorem captaſſe, eo quod ſub Conſtantio in partibus remotioribus labentem rempublicam reſtituerit, ſeruaueritque. Sed ſi verum fateor, non is fuit Tyranni faſtus, vt diuinos titulos more gentilium inuaderet, nec illa cum ingenio & pietate cohærent Principis morum veterum & iucundæ ciuilitatis. Te ipſum in teſtimonium aduoco, qui p. 377. Theſauri Tui *de Pietate Vetranionis numiſmata teſtari ais*, licet illa non ſemper pro teſtibus omni exceptione maioribus, pace Tua admittam, cum illorum typi & lemmata rarisſime ſint ab ipſorum Principum ingenio profecta, illarumque rerum cura ad alios pertinuerit: noſter autem imprimis Vetranio audiat prope ad ſtultitiam ſimplicisſimus, omniumque liberalium artium adeo expers, vt ne elementa quidem literarum ſciuerit. Interim non infitias eo, quatuor illis variantibus typis, quos in eius numis obſeruaui, duas maxime indicari virtutes, Pietatem ſcilicet & Fortitudinem militarem, firmisſima ſummorum imperiorum munimenta, præprimis ſi adſit illa, quæ virtutes in ſe continet omnes, iuſtitia. Poſteriorem quidem indigitant duo ærei minoris formæ: prior, in quo ſignatur Imperator dextra labarum, ſiniſtra ſceptrum tenens, & inſcriptio: GLORIA ROMANORVM BSIS. alter, vbi figura inter duo ſigna militaria cum hoc lemmate conſpicitur: CONCORDIA MILITVM BSIS. Poterat huc etiam referri eiuſdem Vetranionis numus, ab illuſtrisſimo Comite Mediobarba, cuius amicitia & fauor mihi aliquando Romæ & Mediolani honori fuit, in opere ipſius e Spanhemio citatus. Sed illum nondum vidi, &, vt verum fatear, ſtylo ambiguo à Domino Spanhemio ſignatur, vt incertum ſit, ad Vetranionem an ad Nepotianum, hæc auerſa ſpectet? Nihil enim vltra tradit de figura, vti etiam de pondere & materia nihil. Pietatis autem duo rariſſima monumenta obſerua, tum in illo iam peruulgato æneo, in quo Imperator, qui labarum Chriſti nomine venerandum geſtat, à victoria coronatur, cum hoc pio ac vere Chriſtiano monitu Hoc SIGNO VICTOR ERIS A P SIS. quem numum ſatis minutum aliquando Romæ vidi apud Dominum Feſchium iuniorem Baſileenſem, ipſe autem talem nunquam nanciſci potui, quando idem cum

imagine Conſtantii Imperatoris, quem ſine dubio imitatus eſt bonus Vetranionis monetarius, etiam atque etiam in manus meas deuenerit: tum in noſtro nunquam hactenus obſeruato aureo, vbi eandem figuram alia inſcriptio ambit, illa nimirum, cuius gratia vellem per imbecillitatem ſtyli liceret nobis eſſe magis diſertis. SALVATOR REIPVBLICÆ SIC. Ergo hoc ſuſpiciendo nomine ille potius colitur in auerſa numiſmatis facie, cuius glorioſiſſimum nomen exhibent binæ litteræ Græcæ in vnum characterem contractæ ☧ quo ſignatum eſt vexillum, quod Imperator dextra protendit. Non enim eſt in alio ſalus, nec eſt aliud nomen, in quo ſaluati ſimus, præter illud ſuauiſſimum & ſanctiſſimum nomen JESV, cuius iam ab omni æuo venerabile fuit ſignum Eccleſiæ primitiuæ. Quali vero primo omnium vſa ſit, vix procliue fuerit determinare. Et iam hæc alii accuratius tractarunt. Sunt qui putant figuram crucis im̃iſſæ, ſiue litteram T Meſſiam deſignaſſe, idque iam ante eius ἐπιφάνειαν: & in ſacris Ægyptiorum Scripturis hanc vitæ futuræ notam fuiſſe. Has quoque literas S P Q R. quibus vexilla Romanorum inſcribebantur, ad ſignandum Senatum Populumque Romanum, egregio & pio Chriſtianorum militantium ſub iiſdem ſignis inuento, ne idem cum Gentilibus ſentirent, ita expoſitas aliquando legimus: *Salua Populum Quem Redemiſti.* Imo & his Græcis litteris expreſſum nomen Redemtoris in ſcutis & vexillis fuiſſe compertum eſt: ΙΧΘΥΣ. Quæ res cauſam præbuit calumniæ Paganorum, qui cum hic nihil intelligerent, ἰχθυολατρείαν ſanctis DEI cultoribus obiiciebant, præprimis cum Piſcis, ſeu (vt alii malunt) Draconis figuram, iunctam his notis animaduerterent, quibus ſymbolis Chriſtiani vtebantur ad indicandam ſpem vitæ æternæ, & per Saluatorem proſtratas diaboli vires: cum & litteræ ſic eſſent accipiendæ: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ, Piſcis vero Jonæ ſalutem, draco dæmonem notaret. Et certe merentur euolui, quæ de hac memorabili acroſtichide fuſius recenſet, a pag. 33. Antiq. Neomag. verbis Parentis cognominis Joañes Smetius. At de illo ſigno ſalutari ☧ in quo cœlitus promiſſam Conſtantino M. victoriam Euſebius auctor eſt, deque eius origine, tam multa a tam multis tradita ſunt, vt actum agere nolim. Puto autem, non indocte opinari nonnullos,

du-

dudum ante Conſtantinum Magnum non extitiſſe ſolum (nam & in numis Græcis Ptolemæi Deciique iſtud Ρῶ χιαζόμενον obſeruatur) ſed etiam nomen Benedicti in ſæcula denotaſſe. Imminutionem pariter quandoque paſſum fuiſſe, inter alia, argumento eſt Lampas fictilis, quam repertam in Cæmiterio Calixti Romæ mihi comparaui hoc charactere notatam ☧. Ortum poſtea Byzantii ſequiori æuo morem aiunt, Saluatoris nomen exprimendi his duobus litteris JC, vti illud Virginis Matris iſtis M Θ, qui etiamnum Eccleſiæ Græcanicæ & Moſcovitis durat. De origine vero Monogrammatis, quo nomen Jeſu per adſpirationem exprimitur, viderint illi, an recte ſentiant, qui barbaris ſæculis & oſcitantia cuiuſdam indocti Monachi illud proueniſſe, minus quidem hæſitanter, ἀλλ᾽ οὐ κατ᾽ ἐπίγνωσιν affirmant? Illis magis adſtipulor, quibus nec hæc in latinis orta, nec hæ latinæ litteræ videntur J H S. Sane ſi quis de littera S dubitet, tot monumentis antiquis & numiſmatibus euincam, & priſcis & poſterioribus ſæculis hanc Sigmatis Græci formam fuiſſe. Sed inter omnes S. S. nominis characteres, hic præclariſſimus hodie habetur, quem nonnunquam ex auro vel gemmis effictum ornamentorum loco geſtant Chriſti Cultores vtriuſque ſexus, non ſecus vti in penſilibus illis e collo ſigillaribus aureis Chriſtiani iam olim geſtauerunt venerabile hoc Saluatoris nomen, quando & hodie eiuſmodi ſigillaria Saluator vulgo appellantur. Quin etiam in honorem Wratislauienſium meminiſſe iuuat, cum per indulgentiam Dominorum Præfectorum mihi licuerit nuper magnificentiſſima Vrbis Armamentaria ſcrutari, me obſeruaſſe eadem figura J H S efformatum nomen Saluatoris in multis vetuſtiſſimis ſcutis, quibus induti optimi Ciues ante aliquot annorum ſæcula ſpe certiſſima victoriæ contra Tartaros pugnatum vrbe ſua profecti ſunt. Eodem victoriæ triumphique ſigno maxime noſcitur Familia Religioſorum, quæ S. Ignatio auctore traxit à Jeſu nomine nomen: cuius per vniuerſum orbis ſyſtema micant vexilla & clypei hoc ſchemate fulgentes. An vero cum eodem ſigno venturus ſit in nubibus Filius Hominis? nihil decerno, nec audio decernentes, ſuſpenſurus iudicium eo vſque, donec iſta eueniant.

Supereſt paucis de patria numiſmatis diſſerere. Qua in re non coniectura, ſed certis fundamentis nitimur. Ex Hiſtoria notum eſt, Vetranionem, in Illyrico (nunc Dalmatia appellatur) Imperium exercuiſſe.

cuisse. Ergo in hac Prouincia sine dubio monetam suam fieri curauit. Et ab hac veritate omnino non abludunt notæ illæ, quæ in tribus æreis obseruantur, quos exhibet Frenius in Historia Byzantina p. 35. vbi SIS certe Sisciam designat. Videtur autem ea Vrbs cum magna Pañoniæ parte tunc temporis ad Illyricum spectasse, de qua Plinius l. 3.c.25. ita tradit: *Ad Septentriones Pannonia vergit: Finitur inde Danubio. In ea Coloniæ Æmonia, Siscia.* Sed solidum nostrum aureum in ipso meditullio Illyrici cusum, tres illæ litteræ SIC videntur euincere, quæ Sici signatum testantur. De hac Vrbe vel Plinium differentem audi l. 3. c. 22. & res plana erit. Ait autem *Tragurium Ciuium Romanorum, marmore notum: Sicum, in quem locum Diuus Claudius Veteranos misit: Salona Colonia ab Jadera CCXXII M. Pass.* Tragurium autem & Salona etiam hodie inter Dalmatiæ Vrbes cluent, & Venetorum imperium venerantur.

Hæc de rarissimo numo dicta sufficiant, quamuis dudum veritus sim me Epistolæ modum excessisse. Facies autem ex amicitia nostra, Vir Humanissime, si conatum meum æqui bonique consulueris, nec subieceris censuræ grauiori, quæ, dum iter & abitum paro, absque auxilio necessario inter strepitus turbæ, inque diuersorio scribenti, exciderunt. Interim Tibi iterum valedico, & profectionis meæ cogitationes, a quibus hactenus parumper quieui, adspirante Saluatore repeto. Quamuis enim Wratislauiam haud animo diutius ibidem commorandi accesserim, a Musis tamen & Musarum asseclis, quos alma fouet Vrbs vix hactenus impetrare potui missionem. Jam de his in principio disserui, licet non pro materiæ dignitate. Sed desituro aurem vellunt binæ præclarissimæ Bibliothecæ publicæ, quarum adhuc iuuabit obiter meminisse. Altera apud D. Elisabethæ Fanum, quæ recepto ab auctore nomine Redigheriana dicitur, præstantissimis Germaniæ annumeranda, propter copiam tantorum MStorum & venustissimorum Codicum vtriusque Linguæ Latinæ & Græcæ. Thesaurus sane pretiosus & inæstimabilis Ciuitatis inclytæ. Altera apud D. Mariam Magdalenam, magis spatiosa, & recentioribus libris auctior. Vtraque non voluminibus modo, sed & picturis, & numismatibus, & infinita omnis eruditionis supellectile abundat. Elisabethana præprimis, quæ etiam aureorum aceruo spectabili fulget. Hæc omnia suo merito commendanda,

huma-

humanitate ſua commendatiora reddunt duo Eruditiſſimi & Famigeratiſſimi Viri, qui cuſtodiæ tantæ Gazæ impoſiti indefeſſo labore publicæ vtilitati litant. Quorum vti beneficio factum eſt, vt hæc adyta mihi fuerint reuelata: ita non poſſum non illorum comitati gratias agere. Sed cum vltra enarrationem numiſmatis Vetranioniani procedere inſtituti noſtri non ſit, illa, quæ quaſi per tranſitum indicantur, caue putes ſtyli noſtri præconium ſola promereri. Multa lubens viſa præterco, multa nondum luſtraui. Cui enim datum eſt perreptare loca innumera ampliſſimæ Vrbis, vbi Sacra Apollinis late coluntur. Deliteſcunt in tot Monaſteriis, in tot priuatorum ædibus, in Bibliothecis, in Archiuiis, in Muſeis multa, quæ digna ſunt notatu, & quæ fortaſſis dabitur conſiderare. Eſt enim natio comis & φιλάνθρωπος, vt vere putem Vrbanitatem & Ciuilitatem ab hac Vrbe & ab his Ciuibus appellatam

Neque enim temperare mihi poſſum breuiſſimo compendio Tibi proponere dictorum meorum exemplum & teſtimonium omni exceptione maius, in Viro Strenuiſſimo. Qui vti poſt ſupremum Præſidatus honorem, maximo in Senatu patrio fulget, ita inſtinctu magnifico, ac Homini Nobiliſſimo & Patricio digno, non ipſe modo illis artibus ſtudiiſque vacat, quæ proſunt & delectant, ſed exquiſitiſſimo etiam honorum beneficiorumque genere, proſequitur illos, veneratur & excipit, qui lætioribus Muſis addicti, ſymbolam aliquam tam iucundæ curioſitati conferre valent. Hic enim verus eſt character, & ὡς ἐν κύκλῳ delineatio Benigniſſimi Domini ab Haunolt, Principis Senatus Wratislavienſium, & ad cauſas bellicas Commiſſarii Perpetui: eius, qui merito inter ſuos audit Diui Leopoldi delicium, Miniſtrorum ocellus, Patriæ Præſidium & Tutela, Ciuium Amor, Bonorum omnium deſiderium & cura gratisſima, quem ob inſignem eius humanitatem *non deſinam, non ſi deſinam, tunc cum deſinam*, amare. Iſtius viri contemplatio dum me in admirationem rapit, hic iuuat quieſcere tantiſper, donec alia detur ſcribendi occaſio. Vale interim, noſtri memor amoris obſequiique, in Chriſto feliciter; iterum Vale! Data Wratislauiæ Calendis Juliis ſtylo nouo A. R. CIↃ IↃC LXXXVII.

XXVII.

GOTH. GVILIEL. LEIBNITII DISSERTATIO DE NVMIS GRATIANI AVGG. AVG. CVM GLORIA NOVI SAECVLI.

Primum edita in Cl. Eccardi Excerptis Menstruis An. MDCCI. Aug. p. 95. seqq.

Nouum Sæculum iniuimus, quod Prutenici Regni erectione, velut singulari charactere, primo statim mense fata signarunt, durabili sane ornamento futuri temporis, non vt alias prospere pace belloque gesta, transitorio, aut homines magis quam res nouante. Itaque non absurde veteris sed raræ tamen numorum Epigraphes in mentem viris doctis venit: GLORIA NOVI SECVLI, qua solus, quod constet, vsus est aliquoties Gratianus Augustus; etsi alio, vt apparet, sensu verborum & minus concinno, quam quo nos vsurpamus. Neque enim, si ad Chronologiam exigas, vllius sub ipso sæculi initium apparet. Itaque nihil vltra voluisse credibile est, quam felicem temporum reparationem. Quia tamen nuper vir egregie doctus in Gallia iisdem verbis incrementa Domus Borboniæ celebrans in alia omnia iuit, & ex numo historiam receptam in dubium vocauit, tanquam alius quærendus esset Gratianus, quam qui hactenus legitur, Dissertatione in eam rem conscripta, cuius summam nouum *Dombense Diarium* Eruditorum exhibuit; ideo rem breuiter, qua licet, discutere placet.

Autor

Autor ergo, cuius nomen, etsi insigni doctrina & dogmate singulari agnosci posse videatur, proditum non est; duos Gratiani numos affert, qui magnis in historia dubitationibus materiam præbeant, & studiosorum hominum curam mereantur. In priore hæc inscriptio dicitur esse iconis: D. N: GRATIANVS. AVG. G. AVG. in auersa parte conspicitur figura stantis & armati, qui dextra tenet labarum, in quo Christi monogramma, læua scutum; circumscriptio est: GLORIA NOVI SECVLI. Infra modo: TCON, modo: CONT. Tales numos extare in thesauro Regis Christianissimi, in Collegio Jesuitarum Parisino, in museo Fulcaldi apud Cadomum Neustriæ Prouinciæ publicæ rei Inspectoris, quem eruditæ curiositatis virum esse accepimus. His dissertationis autori memoratis adiicio, similes numos extare in Gazophylacio Regis Prussorum, describente Cl. Begero, & in Schwartzburgico, vix Regiis secundo, quod Celsissimus Comes collegit, qui Arnstadii Thuringorum aulæ sedem habet; vnde trium diuersorum nonnihil typos mihi misit V. Cl. Andr. Morellus, qui inter eruditionis numariæ principes merito habetur (a). Vnum etiam reperi in Museo egregio Reuerendissimi & Amplissimi viri Gerardi Molani Abbatis Luccensis. Præterea passim similes video ab autoribus describi. Tales Velserus Augustæ Vindelicorum repertos ait; & Tristanus quoque, & in Constantinopoli Christiana Ducangius & in Selectis suis Oiselius exhibent. p. 2. T.V.n.6.

Alterius numi, quem affert Clariss. Dissertator, eadem icon & inscriptio, sed in tergo GLORIA ROMANORVM figuraque militis captiuum sternentis, & præterea literæ ita disseminatæ FEL / R TE quod Autori videtur esse *Felicium Reparatio Temporum*, vel vt malim, *Felix*: ita enim diserte legitur in numis Constantii adhuc Cæsaris cum eadem figura militis & captiui, & in numis Constantis Augusti, eius fratris, cum Phœnice. Hunc numum, quem alibi memoratum non inuenio, extare ait noster in Collegio eodem Parisino. p. 3.

Vtrumque Autor doctissimus indubitatæ quidem genuitatis esse asseuerat, sed in Gratianum, qualis nobis ex Historiarum scriptoribus

(a) *Cum aduersa horum pars cum capite Imperatoris eadem sit, secundi & tertii auersas tantum in Tabula exprimi curauimus.*

bus cognitus eſt, non quadrare. Gloriam noui ſæculi ſignificare Prin-
cipem, qui primo ſæculi anno decus quæſierit ſibi & Romanæ rei, & ver-
ba iconis eum oſtendere, quem Generum Auguſtus aliquis ob inſignem
victoriam ab Imperii Romani hoſtibus reportatam legerit. Id enim
in altero numo indicare captiuum & gloriam Romanorum. Porro
nihil horum Gratiano Valentiniani filio accommodari poſſe; puerum
enim nullo triumphi merito Auguſtum appellatum à patre: & quam-
uis Conſtantii filiam poſthumam in matrimonio habuerit; conſentane-
um tamen eſſe, vt ſe potius Filium, quod maius eſt, in numis ferret,
quam Generum Auguſti, præſertim dudum extincti, quindecimo circi-
ter ante matrimonium anno. Sed nec ſæculi noui initium aliquod ca-
p. 4. dere in annos Gratiani: nam annum 1101. Vrbis conditæ, qui ſit 348.
æræ Chriſtianæ, pene vigeſimum eſſe ante Gratianum Auguſtum, & ſe-
ptimum vel octauum ante natum, ſcilicet ſi hiſtoricos ſequamur (id
enim tamquam ſibi cauens addit): Et annum æræ Chriſtianæ quadrin-
genteſimum primum, qui ſæculi quinti initium facit, fere decimum ſe-
ptimum eſſe ab eo, quem Hiſtorici noſtri Gratiano emortualem aſcri-
bunt: Præterea, ſi ad æram Chriſtianam reſpiceretur, conſecuturum eſ-
ſe, vt per Galliam, totumque Occidentem in vſu hæc fuerit centum &
viginti circiter annis ante inuentorem Dionyſium Exiguum, qui Romæ
eam excogitaſſe communi opinione habeatur; nam Gratiani numos, præ-
ter vnicum Siſciæ cuſum, quæ nunc eſt Siſſeck Croatiæ, omnes ex Gal-
licis officinis prodiiſſe; & nominatim illos ab autore productos, vbi
TCON & CONT ſignificent: *Tributum Ciuitatum Omnium Narbonen-
ſium.*

Hæc apparet proficiſci ex paradoxis ſuſpicionibus Viri de re litte-
raria meritiſſimi, cuius ideo nomini parcendum cenſemus, cum ſcia-
mus eas a multis in peſſimam partem accipi; quaſi pleroſque veteres,
certe profanos ſcriptores νοθείας reos faciat & inaudita cenſura Senatu
literario mouere velle videatur, malo ad ſacros etiam autores peruen-
turo in pari, vt aduerſarii putant, cauſa. Mihi vero in melius omnia,
qua licet, trahenti audacior dubitatio, vel, quod malim, dubitandi ſi-
mulatio, tamquam iactum in medium eridos pomum, non tantum ex,
p. 5. cuſabilis, ſed etiam vtilis videtur ἀγαθὴ, δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Poterit e-
nim

nim excitare viros doctrina & iudicio præditos ad condendam, quæ nondum extat, Historiæ scientiam, quam ita accipio, vt ipsa eius principia muniantur demonstrationibus, quas fert natura rei, quales vulgo moralis certitudinis esse dicuntur: ostendendo ex iis, quæ nunc exstant, ea quæ olim exstitere: siue ipsa supersint monumenta vetustatis, vt saxa & metalla verbis figurisue inscripta, sigilla item, membranæ, chartæ coæuæ rebus gestis; siue sint per imitationem repetitam ad nos delata, vt in Codicibus sæpe transcriptis, in scripturis, quas appellant transsumtas, in linguarum denique & narrationum per manus traditarum propagatione contingit; vbi veritatis notas & gradus fidei historicæ definire magna, mea opinione, pars Artis Criticæ foret.

Non autem veterum numis tantum, sed & Inscriptionibus autoritas summa est: & vtrius auxilii maior esset vsus, aliquando amico certamine inter se contendebant insignes & nostro tempore principes in vtroque genere Viri Ezechiel Spanhemius & Marquardus Gudius; Quæ occasio librum de vsu & præstantia Numismatum peperit, quo Spanhemius sibi immortalitatem peperit, & cui debet hæc doctrina, quod nunc tantopere floret. Ex his duumuiris ille pari doctrinæ & dexteritatis laude florens, post multa sæpe in republica bene gesta, nunc quoque a Rege suo ex legatione Gallica ad Regem Magnæ Britanniæ missus, in mediis negotiis Grotiano exemplo de litteris melioribus bene mereri pergit. Hic Ducis Holsatiæ, deinde Daniæ quoque Regis Consiliarius ac legatus nimia edendi mora, magna parte gloriæ se, magno fructu sæculum priuauit. Etsi bona parte conseruatas, tandem aliquando prodituras speremus posthumas eius curas in antiquas inscriptiones, quas non tantum coram singulari spectantis diligentia emendatas, sed & acerrimi ingenii vi & ditissimæ eruditionis præsidiis illustratas publico vsui parabat. Sed vt reuertar ad propositum, vix Numi Inscriptionibus, aut Inscriptiones Numis palmam præripuerint. Maior est Numismatum multitudo, contra Inscriptio vna sæpe plus multis numis habet, cum integra in iis fœdera & chronicos canones perscriptos exstare constet. Vtrumque tamen genus vtilitate Scripturæ & Codicum vincitur, quibus plena artium præcepta & Historiarum amplissima spatia comprehendi possunt, dum saxis & metallis non nisi fragmen-

p. 6.

ta ægre coagmentanda, neque corpori componendo suffectura conti-
nentur. Itaque optarim non tantum diplomatum, sed & codicum
fulciri fidem: & vt in re diplomatica versati sunt eminentes doctrina
Viri, Joannes Mabillonius, & qui nonnihil præiuerant Henschenius ac
Papebrochius; ita Historiam dari Criticam vberrimam Manuscripto-
rum Codicum & deductorum ex illis editorum typis autorum, prout
quisque aut prodiit ab exemplaribus, aut est auctus emendatusue. Sunt
enim quæ paucis codicibus, sunt quæ non nisi vni debentur. Certe
Seculo XII. confictos non esse, qui habentur veteres, innumeris quidem
p. 7. argumentis euinci potest, neque ea res nostræ hic est disputationis;
non indignum tamen memoratu puto, in Augusta Bibliotheca Guelfe-
bytana exstare magnum numerum Codicum, quos a Cœnobii Weissen-
burgensis Abbate eodemque Episcopo Spirensi redemtos Johannes Phi-
lippus Moguntinus Elector, doctrina & sapientia insignis, donauerat
Henrico Julio Blumio, Hanouerano, Consiliario primum suo intimo, de-
inde in Bohemico Appellationum Tribunali Cæsareo; vnde Serenissi-
mus Dux Antoninus Vlricus Augustæ Bibliothecæ suæ quæsiuit. Ple-
rique scripti sunt temporibus Carolingiorum, &, ne dubites, exstat in
vno Catalogus ipse antiquus Bibliothecæ Monasterii, addito nomine
Abbatis, vbi hi ipsi bona ex parte recensentur, qui nuper Guelfeby-
tum fuere translati: quorum asserta antiquitate simul & alii multi per
ipsos extra controuersiam ponuntur. Sed non est quod ei rei nunc im-
moremur, præstat dubitationi occurrere doctissimi viri.

Equidem verum semper vero consonat, & pauculas difficulta-
tes aliquando ex errore monetariorum aut sculptorum natas consen-
tienti tot codicum fidei nemo prudens prætulerit. Itaque autoritate
aliquot numismatum oppugnare, quæ magno consensu ex Fastis &
Ammiano & Ambrosio & Hieronymo & Marcellino Comite, Idacio,
Prospero, Zosimo, Socrate, Sozomeno, Theodoreto ipsisque Consti-
tutionum Imperatoriarum Codicibus Theodosiano & Justinianeo eru-
untur, nouumque Principem creare, aut veterem mouere loco, nescio
p. 8. an cadere serio in quemquam possit. Nec vero ad corectionem aut la-
psum monetarii confugere necesse est, cum interpretatio dudum sit in
promptu, quæ Historiæ receptæ satis consentit.

Primum

Primum autem admitti neque poteſt, neque debet, quod aſſumitur *noui ſæculi gloriam* in numis Gratiani neceſſario ſic accipiendam, vt non niſi in primum ſæculi ſeu centenariæ periodi annum cadere ſecundum celebrem aliquam Epocham poſſit. Sæculum videtur origine ſua ſeries, genuſue eſſe, ſed maxime animantium, in quibus ſequela naturalis, id eſt generatio eſt. Vnde *Sæcla ferarum* Lucretius dixit. *Et muliebre oritur patrio de ſemine ſæclum*, id eſt ſexus idem. Deinde crediderim paulatim non amplius viuentia ſed vitas ſignificaſſe. Sæculum enim naturale vita hominis longiſſima, vt explicat Cenſorinus bonus autor libro de die natali; Ciuile velut per auerſionem, vt loquuntur ICti, certo numero annorum definiebatur. Vti naturalis pubertas generandi facultate, ciuilis in maſculo quatuordecim, in femina duodecim annis lege circumſcribitur. Itaque veterum ſententia fuit, qua die vrbes atque ciuitates conſtituerentur, de his, qui ea die nati eſſent, illum qui diutiſſime vixiſſet; die mortis ſuæ primi ſæculi modulum finire, ex quo noua deinde ſimilis computatio eſſet inſtituenda; ſed quia hæc interualla plerumque ignorarentur, portenta miſſa diuinitus admonere. Quod commentum eſſe puto eorum, qui rationem primæ ludorum ſæcularium inſtitutionis reddere volebant, quæ contigiſſe pleriſque videtur P. Valerio Poplicola & T. Lucretio Coſſ. anno circiter 245. ab vrbe condita. Nam peſtilentia, quæ vrbem depopulabatur, hanc nouam religionem iniecerat, vt Valerius Maximus habet lib. 2. c. 4. & Zoſimus lib. 1. Varroque apud Cenſorinum addit, cum multa portenta fierent, & murus ac turris, quæ eſt inter portam Collinam & Eſquilinam, de cœlo eſſent tacta, & ideo Decemuiri libros Sibyllinos adiſſent, renuntiaſſe, vti Diti patri & Proſerpinæ ludi in Campo Martio fierent & hoſtiæ furuæ immolarentur, idque centeſimo quoque anno fieret. Hæc Varro, Tanquam Dii per hæc portenta indicarent, alterum ſæculum Romanæ vrbis (id eſt, alteram vitam longiſſimam) hoc anno exire. Equidem placuit, vt poſtea haberetur ratio ciuilis interualli centenarii loco naturalis. Itaque Valerius Antias & Lucius Piſo annalium ſcriptor, & Feſtus Pompeius, & Terentius Varro Sæculum ſpatio hoc clauſere, ſed non ea conſtans ſententia fuit. Equidem non inepte quidam ſentiunt, ſecundos ludos ſæculares celebratos anno V. C. 305. cen-

p. 5. (margin, beside line "riſque videtur P. Valerio…")

tesimo año post conditum a Seruio Tullio lustrum: tertios año V.C. 505. aut circiter. Nam vnum sæculum intercidisse notat etiam Augustinus de Ciuit. Dei lib. 3. c. 8. & Censorinus ludos tertios refert ad Claudium Pulchrum & L. Junium Pullum Coss. Quartos Antias, Varro, Liuius apud Censorinum adscribunt anno V. C. 605. L. Marcio & M. Manilio Cos. etsi alii dissentiant. Sed postea cum iam præteriisset annus
p. 10. 705. Augustus Cæsar ludos prætermissos reuocauit fide habita Quindecimuiris, qui, cum sæculum id est vitam 110. annis circumscribi dicerent, computo quodam suo nouo effecerant, vt annus Vrbis Conditæ 737. sæcularis crederetur. Itaque Onuphrius Panuinius potius Quindecimuirorum autoritatem & edicta Augusti, quam scriptores sibi sequendos putans vult *primos ludos sæculares* annos Vrbis conditæ 297. *secundos* anno 407. *tertios* anno 517. *quartos* anno 627. *quintos* anno 736. (sed qui ex Varronis calculo fere esset 737.) Octauiani Augusti autoritate editos centesimo decimo non finito, vt ante fiebat, sed inchoante. Vnde Horatio in Carmine sæculari tunc scripto sæculum est:

Certus vndenos decies per annos
Orbis.

vel ex Sibyllinis, quæ creduntur, Carminibus apud Phlegontem Trallianum de mirabilibus & longæuis, ac Zosimum.

Ἀλλ’ ὁπότ’ ἂν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι
ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων.

Bis quinque ac denis reuolutis protinus annis,
Quæ sunt humanæ longissima tempora vitæ.

Etsi quidam carmina Sibyllina a Quindecimuiris corrupta suspicentur, centum ac decem annis loco centum annorum positis. Non autem ab ipsis prorsus conficta fuisse colligo, tum quod Codices vetustate pene corruptos transcribi curasse Augustus memoriæ proditur à Dione, tum quod carmen, de quo hic agitur, sic definit:

p. 11. Ταῦτά τοι ἐν φρεσὶν ᾖσιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι,
Καί σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ, καὶ πᾶσα Λατίνη.
Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.

Omnia quæ memori ſemper tu condito mente,
Sic omnis Italûm tellus, omniſque Latina
Perpetuo ſubmiſſa iugo tua ſceptra timebit.

Ex quibus coniicio ſcripta hæc Sibyllina Carmina cum nondum Romani Philippum & Antiochum viciſſent, alioqui ipſis, credo, carminum autor potius Orbis quam Italiæ imperium perpetuum ſpopondiſſet; neque illa aut Judæis aut Judaizantibus eſſe tribuenda, vt alia quæ Iſaacus Voſſius ad huiuſmodi autores refert; res ipſa clamat. Interea agnoſcendum eſt, quicquid demum Quindecimuiri iudicauerint, centenarium quaſi ſacrum habitum. Itaque Plato volebat animas centum annis expiari; Jupiter apud Homerum legitur centum fimbriis circum veſtitus: Gigantes eius hoſtes centimani; quæque alia Julianus collegit in Epiſt. ad Serapionem. Vnde Hecatombe quoque, etſi quidam non a centum victimis, ſed a centum vrbibus Peloponneſi dictum hoc ſacrificium velint. Nam & de Pythagoræ Hecatombe (quam diis obtuliſſe dicitur, reperto Theoremate, quod baſin trianguli lateribus æquipotentem docet,) ſcrupulus mihi iniectus eſt, quod alias proditum legi, cum ſacrificandi neceſſitas ipſi impoſita eſſet; neque animal occidere vellet, boue ex argilla feciſſe. Verum hæc ſufficere poſſunt, vt intelligatur, ſæculi appellationem non neceſſario centum annis definiri. Nam diſcutere omnia, & litem inter Onuphrium cum XV. Viris ſentientem cæteroſque ſcriptores iudicio ſecare, non eſt noſtrum; ſed neque idem interuallum poſt Auguſtum Cæſarem ſeruatum eſt. Sane cum ludos ſæculares ſub Imperatoribus numi indicent, certiores ſunt anni, quibus editi fuere. Et poterit conſuli Occo, quem ſuppleuit Biragus. In Auguſti numis, vbi ludi ſæculares memorantur, diuerſæ occurrunt figuræ, modo muliebris ſpecies cum petaſo & caduceo alatis, modo, vt in numo Illuſtriſſimi Dauiæ, qui nunc apud Cæſarem Legationem Pontificis nomine obit, & in his aliiſque ſtudiis egregius eſt, ſalius ſacerdos ſtans, dextra ancile; ſiniſtra caduceum tenens; an *quod temporis fugacitas caduceo oſtenditur; an quod Mercurii virga orcum placat?* Nam Plutoni primum ſacra ludis ſecularibus facti fuerant. Claudius Cæſar optimum putauit, ludos ſæculares inpoſterum alligari centeſimo cuique vrbis anno, & ab octingenteſimo, qui in ipſius tem-

pora inciderat, cœpit. Sed ita ſucceſſoribus ſuis nouam variandi occaſionem dedit. Domitianus nulla ratione habita Claudianorum ad Auguſti ludos reſpexit, etſi ne ſic quidem centenario vel centum & decem annorum ſtato interuallo accurate ſeruato. Ludos enim ipſe fecit anno V. C. 841. Cuius rei rationem Tacitus ſcripſit proditam a ſe, in libris, quibus res Domitiani compoſuit, cum ipſe Quindecimuir interfuiſſet.
p. 13. Sed illi libri periere. Antoninum Pium ſententiam Claudii rurſus ſecutum ſtatuit Taffinus lib. de anno ſæculari, obſeruans ex Aurelio Victore Andreæ Schotti nongenteſimum vrbis annum ab eo magnifice celebratum. Sed cum numi ſcriptoreſque ſileant, neque ipſe Aurelius Victor ludos ſæculares nominet, crediderim ego Antoninum Pium, modeſtum Principem; mediam viam ingreſſum, & neque turbare legem D. Auguſti, quam Domitianus reuocauerat, neque expectationi populi deeſſe voluiſſe. Itaque inter cetera magnificentiæ documenta ludos fuiſſe, ſed non illo ritu, qui ſæcularibus debebatur; a populo tamen eo nomine appellatos, atque illuc prorſus referendam (ſi genuina eſt) inſcriptionem, quam vt in agro Caſinate repertam habet Herwartus Bauariæ cancellarius, Vir doctiſſimus in chronologia ſua. Ibi enim legitur Sextus quidam Vitellius, qui vixerit annos 98. dieſque præterea exegerit 18. natus anno, quo ſeptimi ſæculares ludi celebrati ſunt, extinctus, quo octaui. Quod vt explicetur, octaui non poſſunt haberi Seueriani, qui 116. annis diſtant a Domitianeis. Credibile eſt ergo, Antoninianos fuiſſe intellectos, ſed pro ſextis nempe Claudianis, ſeptimos fuiſſe dictos, ignorantia eius, qui inſcriptionem fecit, & parum hiſtoriæ curioſus, eos qui ſæculo circiter atauos antecederent, ſeptimos credidit. Porro ſæculares celebritates aliqua ratione vltra annum productas credibile eſt, vt adeo & qui annum nonageſimum nonum ætatis ingreſſus erat, vtriuſque ſæculi celebritati intereſſe potuerit. Ex his intelligi arbitror, Antoninianos ambiguos eſſe & magis opinione hominum & externa pompa, quam interiore ceremonia ſæculares videri.
p. 14. At indubitati ſunt ſub Seuero Cæſare ludi ſæculares, numiſque & Scriptoribus memorantur. Etſi autem pluſquam centum & ſedecim annis diſtarent a Domitianeis, Herodianus tamen inde ait abfuiſſe trium interuallo ætatum, id eſt, generationum, ſeu ſæculo; nam γενεὰν Herodotus

tus facit ſæculi trientem lib. 2. Frequens ludorum ſæcularium mentio eſt in numis Seueri, Caracallæ, Getæ. Celebrati ſunt anno V. C. 957. Fabio Cilone & Annio Libone Coſſ. qui fuit Chriſti 204. Porro Auguſtus ſuos ediderat anno V. C. 737. a quibus annus 757. bis abeſt annis centum & decem. Vnde manifeſtum eſt, Seuerum Quindecimuirorum ſententiam & edicta accurate ſeruaſſe, neglecta Domitiani exorbitatione.

Sed mox Philippi duo exemplum Claudii & Antonii Pii magis probantes, vel potius interualli maioris memoriam non immerito celebraturi, millenario anno Vrbis ludos ſæculares fecere. Vnde in numis IMP. M. JVL. PHILIPPVS AVG. MILLIARIVM SAECVLVM circum columnam, in qua COS. III. item COS. III. in Corona SAECVLARES AVGG. item Cippus, in quo COS. III. Alibi Lupa cum Romulo & Remo, capra Amalthea, Hippopotamus, ceruus ſtans longæuitate celebris, Hyæna, vel Panthera aut Leo gradiens, Ibix vel Alce, Elephas cum puero rectore; credo, quod ea animalia in ſpectaculis exhiberentur. Virgo globum manu ferens cum inſidente phœnice: SAECVLVM NOVVM cum templo ſex, octo vel decem columnarum, in cuius medio ſedens figura Dei. Alicubi & templum quatuor columnarum, in quo arca, circum quam quinque figuræ ſacrificantes; vel apud Ill. Virum Ez. Spanhemium ſeptem figuræ ante aram. Ludi autem facti ſunt decem, ipſis numis diſtinguentibus, credo pro numero ſæculorum peractorum. Itaque magnam anni partem occupaſſe arbitror, & ſimul in annum millenarium ſeu vltimum ſæculi præcedentis & primum noui incidiſſe, ita vt annus eiuſdem Conſulatus & ſæcularis eſſet & ſæculi noui partem faceret. Nam ex Varronis calculo annum vrbis conditæ inchoabat XXI. dies Aprilis. Quamquam multa hic diſcutienda eſſent, ſi locus & tempus paterentur. p. 15.

Plerique ludos Philipporum ſæculares fuiſſe penultimos arbitrantur, vti poſtremos fuiſſe conſtat, quos Honorius fecit; Onuphrius lib. de ludis ſæcularibus, ſcribit viſum ſibi Venetiis numum vbi GALLIENVS. AVG. & in auerſa parte SAECVLARES. AVG. cum figura cerui. Mirum (ſi genuinus fuit) rem hiſtoricis præteritam, niſi huc referenda Decennia, quæ noua ſpecie pomparum, nouo ludorum genere celebrata Trebellius Pollio narrat, quos potuit ipſe vaniſſimus Princeps, neſcio

nescio quo computandi commento, interpretari sæculares, licet in annum V. C. 1016. incidissent, qui est Christi 263.

Zosimus memorat, Constantino & Licinio III. Coss. populum ludos sæculares frustra expectasse, quod tunc inde a Seuerianis præteriissent anni céntum & decem. Et cum centesimus post millesimum p. 16. Vrbis annus aduenisset Rufino & Eusebio, & post Philippo & Salea Coss. Aurelius Victor, qui tunc vixit, queritur, nullis eum solennibus frequentatum excessisse, adeo, inquit, *indies cura minima* (an? *minuitur*) *Romanæ* Vrbis. Tandem Honorius anno V. C. 1157. Christi 404. ducentis annis a Seuerianis, ludos sæculares qualescunque fieri permisit, quod laudauit Claudianus in de sexto Consulatu Honorii, at Prudentius contra Symmachum scribens culpauit. Isque horum ludorum finis fuit, Vrbe ipsa non multo post capta, ac postremo ab Imperatoribus prorsus deserta.

Ex his intelligitur, non posse stare Viri docti sententiam, cuius Dissertatio nobis huius disquisitionis occasionem præbuit, qui sæculum annis centum vnice astrinxit, cum Quindecimuiri, & qui eos sunt secuti, quos inter est Onuphrius, magis centum & decem probarint, ac ne hi quidem numeri accurate semper sint obseruati. Nunc ostendemus nec nouum sæculum semper ita acceptum, vt alligaretur ad annum noui centenarii primum, eiusque non alios quam ipsos numos testes inducemus; quorum aliqui sub Deciis & paulo post percussi sunt. Hos omnes Dissertator eruditus anno V. C. 1001. cusos sese ostensurum promittit; quod tamen quomodo stare possit, non video. Nam etsi quis contendat, Philippos fuisse trucidatos illo ipso anno 1001. quo nouum sæculum in numis ostendunt, & eo ipso adhuc anno Decium factum p. 17. Imperatorem eiusque coniugem Etruscillam (in cuius numo itidem noui sæculi mentio est) Augustam; certe effici non potest, vt Gallus & Volusianus eodem ipso anno auspicati principatum dicantur, quorum tamen numi nouum sæculum itidem habent; cum Decium vltra biennium regnasse constet. Sane post duos Philippos postremum Consules Fuluius Æmilianus & Vettius Aquilinus Consulatum iniuere: postea Decius & Gratus, inde Decius & Q. Etruscus Cæsar eius filius. Decio autem sub exitum anni occiso tum demum Gallus cum filio Volusiano successit in imperio & consulatu.

Sed

Sed ad hos ipſos numos veniamus, ex quibus duo deſcribuntur a Joanne Valentio, egregio noſtri temporis numiſmatographo. In vno eſt C. VALENS. HOSTIL. MES. QVINTVS CAESAR (qui vnus ex Decii filiis fuit) in altero HERENNIA ETRVSCILLA AVG. in vtriuſque auerſa parte: SAECVLVM NOVVM & figura Dei ſedentis in templo, quod octo Columnæ ſuſtentant. Hanc fuiſſe vxorem Decii non videtur dubitandum, nam & numus repertus, cuius eadem facies Decium & Herenniam Etruſcillam Auguſtam præferebat. Equidem Onuphrius alium protulit, in quo ab vna parte Hoſtilius Etruſcus Auguſtus, ab altera Herennia Etruſcilla. Itaque Hoſtilium Decii generum putat, Etruſcillam filiam; ſed vnde & Hoſtilio nomen Etruſci, ſi extraneus fuit? Alii malunt Hoſtilium filium Decii cum ſorore in numo intelligi; ſed quid ſi occiſo patre & Auguſti nomen geſſerit & matrem in eodem numo honorarit. Zoſimus ſane alterum ex Decii filiis patri p. 18.
ſuperſtitem vult, & a Treboniano Gallo adoptatum, qui cum Voluſianum filium Auguſtum faceret, potuit & nurus fratrem ferre, ſi recte coniiciunt, qui filiam Decii Voluſiano nuptam credunt. Denique tres Galli numos exhibet Biragus, vbi ſæculi noui mentio, inſcriptos: IMP. C. C. VIB. TREBONIANVS GALLVS. In altera parte eſt SAECVLVM NOVVM, figura, quæ ante, niſi quod templum modo ſex, modo octo Columnis ſuſtinetur. Vnus eſt in muſeo Ill. Dauiæ, alium exhibet Valentius, tertium in Muſeo habebat Biragus ipſe; quemadmodum & idem habebat numum eiuſdem figuræ ſub epigraphe noui ſæculi; ſed vbi iconi adſcriptum: IMP. C. C VIB. VOLVSIANVS AVG. Ex quibus omnibus apparet, Imperatores aliquot annis primum noui millenarii annum ſequentibus, adhuc nouum ſæculum celebraſſe.

Quid ſit GLORIA NOVI SAECVLI in numo Gratiani (neque enim vſpiam legitur) variant interpretes. Diſſertator noſter ſententiam ſatis dixit: neſcio quem Gratianum Auguſtum voluiſſe primum noui cuiuſdam ſæculi annum inſigniri metallo ad poſteritatem: Sed tamen neque Gratianum ſuum, neque Epocham ſæculi ſatis deſignat, ſaltem in Excerptis ſuæ diſſertationis, quæ extare permiſit. Sed cum Gratianum diuerſum ab eo fateatur, quem hactenus nouit litteratus orbis, ipſe ſatis in ſe ipſum dixiſſe videri poteſt. Triſtanus & Begerus viri docti p. 19.

Labari argumento, quod Christi nomen contractis litteris signat, Gloriam noui sæculi Gratiano intellectam, putant esse Christianam religionem iam sine controuersia triumphantem. Quod vti præfracte reiicere non ausim, ita optarem tamen peculiari aliquo argumento ex gestis sub Gratiano rebus adiuuari. Labarum certe iisdem litteris inscriptum passim aliis triumphis, aliis causis adhiberi constat. Vt in Valentiniani, Valentis, Maximi numis, quos exhibet ipse Cl. Begerus, vt alios taceam, vbi legitur, Restitutio Reipublicæ; Gloria Romanorum; Victoria Augg. aliæque id genus. Neque vero admodum necesse est proprietatem verborum rigidius exigere, præsertim a Gratiani æuo. *Potest Gloria noui sæculi esse noua & melior facies rerum ex insigni aliquo euentu vel parta vel sperata.* Passim sæculum pro tempore aut temporis habitu accipi constat. Vt cum genium sæculi dicimus; cum Tacito corrumpere & corrumpi sæculum vocatur, quod hodie dicunt la mode. Et sæculum aureum legitur in Hadriani numo, vbi figura stolata stans in circulo sinistra globum fert, cui aquila insistit vel phœnix. An quisquam ibi centenariam periodum quæret? Quid sæculum frugiferum, fœcundum? quod toties legitur in numis, veluti Commodi, Pertinacis, Albini Posthumi; vt annonæ prouentus & rerum vitæ necessariarum abundantia memoraretur. Hæc de sæculo aut nouo sæculo ex numis vtcunque libata, sufficere hoc loco possunt, plura dabunt qui argumentum professa diligentia tractauere, vt Taffinus olim in Libro de anno sæculari edito, qui Ludos sæculares post Onuphrium digessit, & multi nuper, qui quæstionem de vero sæculi nostri initio tanquam grauem agitauere.

p. 20.

Nunc tollendus est scrupulus alter, quem Numi nostri Erudito Dissertatori iniecere, is est in ipsa iconis Gratiani inscriptione, quam ita habere diximus: D. N. GRATIANVS AVGG. AVG. Dissertator ita legit: AVG. G. AVG. Sed punctum inter AVG & G nusquam reperisse memini; vereorque vt in iis extet numis, quos ipsi vidit, Etsi alicubi apud Autores interuallum aliquod interiectum à Chalcographo fauere tantulum videatur. Ipse ita explicat, vt Gratianus dicatur *Augusti Gener Augustus* vt *Tiberius Diui Augusti Filius Augustus.* Et quia alicubi in altera facie Gloria Romanorum legitur, figuraque adiecta est militis captiuum trahentis, concludit, paulo promptius opinor, quam res ferat,

ferat, Gratianum illum, quisquis est, filiam Augusti & nomen victoria parta meruisse. Ego quidem fateor passim negligi distinctiones & puncta, sed facilius suppleremus hoc loco, si alias gener aliquis Augusti haberetur in numis. Neque ideo tamen esset nobis a cognito hactenus Gratiano recedendum. Nam si extaret distinctio, vel si Gener diserte diceretur, verisimillimum foret dicere Gratianum ducta filia Constantii posthuma Flauia Maxima Constantia generum defuncti licet Augusti sese in numo libenter tulisse, quod gloriosum duceret Constantinianae familiae per matrimonium innecti. Nam vt Ammianus Marcellinus ait lib. 21. cap. 15. *Constantius Faustinam vxorem praegnantem reliquerat, vnde edita est posthuma eiusque nomine* (Constantia) *appellata, cum adoleuisset motrimonii iure copulata est Gratiano.* Ex eodem discimus (l. 16. c. 7. & 9.) Procopium, qui contra Valentinianum & Valentem purpuram sumserat, filiam Constantii infantem cum Faustina matre per Asiam circumduxisse, vt homines sibi conciliaret. Oppresso Procopio, puella deinde Gratiano desponsata est, ad quem cum nuptura duceretur, pene à Quadis intercepta est, vt idem narrat lib. 29. c. 6. p. 21.

Quod factum anno aerae Christianae 374. Ad eum ergo vel proximum aliquem annum referendus esset Gratianus Augusti Gener Augustus, si hunc sensum numo daremus. Nec qualiscunque tunc materia defuit Gloriae Romanorum; nam praeterquam quod non statim par verbis res quaerenda est ex numis adulatoribus, cum victorias, cum pacem vbique, cum restitutionem orbis crepant, cum ex musca elephantum faciunt; constatque interdum in augurium futurae victoriae numos cusos: sane tunc praeter Quados, etiam Sarmatas victos repressosque ibidem memorat Ammianus Marcellinus, quo narrante *Dux Moesiae Theodosius iunior prima etiam tunc lanugine iuuenis, princeps postea perspectissimus, Sarmatas liberos ad discretionem seruorum rebellium appellatos, collimitia Romana inuadentes, oppressit & veniam petere coëgit; eo maxime timore perculsos, quod ad tutelam Illyrici, Gallicani militis validum accesserat robur.* Nempe quia (vt ex eodem scriptore constat, libro sequente c. 4.) cum Macriano Alamannorum Rege pacem pepigerit Valentinianus Gratiani iuuenis pater. De Scythis liberis & seruis nota est Herodoti narratio, & vestigia discriminis nunc quoque in nominibus loco- p. 22.

rum extare notauit, cum legatione pro Batauis apud Moſcos fungeretur, vir Ampliſſimus Nicolaus Witſen, vt ex ipſius litteris didici; qui non contentus multam lucem rebus Scythicis attuliſſe edita charta Geographica inſigni, qua quicquid Tanain & Seres interiacet, mirifice illuſtratur, librum nos etiam plura declaraturum ſperare iubet.

Sed quia Generum Auguſti Auguſtum in numis legi inſolens, nec diſtinctione vſpiam iuuatur lectio, non auſim fidere huic interpretationi etſi non omnino ineptæ. Sunt ergo, vt celeberrimus Morellus ſignificauit (quamuis ipſe non probat) qui volunt AVG. G. AVG. ſignificare *Auguſtos & Auguſtum*, Auguſtos ſcilicet binos ſeniores, Valentinianum & Valentem fratres cum Gratiano iuuene Principe; vel extincto *Valentiniano* patre *Valentem* Gratianumque cum puero Valentiniano; vel deniq; Gratianum & Valentinianum fratres, cum Theodoſio poſt Valentem extinctũ in ſocietatem purpuræ ob virtutem & res bene geſtas aſcito. Sed hæc interpretatio, qui conſiſtere cum ceteris verbis poſſit non video.
p. 23. Subſtituto enim interpretamine pro compendio verborum, prodiret dominus noſter Gratianus Auguſti & Auguſtus, quod ineptũ eſt. Secus foret, ſi legeretur *Concordia Augg. Aug.* vel ſimile quiddam; tum enim intelligere liceret *concordiam Auguſtorum Auguſtique*. Itaq; vna ſupereſt tolerabilior interpretatio, etſi nec ipſa incomodis careat, vt ſenſus ſit: *Dominus noſter Gratianus Auguſtorum Auguſtus*; quod præter Biragum probat etiam ipſe Andreas Morellus numariæ eruditionis promus condus, cui ſatis vitæ viriumque precabitur, quiſquis hæc ſtudia amat, vt maximum opus regioque fauore dignum cogendæ in vnum omnis antiquæ numorum gazæ, quod aggreſſus eſt, multumque promouit, feliciter abſoluat. Nempe cum Valente extincto Theodoſium Auguſtum Gratianus appellaſſet, vt haberet, quem opponeret Gothis, quorum immenſa multitudo cis Iſtrum recepta à Valente, iam Romanum Imperium vltimo diſcrimini admouerat; tunc erat ſane Gratianus caput Auguſtorum, nempe Valentiniani fratris adhuc pueri & Theodoſii, quem fecerat ipſe. Et cum numi noſtri omnes Conſtantinopoli ſint cuſi, ſaltẽ ſi credimus receptæ explicationi verborum TCON vel CON, fieri poteſt, vt Theodoſius ipſe ſuam in autorem ſupremæ fortunæ ſuæ obſeruantiam inaudito quidem antea, non prorſus abſurdo tamen Elogio Auguſtorum Auguſti orbi teſtatam facere ſua grati-

tudine

tudine dignum putarit. Id enim pene malim, quam iuſſu Gratiani numos ſignatos, ſuperbiſſimo (vt Biragus agnoſcit) titulo ſumto, & quem certe nec Diocletianus admiſerat, qui ſe dominum & Deum ferebat, ſenior Auguſtus, pater atque autor tot Auguſtorum. p. 24. Gratianum autem ingenio fuiſſe moderato ac minime ſuperbo, ex æqualium ſcriptorum teſtimonio conſtat. Ammiano dicitur, præclaræ indolis adoleſcens, facundus & moderatus & bellicoſus & clemens ad æmulationem lectorum progrediens principum. Vnum in eo culpat, quod ſeria iocis ſæpe poſthaberet, qua deinde negligentia Maximum in perniciem ſuam armauit. Ambroſius Orat. in ob. Valent. pietatem eius extollit iam defuncti, cum minor adulationis ſuſpicio. Sed nihil etiam prohibet rei monetariæ curatores inconſultis principibus numis inſcripſiſſe, quicquid viſum erat.

Obiter hic notaſſe operæ pretium erit, ternos ſimul cum Gratiano vixiſſe Valentinianos, patrem, fratrem & conſobrinum Valentis filium: ſolum autem fratrem in numerum Auguſtorum hoc loco venire poſſe, ſi Gratianum Auguſtorum Auguſtum interpretemur. De patre res per ſe conſtat. Hoc enim viuo, etſi Auguſtus iam Gratianus, tamen minor patre Auguſto fuit. Extincto ſeniore Valentiniano iunior ſubrogatus eſt eius filius ſtudio militum. Gratianus abſens, vt moderato ingenio erat, probauit factum, & fratrem puerum pia cura educauit, cuius Ammianum teſtem habemus. Porro is, cum patre amiſſo uguſtus factus eſt, quadrimus erat (ita Ammianus & Victor;) vel, ſi oſimum ſequamur, vix quinquennis. Contigit autem Valentiniani ioris mors anno Chriſti 375. Quomodo ergo Themiſtius in Oraone XI. ad Valentinianum iuniorem paulo ante tyranni Procopii exi-m natum ſcripſit, qui contigit anno Chr. 366. quo anno natum dixe p. 25. Idatius in Faſtis & Chronicon Alexandrinum? Et quomodo anno 69. Conſules Valentinianus & Victor (qui Sextus Aurelius Hiſtoricus) emorantur in Faſtis? Onuphrius, cum intelligeret hunc annum non adrare in Valentinianum Gratiani filium, ex antiquo lapide introduit quendam Julium Felicem Valentinianum; ſed non legerat ſcilicet eam, quam citauimus, Themiſtii Orationem, qua ille ipſe iunior Valentinianus Conſul Victore collega ſcribitur. Itaque Hadriano Valeſio aſſentior, qui ſtatuit Valentinianum anno 366. natum, anno 369. Conſulem,

 ſulem,

ſulem, non Valentiniani ſenioris, ſed Valentis filium fuiſſe; Cui adeo non mirum Orationem ipſis Calendis Januariis dixiſſe Themiſtium Conſtantinopoli Conſulatum ineunti, quorum nihil in Gratiani fratrem cadit, qui poſtea conſul anno 376. non Conſul iterum dictus eſt, ſed tunc primum fuit. Valenti autem filium fuiſſe, ex Hiſtoria etiam Eccleſiaſtica diſcimus. Narrant enim Cæſareæ in Cappadocia agentem, cum Epiſcopum loci Baſilium Magnum in exilium pellere vellet, filio in febrem incidente ſuſtinuiſſe decretum, & ad viri ſancti preces confugiſſe, ſed fruſtra, quod ab Arianis ſe disiungere nollet. Hæc Gregorius Nazianzenus Orat. de laudibus Baſilii, & Socrates libr. 4. c. 21. & Theodoretus l. 6. c. 19. Nam quod Socrates puerum Galaten dictum ſcribit, nihil prohibet Valentiniani nomen potius fuiſſe, tanquam conueniens Romano principi & familiæ, quam ornare debebat. Quanquam nihil aliud quam Conſul fuit. Nam non multo poſt morte præreptum ipſa rerum ſeries probat. Sed ad numos noſtros reuertamur.

p. 26. Diſſentit de loco officinæ, in quo numi percuſſi, doctiſſimus Diſſertator. Nam pro certo habet, (vt ſupra tetigimus) omnes numos Gratiani (exceptis qui Siſciæ) in Gallia eſſe percuſſos, quod miror: ſunt enim, in quibus MD. OB. vel MD. OBS, id eſt Mediolani, & ANT. A. id eſt, Antiochiæ, extantes apud Occonem; & AQPS. vel SMAQ, id eſt, Aquileiiæ percuſſ. aut ſign. mon. Aquilei. apud Ducangium, quæ Cl. Diſſertatoris attentionem effugiſſe oportet. Vnde ipſi TCON vel vt alicubi legit CONT (pro quo ego tamen patius CON * videre mihi viſus ſum) eſt *Tributum Ciuitatum Omnium Narbonenſium.* Hanc interpretationem non facile aſſenſum inuenturam puto apud eruditos. Nam præterquam quod plane noua eſt & paradoxa, nullo alio argumento iuuatur, quam quod quadrant initiales litteræ, quo ſolo ſi nitare, quoduis facile ex quouis facias. Carolus Dicangius vir eruditus indiculum dedit notarum, quæ in Imperatorum Chriſtianorum numis leguntur, cum interpretatione breui. Ibi TCON ipſi idem eſt quod PCON, vel PCONST. percuſſa Conſtantinopoli. Vti TAR. pro PAR. vel PARL. vel SAR. SARL. percuſſa vel ſignata Arelate, & TT. pro PT. percuſſa Treueris, vel pro ST vel STR & SMTR. Signata moneta Treuiris. Alii malunt TutA (nam & ACON legunt) notam monetarii eſſe. Sane CON nuſpiam

nuſpiam in numis ante Byzantium in Conſtantinopolim mutatam occurrit. Habetur quoque COM & CONOB & KONOB & COMOB, id eſt Conſtantinopoli obſign. vel Conſt. Mon. obſign. Habetur & p. 27.
CONS & CONST & CONSP, CONA & CONT & CONE. Vt AROB Arelate obſign. & AQS Aquileiæ ſign. & PAQ percuſſa Aquileiæ, & ASIS vel ATREV id eſt, Siſciæ, Treueris, *vbi A nota monetarii forte aut monetaria officinæ*, quæ & per OF. II. OF. III. in noſtris ipſis numis diſtinguuntur, aut vt ANTA vel ANTB, ANTT, Antiochiæ A, B, vel Γ, vt paulo ante Conſtantinopoli. Eſt tamen cur agnoſcam, quoſdam numos, vbi *CON, legitur, reuera Conſtantinopoli cuſos fuiſſe*, quales, quos in Theſauro Brandenburgico exhibet Cl. Begerus, vt Priſci Attali & Jouini Tyrannorum ſub Honorio, quorum illum Alaricus Rex Gothorum, hic ſe Auguſtum fecit, ambo mox capti & Honorio oblati. In amborum numis CONOB, vt in Johannis numiſmate COMOB, qui ſe Honorii ſucceſſorem fecerat; qui omnes Orientis Imperatoribus aduerſarii. Cl. *Begeri coniectura eſt, aliam intelligendam Occidentis vrbem, cui initiales litteræ* CO. ſed nuſpi amtalis comparet, præſertim vbi ſignati numi; & initiales aliquando ſunt non CO tantum, ſed & CON. *Quid ergo, ſi dicamus affectaſſe hos Principes vel Tyrannos Conſtantinopolitanæ officinæ ſpeciem, ſiue ſpe approbandi ſeſe Orientis principibus, vel populis certe ea ſpe lactandis?* Idemque ſuſpicor de Momuli aut Momylli Auguſtuli numis, vbi plerumque CON. OB. De numis vero Regum Francorum, qui Juſtiniano erant fœderati, ambigo, vbi aut quo- p. 28.
rum iuſſu percuſſos dicam, nam & ibi CONOB. Nemo autem ſibi, credo, perſuaſerit, ciuitates omnes Narbonenſes in Attali aut Johannis aut Auguſtuli numis locum habere poſſe. Et cum iam omnem Galliam Wiſigothi aut Franci aut Burgundiones tenerent; non ideo minus CON & CONOB vel COMOB legitur in Cpolitanorum Imperatorum numis, etiam Tiberii, Mauritii, Phocæ, Heraclii. Sic in numis Conſtantis Auguſti, Heraclio iuniore Auguſto nati, apparet iam CONOB, iam ROM, iam RAV ſeu Rauenna.

Ceterum, omnibus inſpectis, fateor me adhuc ambigere, quid ſibi velit AVGG. AVG. *Inclinarem in Auguſtorum Auguſtum*, eo quem dixi ſenſu, cum ſcilicet Gratianus caput Auguſtorum fratri Valentiniano

puero

puero Theodoſium Auguſtum Sirmii adieciſſet; niſi obſtaret duplex numus apud Occonem Biragi, vbi D, N. GRATIANVS AVGG. AVG. & ab altera parte VOT. X. MVLT. XX.

(ANT. A.
(S. M. K. Ex quibus apparet alterum Antiochiæ percuſſum, alterum *Karthagine, an Kyzici?* vt ſenſus ſit: *Sacra Moneta vel Signata Moneta KART vel KYZ.* Sane *KA aut KE* Carthaginem non raro deſignare cenſetur in numis. Porro annus numi fuerit Gratiani decimus: votis decennalibus ſolutis & in aliud decennium nuncupatis. Sed eo tempore viuente adhuc Valente ſeniore Auguſto incredibile eſt Antiochiæ, in ipſo Oriente, vbi ipſe Valens rerum potiebatur atque etiam tunc
p. 29. degebat, pudendum ipſi numum fuiſſe cuſum, quo ſe Gratiano ſummiſſum profiteretur. Nec facile ſibi perſuadeat quiſquam, viuo patruo etiam in Occidente tam inſolentis ſuperbiæ titulum Gratiano aſcriptum. Quod ſi ergo nullus error in deſcriptione numi, neque diuerſæ facies inter ſe copulatæ ſunt, renuntiandum puto Auguſtorum Auguſto, & vel confugiendum ad Auguſti Generum Auguſtum (nam tunc iam Conſtantii filia erat Gratiano nupta) vel, ſi Auguſtos & Auguſtum interpretamur: Auguſtos quidem Valentem & Gatianum; Auguſtum vero Valentinianum puerum Gratiani fratrem; agnoſcendum eſt, inepte locutos monetæ curatores; vel denique fatendum, ſubeſſe aliquid nobis non intellectum. Vnde tamen nemo iure colligat, neſcio quem Gratianum, antea inauditum, eſſe nobis admittendum. Nam, vt alias interpretationes non repetam, Gratianum extincti dudum Auguſti generum ſe in numo dicere, diſſentiente licet Clmo Diſſertatore, credibilius facit partum ipſi ea cum Conſtantiniana domo affinitate decus, vt ſupra iam annotatum eſt. Itaque neque quod dicamus deeſt, & licet deeſſet, ignorantiam noſtram in re tantula, & erroribus monetariorum illo præſertim æuo tam obnoxia, ſalua receptæ Hiſtoriæ auctoritate, profiteri nobis fas vtique foret. Sed ſi qua olim in Numiſmatibus Pruſſiæ Regum aut Brandenburgicorum Principum Gloriam noui ſæculi legere debet poſteritas, & (quod ego quidem ſuaſerim) talibus
p. 30. verbis hodie Friderici inclyti Regis numi quidam ſignentur, non eſt, cur aut in cauſa inſcriptionis aut in tempore obſcuritatem aliquam futuro-

turorum Criticorum controuersiis obnoxiam vereamur. Adeo noui regni tam singulare initium ipso temporis charactere memerabile, in omne æuum, qua fas erit mortalibus, duratura Historiarum monumenta transmittent.

XXVIII.

ANONYMI EPISTOLA
AD AMICVM
Quendam de explicatione numismatis
GRATIANI,
Memoriis præcedentibus* inserta.

E Memoriis Triuultianis M D C C I. Jul. & Aug. p. 101. seqq.

AD quæstionem a Te, Vir honoratissime, mihi propositam, quæ sit mea sententia de explicatione numi Gratiani, priori tomo Memoriarum siue Commentariorum scientias & humaniores litteras spectantium inserta: eam eruditam esse atque ingeniosam respondeo; sed parum solida mihi illa videtur, & non inficiandis conuellenda argumentis. p. 101.

Vehementer quidem probo, historiam ex numis corrigi, sed meræ tantum coniecturæ haud sufficiunt oppugnandis historiarum monumentis. Nam ad negandam rem omnium veterum Historicorum auctoritate suffultam, non satis est argumenta afferre verisimilia, huiusmodi enim testimonium non nisi euidenti demonstratione refelli potest. Qua ratione fateor, quod Historiæ fides concedere numis debeat. Etsi non desunt, quæ argumenta ex numis petita suspecta reddere possunt aduersus communem consensum Historicorum, qui eadem ætate vel

 paulo

* Nempe Januar. & Febr. p. 74. seqq.

paulo post vixere. En Tibi exempla duo vel tria, quæ iam in mentem mihi veniunt.

Præsens Rex Galliæ, Ludouicus XIV. vnctus est anno 1654. septimo die mensis Junii. Nihilosecius cernuntur numi in hanc solemnitatem cusi, qui eam ad Maium reuocant, quique falsissimi sunt,
p. 102. quoniam vnctionis sacra contigit differri. Thalerum quendam lustraui, anno 1666. Vesontione signatum, in cuius altera parte Carolus V. Imp. equo insidens cernitur, addita inscriptione: CAROLVS V. IMPERATOR. Critici, post trecentos annos venturi, num ex hoc principio, quod numorum auctoritas Historiarum monumentis præferri debeat, recte vitii arguent illa vniuersa, contendentque vnctionem Regis mense Maio esse factam, ac Carolum V. anno 1666. Vesontionensibus imperasse. Hoc vero si facerent, ignorarent scilicet dilationem coronationis Regiæ, non perspectum haberent priuilegium ciuitatis Vesontinæ, quo illi integrum fuit imagine Caroli V. numos suos signare, quamdiu subiecti fuerunt Domui Austriacæ, itaque aduerso licet numorum testimonio omnes hi Critici falsi essent, sed ab Historiarum monumentis staret veritas.

Alium asseruo aureum numum Reip. Genuensis, in quo nomen Conradi Regis Romanorum cernitur, ducentis iam annis post obitum huius Principis signatum, sæculo scilicet decimo quarto. Alius adhuc cum nomine eiusdem Conradi anno 1502. cusus est. Hæc tempora si a nostris æque remota essent ac Cæsaris, & eiusmodi numi hodie inuenirentur, quot oborirentur difficultates illis, qui numorum auctoritatem omnibus aliis præferunt? Patet igitur, quanta cura ac sollicitudine historiarum monumentis corrigendis adhibenda sint numismata, præcipue cum de re agatur, de qua nulla est Historicorum dissensio.

Sed expositionem numi præsentis singillatim atque ordine examinabimus, facto initio ab aduersa eius parte, cuius hæc est inscriptio: D. N. GRATIANVS AVG. G. AVG.

Omnis difficultas in altero G consistit, quod contra testimonia omnium Historicorum *Generum Imperatoris* auctor interpretatur: *Domi-*
p. 103. *nus Noster Gratianus Augusti Gener Augustus.* Argumenta interpretationis huius caue ab eo requiras; nullum enim adducit, nisi quod me-

lius

lius afferri nihil queat. At enim ecce Tibi aliquid, ni fallor, veri ſimilius, expoſitionem nimirum litteræ G non magis coactam, hiſtoriæ vero adeo non contrariam, vt potius cum ea optime congruat. Exiſtimo itaque G illud ſignificare *Germanum*, atque lemma hoc modo legendum eſſe: *Dominus Noſter Gratianus Auguſti Germanus Auguſtus*. Sane Hiſtoria nos docet, Gratianum fuiſſe fratrem Imp. Valentiniani Jun. qui regni eum ſocium adſciuit. Perſuadeo mihi, quod ſi hiſce inſiſtere, nec vlterius conie&turis indulgere velimus, veram ac rectam eſſe meam ſententiam lectores conceſſuri ſint. Hac enim ratione numus cum hiſtoria conciliari poteſt, nec paradoxis dandus eſt locus, quæ ſummam ei confuſionem inducerent. Jam progrediamur ad auerſam numi partem eiuſque inſcriptionem GLORIA NOVI SAECVLI.

Contendit auctor interpretationis, quam in præſenti excutio, hanc inſcriptionem denotare numum primo auſpicantis ſæculi ſiue æræ alicuius anno ſignatum.

Hæc expoſitio, prima ſpecie haud improbabilis, nos ſtatim inuitaret ad concludendum, quod omnes Hiſtorici in hoc argumento nos fallant, qui Gratiani Imperium ab A. 375. ad annum vſque 383. collocant, ſpatium temporis, quo nec Aera Chriſtiana, nec nouum vrbis Romanæ ſæculum cœpiſſe reperitur. Quæ conſecutio nimis dura & incredibilis videtur; & neque ſcio an potius e contrario argumentandum ſit atque dicendum, quia omnes hiſtorici Imperium Gratiani Imp. longe citra quintum ſæculum collocant, itaque per verba: GLORIA NOVI SAECVLI non neceſſario primum noui ſæculi annum denotari. Mihi ſane hæc altera argumentatio priori non paulo veri ſimilior apparet, propter hæc non inficianda argumenta. In numis Etruſcillæ, p. 104. Imp. Decii vxoris, & Hoſtilii ipſius filii, Treboniani & Voluſiani, in vniuerſis inquam hiſce numis Sæculum Nouum occurrit. At Hiſtoricorum ſcriptis teſtatiſſimum eſt, iſtorum Principum Imperium minime initio noui Vrbis Romanæ Sæculi cœpiſſe, quoniam ex omnium conſenſu poſt Philippum Imp. regnarunt, qui, ipſis etiam teſtantibus numis, primo anno ab Vrbe condita ſæculi vndecimi rebus præfuit.

Auctor, vt notant memoriæ, huic obiectioni iam obuiam iuit in diſſertatione ſua, quæ integra non fuit inſerta: & contendit omnes

illos numos Etruſcillæ Decii vxoris, Hoſtiliani, Treboniani & Voluſiani, vna cum Philippi eiuſque filii numis vno eodemque anno ſignatos fuiſſe. E quo conſequitur, omnes hos Principes eodem, quo Philippus regnauit, tempore, fuiſſe Imperii conſortes. Sed pariter quoque conſequens eſt, eundem, vt ſententiam ſuam de Gratiano confirmet, quem inuitis omnibus Hiſtoricis initio noui ſæculi regnaſſe contendit, affirmare aliquid omnibus Hiſtoricis e diametro aduerſum ac repugnans, Decium ſcilicet, Trebonianum & Voluſianum Imperio eodem, quo Philippus, tempore præfuiſſe.

Quonam itaque ſenſu accipienda eſt inſcriptio numiſmatis Gratiani GLORIA NOVI SAECVLI, cum Princeps iſte patre adhuc ſuperſtite Auguſtus fuerit declaratus anno demum 367. atque non niſi poſt obitum Patris anno 385. regnare cœperit, vterq; autem annus neque in initium noui æræ Chriſtianæ, neque vrbis Romanæ Sæculi incidat?

p. 105. Equidem poteram varias hac de re coniecturas afferre, & alias inter, quam Harduinus mihi in libro ſuo de numis Herodiadum p. 67. ſuppeditauit; vbi docet, in more poſitum fuiſſe populis Orientalibus, vt in numis ſuis æras repeterent a variis Auguſtarum familiis. Sic æras fuiſſe Juliani, Auguſti, Claudiorum, Flauiorum, Aureliorum, Seueri & Diocletiani. Sed notaſſe ſufficiat, quod occaſione magnarum Gratiani victoriarum nouam ab iis æram ex adulatione inſtituerint, quam hæc inſcriptio GLORIA NOVI SAECVLI reſpicit, quodque adeo fuit æra Gratiani, vt antea Diocletiani aliorumq;, quos modo memoraui, Imperatorum, licet hæc ſtatim, vti & Diocletianea ceteræque, in deſuetudinem abiit. Equidem interpretationis auctor mihi obiiciet, omnes Gratiani numos Siſciæ eſſe percuſſos, atque ita morem Orientalium nihil ad noſtrum inſtitutum facere. Sed hoc nouum eius pronunciatum pernego, quod fundamento omni deſtitutus affirmare non dubitauit, nec vmquam probare queat.

Licet vero coniectura hæc mea de æra Gratiani non minus quam auctoris videri poſſit probabilis, haud magni tamen eam facio, ſed potius contendo GLORIAM NOVI SACVLI nihil aliud ſignificare, quam gloriam noui Imperii, quod ſæculum veluti nouum & feliciora tempora auſpicatur. Vox enim Sæculi pro quouis tempore generatim ſumitur.

tur. In eundem ſenſum inſcriptioni numiſmatis conuenientiſſimum Virgilius dixit:

Aſpera tum poſitis miteſcent Sæcula bellis.

Quod idem eſt ac ſi diceres, tempora futura ſunt magis tranquilla; neque aliud ſonat, quam quod in numis aliis legitur quam plurimis, REPA- p. 106.
RATIO TEMPORVM. Hac etiam ratione ex communi Hiſtoricorum ſententia intelligendum eſt SAECVLVM NOVVM in numis Etruſcillæ, Hoſtiliani, Treboniani, Voluſiani, qui initio ſæculi cuiuſdam minime regnarunt. Sæculi enim vocabulum pro vario tempore ac loco varia quoque & multiplici ſignificatione gaudet. Exiſtimo itaque, non aliud quicquam ſubtilius hoc loco requirendum; & vtcunque videri temerarium, hoc nomine omnibus veterum hiſtoricis bellum indicere. Hæc vero ſunt, Vir egregie honorande, quæ ad quæſtionem, a Te humaniter mihi propoſitam, dicenda habui.

XXIX.

Excerpta e Litteris Cl. GALLANDI

Ad Memoriarum auctores ſcriptis, de eodem argumento.

E Mem. Triuult. MDCCI. Jul. p. 106. ſeq.

Certiſſimum eſt, Illuſtriſſimum Focaltum, Præfectum primarium huius vrbis, primum ex duobus hiſce poſſidere numis, quorum vterque inſcriptione GLORIA NOVI SAECVLI in auerſa parte gaudet, cum ſubſignatis litteris TCON, in area vero nullis adſcriptis. Neque hos ſolos, ſed alios etiam duos idem aſſeruat, quorum alter itidem TCON & litteram N in dextra areæ parte exhibet, alter litteris CON ſubſignatus eſt & in ſtellula, cum litteris in area OFF. III.

 Secun-

Secundus cum eadem inſcriptione in aduerſa, in auerſa vero parte GLORIA ROMANORVM, e numophylacio domus profeſſæ Jeſuitarum Pariſienſium citatus, itidem duplicis generis in Cimeliarchio Illuſtriſſimi Focalti reperitur, hac tamen differentia: Area vnius habet lit-
p. 107. teras OFF. II. & in ſubſcriptione LVG. S. Alter in area eaſdem exhibet litteras, ſine S, cum dimidia luna, & puncto, inq; ſubſcriptione eaſdem litteras LVG. S.

Autor Diſſertationis, vti obſeruas, contendit, Gratianum non alibi quam in hiſce duobus numiſmatibus appellari *Auguſti Generum*, (ſecundum nempe ſuam litterarum AVGGAVG. expoſitionem) & pro certo ſimul ponit, alios non poſſe haberi, innixus putata quadam affinitate, cuius mentionem facit. Interim vero ecce tibi duos numos ex eodem Focalti gazophylacio, quorum vterque eadem inſcriptione in auerſa parte gaudet, a duobus prioribus diuerſa, vtpote SECVRITAS REIPVBLICAE, addita victoria gradiente, ſolemnemque coronam & palmam geſtante. In vtriuſq; area OFF. I. & in ſubſcriptione LVG. P. leguntur; in vno horum præter iam dictas litteras Luna etiam occurrit ſemiplena, & punctum in area. Quæ quomodo cum ſententia eius congruere queant, iudicio auctoris relinquo. Ego ſane profiteor, me nolle affirmare, quod haud alios cum inſcriptionibus in auerſa parte, quæ a tribus his diuerſæ ſint, inuenire liceat. Vltimi hi duo numi in Numophylacium Illuſtriſſimi Focalti illati ſunt poſt tempus, quo præcedentes auctor annotauerat. Illuſtriſſ. Focaltus, qui pro ſingulari ſuo ſtudio & diligentia nullum numum negligit, quo Cimeliarchium ipſius exornari poſſit, fortaſſe alios adhuc reperiet, quibus auctoris hoc de argumento ſententia magis infringatur.

Ceterum hi ſeptem numi, quorum iam memini, omnes pro inſcriptione in aduerſa parte habent: DNGRATIANVSAVGGAVG, litteris æqualibus, h. e. eiuſdem altitudinis & diſtantiæ & abſque punctis, quæ
p. 108. illas inuicem ſeparent, vt hic impreſſas videtis; quod in excerptis veſtris haud obſeruatum eſt: nam ibi litteræ ſic diſtinguuntur AVG. G. AVG. Minime hoc vobis imputo, perſuaſus enim ſum, quod auctoris manuſcriptum ſecuti ſitis exactiſſime, qui eandem inſcriptionem in opere ſuo A. 1697. edito meliorem exhibet, niſi quod alterum G. in AVGG. nimis a priori remotum ſit. Neutiquam ſane eiuſcemodi diſtantiam in ſeptem numis ſupra adductis obſeruo. Nihi-

Nihilominus tamen huic litterarum ſeparationi, tamquam fundamento, explicationem litteræ G per *Gener* auctor ſuperſtruxit. Nequaquam igitur adduci poſſum, vt huic ipſius opinioni ſubſcribam. Litteræ enim AVGG, in aliis numis quam plurimis obuiæ, ex communi omnium antiquitatis peritorum conſenſu *Auguſtorum* ſignificatione gaudent; quam etiam hoc loco retinendam duco. Si interroget auctor, qua ratione hanc explicationem cum inſequenti vocabulo AVG. conciliare potero? hac de re ſpero me ſuo loco dicturum, Deoque propitio ſententiam meam occaſione numorum Gratiani explicaturum, dum in ſelectis numiſmatis Imperatorum Cimeliarchii Focaltini pergo, quæ commentariis illuſtrata publico exponere inſtitui. Neque tamen Gratianum tunc aliquem producã, ab Imperatore ſub hoc nomine cognito diuerſum.

Neque litteram T in TCON per Tributum interpretabor. Auctori abſque dubio conſtat, quod in eiuſdem etiam ætatis numis aliis, Valentiniani ſcilicet ac Valentis, inueniantur PCON & SCON. Quæ cum ita ſint, videtur mihi, quod in explicatione trium litterarum P. S. T. reſpici debeat quædam conformitas, quam in expoſitione T per Tributum minime obſeruatam video. Neque adeo probo interpretationem CON, per Ciuitatum Omnium Narbonenſium. Mallem ingenue confiteri, p. 109.
ſenſum me illarum litterarum plane ignorare, quam earum interpretationem ratione deſtitutam afferre in medium.



XXX.

Anonymi nova expoſitio numorum GRATIANI,

De quibus ſupra dictum eſt.

E Memor. Triuult. MDCCII. Octob. p. 289.

POſſit videri temeritatis eſſe arguendus, qui nouam explicationem numorum Gratiani dare aggrediatur, de quibus tres iam Celeberrimi ſcriptores tam erudite diſſeruerunt. Cum tamen meæ in hoſce numos coniecturæ non infelices viſæ ſint viris quibuſdam

dam eruditis, precibus illorum persuasus, eas publico exponere hic ausus sum (a).

In Ammiano Marcellino atque Ausonio veram horum numorum expositionem me inuenisse existimo. Prior enim nos docet (b) quod Valentinianus Imperator *Gratianum filium suum adulto iam proximum* Augustum declarauerit, atque in hoc negotio morem receptum omnium Imperatorum, qui eum praecesserant, neglexerit, qui liberis suis non aliud, quam Caesaris elogium ac dignitatem tribuerunt. Memoriam itaque huius nouitatis haud dubie in numis, de quibus sermo nobis est, conseruare voluerunt. Cum enim Gratianus primus fuerit Augusti filius, qui nomen Augusti superstite patre gessit, minime mirandum est, quod hi duo tituli in numis ei tribuantur.

Hæc obseruatio ansam mihi præbuit coniiciendi, verba capiti circumscripta ita explicanda esse: *Dominus Noster Gratianus Augusto Genitus Augustus*. Non sine ratione *geniti* vocabulum hic *filio* prætulerunt. Eo enim ipso notare voluerunt, numum ab Augusto fuisse signatum, qui non adoptione, sed genere filius erat alterius Augusti adhuc viuentis.

Ausonius, Præceptor Gratiani, hac occasione Epigramma ele-
p. 292. gantissimum composuit, quod quartum est in editione Vineti.

Illyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus
Danubius lætum profero fonte caput.
Saluere Augustos iubeo, natumque, Patremque,
Armiferis alui quos ego Pannoniis.
Nuntius externo iam nunc volo currere ponto,
Vt sciat hoc superûm cura secunda Valens.
Cæde, fuga, flammis stratos periisse Sueuos,
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.

Quod

(a) *Consulto hic omisi verba auctoris, quibus eruditorûm de hisce numis sententiam comprehendit, quoniam illæ in præcedentibus iam allatæ sunt.*
(b) *Amm. Marcellinus lib. XXVII. Hist. p. m. 223. editionis Mariangeli Accursi, quæ prodiit Basil: 1533. & p. 487. edit. Hadr. Valesii Paris. 1681. fol.*

Quod si lege maris refluus mihi curreret omnis,
Huc possem victos inde referre Gothos.

Tertius versus

Saluere Augustos iubeo, natumque, Patremque

satis euincit, numum in memoriam huius nouitatis cusum fuisse, atque ipsis numis, quos hic explicare ausus sum, insignis commentarii loco inseruire potest.

Ex hoc epigrammate Ausonii apparet etiam, quod circa tempus, quo Gratianus fuit Augustus declaratus, Romanorum exercitus a Germanis, Sueuis insignes victorias reportauerit. E quo auersa facies horum numorum explicari potest, quorum nonnulli militem, alii victoriam præferunt.

Quod ad inscriptionem *Gloria Noui Sæculi* attinet, existimo, eam ex sententia R. D. esse intelligendam, quæ, si meam expositionem admittas, sensum adhuc conuenientiorem atque elegantiorem exhibet. Etenim post Constantinum Maximum nullus Imperator filium in regno successorem habuerat. Constantinus, Julianus, Jouianus, omnes improles diem obierunt, & Valens Orientis Imperator vnicum filium suum perdidderat. Vnde euidenter cernimus, quomodo Augusti duo, pater & filius, vnam eandemque sedem tenentes, atque Victores hostium imperii, securitatem Reipublicæ constituerint, quomodo *Gloria Romanorum* illi fuerint, & noua hæc familia Augusta nouum celebrauerit Sæculum, quod felicius sibi & imperio gloriosius fore putabant. Inde inscriptio nata: *Gloria Noui Sæculi.* p. 293.

Hanc expositionem meam vestro iudicio submitto. Quæ si placet, nouo argumento comprobabit, numos, qui historiarum monumentis aduersari credebantur, eosdem, si accuratius expendantur, noua argumenta suppeditari ad ea ipsa Historiarum monumenta confirmanda.

XXXI.

Explicatio numorum quorundam, in quibus notati sunt Ludi, quos Romani Imperatores populi dicauerant delectationi.

E Memoriis Triuultianis Anni 1701. *Jul. & Aug. p.* 88. *seqq.*

PRæsens diatriba ad nos transmissa, & occasione numi argentei, qui vnicus tantum exstat in cimeliarchio Illustrissimi Focalti, Præfecti Cadomensis, est composita. Auctor eodem tempore explicationem aliorum quam plurimorum numorum singularis raritatis addidit, quos nemo ante eum tam feliciter exposuisse videtur.
T.V. n. 7. Ille de quo hic agendum nobis est, altera parte sistit nudum caput Augusti, sed absque corona laurea, addito ad latus nomine AVGVSTI. Auersa facies legendas præbet hasce voces: CANINIVS GALLVS IIIVIR. In medio cernitur columna, cui hæc inscripta sunt verba:

CC
AVGV
STI

p. 89. Duplex istud CC crucem fixit antiquariis, nec, qui illud explicarunt, eruditorum adhuc expleuere desiderium. Vnde intelligi potest, sensum genuinum elicere nemini adhuc contigisse; in quo res se habet perinde vt in ænigmatibus recte euolutis. Vera expositio vna omnes reliquas excludit ac remouet. Sensus igitur siglarum, quem auctor huius Commentarioli proponit, hic est: CIRCENSES CÆSARIS AVGVSTI. Caninius Gallus triumuiratum eo tempore gerebat, siue vnus erat ex tribus magistratibus, qui hisce ludis, aut iuxta alios rei monetariæ præerant.

De hoc auctor nihil firmiter concludit, quia super hac re non inter-

intercedit controuerſia antiquariis in præſenti numo. Argumenta, quæ ad confirmandam ſuam ſententiam adducit, ſunt ſequentia:

I. Numus occurrit Auguſti itidem argenteus hac gaudens epigraphe: AVGVSTVS TR. POT. VII. In cuius auerſa parte columna cernitur eadem forma, qua in numo præſenti, adſcriptis hiſce verbis: IMP. CAES. AVG. LVD. SAEC. h. e. *Imperatoris Cæſaris Auguſti Ludi Seculares*; circum poſitis vero his: L. MESCINIVS RVFVS IIIVIR. Dextram verſus nota eſt adſcripta XV. & a ſiniſtra S. F. quæ ſignificant: *Quindecim-Vir Sacris Faciundis.*

II. Sic quoque in numis Philippi Imperatoris ſimilis obſeruatur columna, cui itidem inſcriptæ extant voces; SAECVLARES AVGG. *Seculares Auguſtorum*, h. e. Ludi ſub finem ſæculi a duobus Auguſtis, Philippis ſcilicet patre & filio, inſtaurati.

III. Exſtat adhuc numus ex ære minimi moduli Imperatoris Caii Cæſaris, cognomine Caligulæ, quem adſeruat auctor. In cuius aduerſa legitur: C. CAESAR DIVI AVG. PRON. AVG. h. e. *C. Cæſar Diui Auguſti Pronepos, Auguſtus*; & in medio galericulus ſiue pileus, nota libertatis Romanæ, cernitur. In auerſæ medio litteræ exſtant RCC, quæ ſignificant *Reſtituti Circenſes.* Ludi enim Circenſes primis Auguſti temporibus in vſu fuerunt; imperante Tiberio eiuſmodi editi non memorantur, certe minime in numis. Caius autem Cæſar eos reſtituit. Perinde autem eſt, ſiue duo CC ſiue vnum tantum reperiatur, ſufficit enim, ad indicandam vocem Circenſes; vti nonnulla numiſmata in ſubſcriptione habent ML, aliique MLL. ad denotandum *Mercatores Lugdunenſes.* p. 90.

IV. In nonnullis curioſorum cimeliarchiis elegans cernitur numus Imperatoris Hadriani æreus maximi moduli, cum hac epigraphe in auerſa facie: ANN. DCCCLXXIV. NAT. VRB. P. CIRC. CON. h. e. *Anno DCCCLXXIV Natali Vrbis, Plebeii Circenſes Conſtituti.* Sic quoque in numo quodam Neronis legitur, qui penes auctorem eſt, CERT. QVINQ. ROM. CON. *Certamen Quinquennale Romæ Conſtitutum.* Occo ſane p. 121. in Miſcellaneis alium huic ſimilem allegat, in quo inuenit CONST. Horum Circenſium ludorum, populi gratia conſtitutorum, in Plinii hiſtoria mentio occurrit: *Apud priſcos Plebeiis Circenſi-*

censibus. Imperator igitur Hadrianus nouos annuos instituit celebrandæ diei fundationis Romæ, 21. scilicet Aprilis. Hinc in veteri quodam Calendario, quod P. Boucherius Jesuita Belgicus, vir apprime eruditus, in libro *de Doctrina temporum* cum publico communicauit, in mense Aprili XI. Kalend. Maii legitur: N. VRBIS. C. M. XXIIII. h. e. *Natalis, Vrbis: Circenses: Missus XXIIII.* Asconius quoque Pedianus notis in secundam Ciceronis contra Verrem Orationem horum ludorum Circensium, populi gratia restauratorum, hunc in modum meminit, vnde numus Caii Cæsaris supra allatus explicari fortasse potest: *PLEBEII*, inquit, *ludi, quos exactis Regibus PRO LIBERTATE plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis post secessum in Auentinum.*

p. 91.

V. Denarius centesimus aut ducentesimus, quem nonnulli in hisce literis CC. siue R. CC. numismatis Caii Caligulæ inuenisse se contendunt, quoniam historici quidam de centesimo aut ducentesimo denario locuti sunt, neutiquam sane in aliquo numo inuenitur. Vsque ad imperium Justiniani quadragesimus tantum denarius obseruatus est, qui ex certis mercibus colligebatur sub primis Imperatoribus; ac sub Gallieno vigesimus, aut vnus & vigesimus.

Hæc omia nobis produnt, incolas in Provincia Imperii Romani, quæ Gallia Narbonensis vocata est, in qua auctor contendit plurima numismatum latina, quæ nobis de Imperatoribus restant, cusa esse, magna cura prospexisse, vt suis in numis Principum imprimerent res gestas etiam quam minimas, quæ illorum historiam exornare possent, & vel exigua testimonia beneuolentiæ, quibus prosecuti erant suos subiectos, quia etiam ludi, ad populi delectationem instituti, in illis signarunt. Existimabant enim, sui esse officii, hanc animi grati significationem Principibus conseruare; siquidem non indignum maiestate sua illi iudicarent, ad curas adeo exiguas sese deprimere. Iuuenalis denique studium Populi Romani erga ludos Circenses felicissime perstrinxit, dum ait:

Duas tantum res anxius optat,
Panem & Circenses.

XXXII.

LITTERÆ
Cl. GALLANDI
AD AMICVM

Perſcriptæ de numis nonnullis antiquis, in quibus ludi notati exiſtimantur, quos Romani Imperatores in delectationem populi ediderunt.

E Memor. Triuult. MDCCII. Sept. p. 225.

NEſcio, Vir egregie, an Tibi, cum in præcedentibus Memoriis menſe Julio atque Auguſto An. MDCCI. p. 88. numum Auguſti argenteum vidiſti e cimeliarchio Focaltino, cum explicatione vulgatum, in mentem venerit, me quoque eundem numum fuiſſe interpretatum, cum ſelecta eiuſdem cimeliarchii numiſmata illuſtrare aggreſſus ſum, cum conſtet Tibi, omnes iam me huius Imperatoris numos, qui ad propoſitum meum faciunt, explicaſſe, fierique poſſe, vt alia longe de illo numiſmate mea ſit ſententia. Recte profecto hoc ita in mentem tibi venerit. Neutiquam certe eiuſmodi numum, qui haud alibi quam in cimeliarchio Focaltino reperitur, omittere potuiſſem, vt non ſimul proderem ſingularem iudicii imbecillitatem, & tanti pretii numo præterito in famam huius Numophylacii, quam merito ſuo ſibi comparauit, iniquus fuiſſem.

Veriſſimum porro eſt, quod explicationi meæ cum nupera illa non conuenit, cuius auctor litteras CC AVGVSTI paruæ columnæ inſcriptas per *Circenſes Auguſti* exponit. Quæ interpretatio ne quidem in mentem mihi venire potuit hanc ſcilicet ob cauſam. Cum notas in inſcriptionibus numorum, alibique obuias explicare inſtitui, cum primis operam do, vt prius intelligam, num etiam in aliis inſcriptionibus eædem reperiantur, quamque ibi expoſitionem admittant. Si p. 226.

 vero

vero mihi fuiſſem imaginatus, primum C in paruæ huius columnæ inſcriptione *Circenſes* poſſe ſignificare, fruſtra inquiſiuiſſem huius notæ exempla. Nam hoc vocabulum ſemel tantum in fine decurtatum occurrit per CIRC. in numo Hadrianeo; neque vſquam, vt exiſtimo, alibi. Hinc ſatis liquet, auctorem interpretationis memoratæ ex ſuo ingenio priuataque auctoritate primum C in CC AVGVSTI per *Circenſes* explicaſſe. Videbimus etiam paulo poſt, quod argumenta quinque ab eo allata ad confirmandam ſuam ſententiam nihil minus confirment, quam quod ille quidem ſibi perſuaſit.

Ceterum eaſdem ſiglas ita ſum interpretatus. Nomen *Auguſti* tamquam ducem ſecutus exiſtimaui, duplex C puncto inuicem ſeparatum, vt in numo accurate delineato perſpicue cernitur, ſignificare atque explicandum eſſe: *Caii Cæſaris Auguſti*. Quam meam ſententiam teſtimonio Suetonii confirmaui, qui ſub initium vitæ Auguſti nos docet, Imperatorem hunc, antea in iuuentute *Thurinum* vocatum ob cauſam, quæ ibi affertur, ſed a præſenti loco aliena eſt, poſtea *Caii Cæſaris* & deinde *Auguſti* cognomen adſumſiſſe; *alterum teſtamento maioris auunculi; alterum*, & reliqua. Plures itidem alii Auguſti numi aurei atque argentei eo tempore percuſſi, quo cum Lepido Marcoque Antonio fœdere iunctus erat, & in quibus aut C. CAESAR IMP. aut C. CAESAR DIVI F. inſcribitur, auctoritatem huic ſententiæ conciliant.

Non tamen adhuc acquieſcebam in hac explicatione, licet naturæ rei & hiſtoriæ rationibus, ipſiſque numis Auguſti adeo congrue-
p. 227. bat; ſed vlterius inquirebam, cur litteras has paruæ huic columnæ inſcribere, quidque hoc ipſo ſignificare voluerint. Cum autem columna nihil aliud, quam monumentum referre poſſit in honorem Auguſti, erectum propter rem quandam præclare ab eo geſtam, porro inueſtigaui tempus, quod circiter numus fuit ſignatus, & Hiſtoricos huius ætatis conſului. Hiſtoria enim & numi adeo arcto nexu inuicem ſunt iuncti, vt mutuo & tueri ſe, & illuſtrare confirmareque debeant. Hoc itaque tempus mihi alius indicauit numus Auguſti, cura eiuſdem L. Caninii Galli ſignatus, qui Parthum refert in genua deuolutum ſignumque militare manu tenentem, quo ipſo ſignificatur, A. V. C. DCCXXXIV, quo M. Apuleius & Silius Nerua conſulares faſces geſſerunt. Hoc enim

nim anno, vt Dio obseruat, Augustus in Syriam profectus est, atque aduentu suo tantum terrorem Regi Parthorum Phraati iniecit, vt signa militaria in famoso prælio contra Crassum reportata, cum omnibus Romanis in eodem captiuis ductis atque per Prouincias ipsius hactenus detentis, ei remiserit; quo munere vlteriorem sibi pacem redemit, licet Regi non magno constaret, at Augusto erat gloriosissimum, vt arcum Romæ triumphalem, numos SCto cusos, aliosque honores, quos alibi obseruare licet, ei promeruerit.

Hisce edoctus sum, numum alterum, qui Caninii Galli nomen præfert, eodem hoc anno fuisse signatum; indeque collegi, quod omnino etiam illum ipsum, in quo hæc parua columna apparet, sub annuo Magistratu Caninii Galli Triumuiri oporteat esse cusum. Nondum tamen perspiciebam, qua ratione columna illa exigua signis militaribus p. 228.
a Parthorum Rege remissis conuenire posset. Cum itaque eundem locum Dionis de rebus sub M. Apuleio & Silio Nerua COSS. gestis legerem, obseruabam, quod tum temporis Augustus, communi suffragio delectus, qui viarum Romæ magnarum curam gereret, collocari in foro curauerit Χρυσοῦν Μίλιον *Aureum Milliarium*, quod a Plutarcho in vita Galbæ Κίων χρυσοῦς *columna aurea* seu *inaurata* vocatur, in quam omnes viæ publicæ desinebant. Et aliunde etiam constat, nomina viarum huic columnæ fuisse inscripta. Non igitur amplius dubitandum putaui, mihique persuasi, Caninium Gallum in memoriam huius præclari facti inauratam Augusti columnam repræsentari curasse, addita inscriptione C.C. AVGVSTI. vt saltim figuram illius daret, cum nec auream posset exhibere, neque inscriptionem eius prolixiorem referre.

Nescio, Vir præstantissime, an hæc explicatio Tibi æque videbitur veri similis vt mihi; hoc saltim existimo, eam esse priori, quæ nuper allata est, multo accuratiorem. Tempus enim cusi numismatis ea ratione definitum est, vt neque prius neque postea collocari debeat, quoniam sub annuo Magistratu Caninii Galli signa militaria Parthi remiserunt.

Equidem contendit auctor, Caninium Gallum e tribus Magistratibus fuisse, qui Ludis, aut, vt aliis videtur, Rei Numariæ præerant. Sed cum nihil certi hac de re determinare voluit, nihil attinet ei respondere.

dere. Nam etsi ludis Sæcularibus se tueri velit, quos sub hisce Magi-
stratibus celebratos putat, vt eo ipso probaret, illos Ludis præfuisse, a-
liud ipsi argumentum inquirendum est. Hoc enim nullius videtur mo-
menti, quia Sæculares isti ludi anno demum V. C. DCCXXXVI. a-
deoque tribus vel quatuor annis post celebrati sunt. Sic primum argu-
p. 229. mentum, quo prius C per *Circenses* explicandum putauit, concidit pror-
sus omni pondere suo destitutum, quamquam inscriptio auersæ partis
numismatis ab eo allati, vbi diserte horum ludorum Sæcularium fit men-
tio, itidem sit columnæ insculpta. Hic enim numus de Mescinio Rufo,
non de Caninio Gallo loquitur.

Alterum argumentum primo innititur, ac pariter reiici debet.
Nec plane ita se habet, vt auctor affirmat, quod in numis Philippi Imp.
verba SAECVLARES AVGG. columnæ sint insculpta. Numo enim
circumscripta leguntur, at in columna COS. III. expressum est. Memo-
ria auctoris haud ipsi hic satis se præbuit fidelem. Hunc vero erro-
rem facile euitasset, si vnum modo horum numorum consuluisset.

Tertio loco auctor numum Caligulæ affert, in cuius subsigna-
tione auersæ partis RCC litteræ occurrunt, quas explicat per *Restituti
Circenses.* Verum ita illas dum explicat, non tantum haud probat,
quod ludi Circenses antea fuerint neglecti, vt res tamen exigebat, sed
omni etiam argumento alio destitutus, quam quod ab interpretatione
sua litteræ C in priore inscriptione iam memorata repetit, vbi eam per
Circenses ex ingenio suo exponit. Exemplum litterarum ML, seu MLL.
quæ, vt ille quidem putat, *Mercatores Lugdunenses* significant, vnde col-
ligit, quod duplex CC æque ac simplex C *Circenses* significare possit,
nullius ponderis esset, quamuis esset verissimum. At probari nec ipsum
potest, cum solus ille argumento & auctoritate destitutus contendat,
litteras ML. *Mercatores Lugdunenses* significare. Quamquam viro, vt
p. 230. dixi, certissime constaret, hoc litteras illas significare; minime tamen in-
de sequeretur, quod etiam CC in RCC Circenses denotarent. Tres
enim istæ litteræ *Remissa Ducentesima* innuunt, quicquid in contrariam
sententiam quinto suo argumento disputet. Immerito enim negat, hanc
amplectendam esse expositionem propterea, quod centesima vel ducente-
sima numquam in numis reperitur. Maiori sane iure ei obiici potest, quod

Resti-

Restitutos Circenses in nullo numo antiquo inuenire liceat. Ne vnicum quidem exstat exemplum, quo diserte aut argumentis necessariis significentur. Sed non ita se habet *Remissa Ducentesima.* Hæc enim insigni loco nititur Suetonii, qui in vita Caligulæ *Ducentesimam*, inquit, *actionum Italiæ remisit.*

Si ab auctore requiratur interpretatio litterarum ROMA R. XL. quæ in auerso numo Galbæ ex ore maxime occurrunt, quid responsurus est? Haud sane scio, at absque hæsitatione eius loco affirmarem, quod *Remissa Quadragesima* denotetur, statimq; producerem argumentum fide dignissimum, videlicet numum eiusdem Galbæ ex ære minimæ formæ, qui ab Illustrissimo Focalto asseruatur, atque arcum triumphalem vix vnquam alibi obuium in auersa facie refert, cum inscriptis integris & perspicuis hisce litteris: QVADRAGENSVMA REMISSA, *Quadragensuma* loco *Quadragesima* iuxta veterem scribendi morem ita exaratum; adderemque confirmandæ huius rei gratia alios itidem æreos numos minimi moduli, in quibus QVADRAGENS. REMISSAE leguntur. Quæ cum ita sint, nonne plenam inter RCC & R. XL. similitudinem agnoscis? Atque si vltimæ hæ *Remissam quadragesimam*, p. 231. aut *quadragensumam* denotant, quodnam quæso argumentum magni satis ponderis inueniri queat, quo probetur, priores litteras non esse per *Remissam Ducentesimam* explicandas, quamquam hæc interpretatio haud confirmata fuisset loco Suetonii, qui disertis verbis huius liberalitatis, in Populum Romanum a Caligula effusæ, meminit. Auctor quidem obiicit, centesimam aut ducentesimam in numo nullo reperiri: sed ex allatis modo constat, quod ducèntesima eodem in numismate inueniatur, in quo auctor, sed citra rationem, *Restitutos Circenses* legit. Haud inde igitur probari queat, simplex aut duplicatum C scripturæ compendio *Circenses* significare posse.

Jam ante centum annos Occo litteras RCC simili ratione exposuit, & Cl. Spanhemius, non minus munerum dignitate quam profunda eruditione & intelligentia numorum veterum illustris, eandem sententiam amplexus est, vti in Dissert. IX. operis ipsius *de Vsu & Præstantia Numismatum* p. 798. secundæ editionis cernere licet, Suetonii locum cum Occone secutus.

Nihil amplius ſupereſt, quam vt reſpondeam ad locum, quem e libro Bucherii Belgæ, Jeſu Socii, *de Doctrina temporum* petiit, atque argumento quarto inſeruit. In Menſe Aprili Calendarii veteris legitur: XI. KAL. MAII. N. VRBIS. C. M. XXIIII. vbi C *Circenſes*, M vero *Miſſus* ei eſt. At cum hæc interpretatio æque ac priores nullo alio exemplo aut argumento confirmentur, pariter licebit eam non amplecti. Veteres quidem manu exarati codices inſignibus erroribus ſubiecti fuerunt: Itaque neceſſe erat, probe prius cognoſcere, annon etiam hoc in
232. loco Calendarii mendum aliquod irrepſerit. Præterea quis nobis confirmabit, quod hæc ſcripturæ compendia ſenſu potius diſtincto nec cohærente, vt a Bucherio factum, quam coniuncto atque copulato explicari debeant. At quamquam vera quoque eſſet illa expoſitio, minime tamen inde nobis perſuadere valet, prius C in CCAVGVSTI *Circenſes* poſſe ſignificare, non autem *Caii*, quam genuinam eſſe eius litteræ interpretationem, iam ſupra eſt demonſtratum.

Quod ad vocabula CIRC. CON. in inſcriptione numi Hadrianei attinet, qui non tantum ex ære maximi moduli ſupereſt, ſed ex auro etiam in gaza Regia reperitur, atque ab auctore per *Plebeii Circenſes Conſtituti* explicantur, Cl. Valentis eſt, qui ſexcentas alias inſcriptiones difficillimas enodauit quam optime, aliam iſtorum, quam dedit, vocabulorum explicationem tueri: *Populo* ſeu *Plebi Circenſes Conceſſit*. Facile illi erit demonſtratu, quod Ludi illi, quorum ſub Tarquinio Priſco cœpit vſus, neutiquam ab Hadriano Imp. ſint reſtituti, quocunque etiam ſenſu hoc explices. In inſcriptione quidem numi Neronis CON reuera *Conſtitutum* ſignificat. Ratio enim euidentiſſima eſt, ſiquidem Nero primus ludos illos inſtituit, qui ſingulis quinquenniis celebrabantur, quod & Tacitus confirmat annali XIV. *Nerone quartum*, inquiens, *Cornelio Coſſo COS. quinquennale Ludicrum Romæ inſtitutum eſt.* Sed hæc nondum probant, quod CON in numo Hadriani idem ſignificet. Hiſtoria enim ei repugnat, & ſcripturæ compendia in veteribus numis atque inſcriptionibus, quamquam eadem, aliter tamen atque aliter pro locis, in quibus occurrunt, explicari debent, vt ex infinitis fere exemplis manifeſtum eſt, quæ congerere non eſt huius loci.

233. Denique expoſitionem ſuam ita concludit auctor, *quod omnia*

hactenus

hactenus dicta demonstrent, in Prouincia Imperii Romani, cui Galliæ Narbonensi olim nomen, in qua maxima numorum pars, qui nobis de Imperatoribus restant, percussa est, magna diligentia fuisse prospectum, vt suis in numis Imperatorum designarent res gestas etiam quam minutissimas. Sed quæ auctor hoc de argumento disserit, vix credo illum vnquam posse solidis argumentis probare, neque euincere, quod vel vnus e numis, quorum ipse in explicatione sua meminit, eo in loco, quo quidem ipse contendit, aut Narbone totius Prouinciæ Metropoli percussus fuerit.

Tuum iam est, Vir Præstantissime, diiudicare, vtra explicatio numismatis Augusti in Cimeliarchio Focaltino, auctorisne an mea amplectenda sit. Prius quam tuam edis sententiam, spero Te paulisper expensurum esse methodum ipsam, quam in explicandis Imperatorum Romanorum numis obseruo, quæque mihi tutissima videtur ad finem propositum obtinendum. Cum auersa numorum facies communiter Imperatorum virtutes atque res gestas referat, primum historiam illorum vitamque diligenter perquiro, num aliquid inveniam, quod cum numo, & facto ibi repræsentato conueniat: si nihil huic congruens reperiam, ad alios numos recurro, lucemque, qualem possum, ex iis peto. Cum vero & hæc subsidia aliaque, quibus fidem habendam esse crediderim, deesse mihi video, acquiesco, nec quicquam meris coniecturis tribuo, quæ plerumque nobis imponere solent. Malo potius illa ignorare, quam falso mihi persuadere quod sciam, quæ reuera nescio. Vale!

Cadomi IV. Id. Sept.
A.C. MDCCI.

Tuus

GALLANDVS.

XXXIII.

ANONYMI EPISTOLA

Ad Membrum quoddam Inſcriptionum & Numorum, de quæſtione illa perſcripta, an auerſæ numiſmatum facies ſemper conueniant cum Imperatoribus atque Auguſtis, quibus adiunctæ ſunt?

E Memoriis Triuultianis MDCCII. *Auguſt. p. 83. ſeqq.*

Equidem ſtatim dubitabam, contentum Te fore catalogo numorum, quem Tibi tranſmiſi, cum primis illorum, quorum auerſa facies aliquid ſingulare refert. Sed mirari me ſubit, quod hac occaſione a me ſcire deſideras, num illorum ſententiam amplectar
p. 84. qui ſibi perſuadent, poſticas numorum partes ſemper congruere cum Imperatoribus aut Auguſtis, quibus adiunctæ ſunt. Hactenus ſane nihil aliud perſuaſum fuit antiquitatis ſtudioſis, ſi recte memini. Quare cum inuentus ſit numus, cuius auerſa facies haud dubie erat contra hanc regulam ſignata, ſingularis eum raritatis eſſe iudicarunt. Cl. Valens eiuſmodi nonnullos luci expoſuit, v. g. numum *Sabinæ* cum inſcriptione: INDVLGENTIA AVG. P. P. COS. III. *Gordiani* cum VENERE VICTRICE, *Voluſiani* cum PVDICITIA AVG. Idem annotauit, quod hæ inſcriptiones tanto ſint digniores ſtudio atque inquiſitione antiquariorum, quod non poſſint conuenire Imperatoribus horumue coniugibus, in quarum honorem numi cuſi fuerunt. Saltim ſi diſſertationes perleges Cl. Vallemontii de numo gazæ Regiæ, cuius in altera facie hæc eſt inſcriptio: GALLIENAE AVGVSTAE; at in auerſa VBIQVE PAX. perſuadeo mihi Te conſenſſurum, quod hoc tamquam pro communi receptum principio a curioſiſſimis etiam ne in dubium quidem vocatum

vocatum fuerit. Et quomodo hac de re dubitaſſent, cum ſæpiſſime verba auerſæ partis ſint continuatio inſcriptionis, quæ in aduerſa numi facie reperitur? Fateor tamen, quod nonnulli ſcriptores quatuor vel quinque abhinc annis contrariam opinionem amplexi ſint, & ad fulciendam hanc ſuam ſententiam argumentis vſi fuerint atque exemplis. Meum non eſt hanc litem componere, ſed ad veſtram Academiam hoc pertinet, de quæſtione huius generis ſententiam ferre atque iudicium. Permitte vero, Vir Præſtantiſſime, vt tecum conmmunicem nonnullas obſeruationes, quæ hac occaſione mihi in mentem venerunt de duobus numis, in quibus hæſiſſe Te mihi per litteras ſignificaſti. Prior caput M. Aurelii refert, cum inſcriptione: IMP. M. AVR. ANTON.... AVG. & in auerſa parte JVNO*nem* habet ſtantem, cuius ad pedes pauo. Poſterior Fauſtinam exhibet cum hiſce litteris: FAVSTINA AVG. PII AVG. FIL. & in altera facie mulierem erectam additis in circuitu P.M. TR. P. XIX. IMP. II. COS. III. p. 85.

Vtramque horum numorum auerſam faciem nulla ratione conuenire cum capite M. Aurelii atque Fauſtinæ contendis, & obſeruas in iis diſconuenientiam quandam, ex qua generatim colligis, numorum enarratores forſan deceptos fuiſſe, affirmantes, quod auerſa pars Imperatorem aut Auguſtam in ea adumbratam reſpiciat. Sane hac in parte multum diuerſa ſentimus. Etenim e contrario crediderim, duos hoſce numos adeo non eſſe contra communem regulam cuſos, vt potius ſecundum illam explicari poſſint facillime, nobiſque detegant caput Hiſtoriæ Romanæ, cuius primas iam lineas Cl. Vallemontius dedit. Vtrum falſus ſim ſententia mea, ſi placet, vide.

Inficias iri nequit, ſed certiſſimum eſt, Fauſtinam atque Lucillam ſolas eſſe Auguſtas, ex patribus genitas Imperatoribus, & id certo quodam modo cauſam fuiſſe imperii maritis commiſſi. Jus itaque & ſana ratio poſtulabant, vt Senatus in æreis numis, & in argenteis Imperatores gratum animum publico teſtimonio hiſce feminis ſignificarent Auguſtis. Hanc ob cauſam Fauſtina & Lucilla nomen parentum ſuorum aſſumſerunt, cum non maritis, ſed illis omnia in acceptis referrent. Sic quando Plotina, Sabina, aliæque vocantur PLOTINA AVG. IMP. TRAJANI. SABINA AVGVSTA HADRIANI AVG. FAVSTINA

 AVG.

AVG. ANTONINI AVG. PII. CRISPINA AVG. IMP. COMMO-
DI AVG. Fauſtina æque ac Lucilla nomen parentum ſuorum adhi-
buerunt, v. g. FAVSTINA AVG. PII. AVG. F. LVCILLA AVG.
ANTONINI AVG. F. Quis igitur nobis confirmabit, veteres non vl-
p. 86. terius proceſſiſſe, nec, cum hoc hiſtoriæ ſuæ caput æternitati mandare
cogitarent, Magiſtro monetariorum mandaſſe, vt Junonem M. Aure-
lio, atque Fauſtinæ hanc inſcriptionem adderent: P. M. TR. P. XIX.
IMP. III. COS. III. Numi iam detecti ſunt, qui nomen docent, quod
in honorem harum Auguſtarum circa caput M. Aurelii ſcripſerint FAV-
STINA AVGVSTA; & ad faciem Lucii Veri ΛΟΥΚΙΛΛΑϹ ϹΕΒΑϹΤΗϹ.
Profecto ſi non argumentum, ſaltim coniectura eſt firmiſſima, ſimili-
ter quoque fuiſſe numos, quorum auerſa facies ad hanc tantum rem pla-
ne ſingularem nouamque reſpexit. Iſabellæ Arragoniæ, atque nonnul-
læ in Anglia Reginæ idem fere fecerunt, iubentes, numos tunc tem-
poris plerumque typo ſuo ſignare, ſuamque faciem maritis Principi-
bus adiunctam repræſentare. Hæc Tibi haud dubie rem ſatis perſua-
debunt. Vides etiam in præſenti, quod nulla ſit auerſa facies, cuius
rationem curioſi harum rerum reddere non poſſint, ſi modo ſollicite at-
que cum cura magis in hiſtoriarum monumentis ſingula obſeruent, &
paulo penitius res expendant, quam olim factum fuit. Tibi enim af-
firmare audeo, quod numquam reperturus ſis duas eiuſmodi numo-
rum facies, quæ magis diſcrepant a capite numiſmati impreſſo.

Sed vt leuiſſimum etiam dubium Tibi eximam, nunc oſten-
dam, quam parum fundamenti illi habent, qui aliam ſententiam ſequun-
tur. Quænam autem ſunt auerſæ facies, quæ nouis hiſce auctoribus
communem regulam deſtruere videntur? Producunt PIETA*tem* AVGG.
in *Julia* Seueri vxore; CONCORDIA*m* AVGG. in *Otacilla*; IMP. T.
AEL. HADR. ANTONINVM TR. P. COS. III. P. P. in *Fauſtina*, at-
p. 87. que in *Antonino* VENEREM GENETRICEM. Sane hæc omnia adeo
parum valent nobis obiicere difficultatis, vt e contrario aptiſſimæ mihi
videantur ad receptam opinionem confirmandam virorum rei numa-
riæ callentiſſimorum. Quid enim præclarius blandiuſue de Auguſtis
hiſce dici potuit, quam quod poſteritati mandaretur, pacem illas atque
concordiam inter maritos & liberos conſeruaſſe integram? Num mo-
netari

netarii quicquam aliud potuerunt in auerſa parte numi Fauſtiniani imprimere, quod Auguſtæ huic magis conueniret, quam Antonini Pii facies? Quamuis enim in iis aut DIVA AVGVSTA FAVSTINA, aut Fauſtina velata, aut abſque velo repræſentatur, eadem tamen ratio ſubſiſtit. Vna eſt vxor, alter maritus, tam arctis nexi vinculis, quæ neque a morte ſolui poſſunt. Haud itaque numus iſte longiori explicatione indiget, cum ſimpliciter legitur: IMP. T. AEL. HAD. ANTONINVS TR. P. COS. III. P P. Denique *Venus Genitrix* in auerſa parte numiſmatis *Antoninis* non eſt inſcriptio adeo ſingularis. Reſtat adhuc numus *Hadriani* eadem inſcriptione inſignitus, qui Venerem ſtantem, & trophæum manu gerentem repræſentat. Eiuſdem Antonini alius numus occurrit cum hiſce verbis: VENERI FELICI. Imperator enim iſte templum Veneri condi curauit ſplendidiſſimum; hinc duæ auerſæ facies ſingularem eius erga hanc Deam pietatem declarant, neque vllo modo ad Fauſtinam reſpiciunt. Quam ob rem ſi omnino voluiſſent ad auerſas partes refugere, quæ iuxta communem numorum legem explicari non poſſe exiſtimant, maiorem tamen delectum habere debuiſſent. Sic v. g. in Voluſiano fuiſſet PVDICITIA AVG. atque VENVS VICTRIX in Gordiano ponderanda. Saltim, vt mihi videtur, multum inter ſe differunt inſcriptiones ipſæ, quæ tertio & quæ primo caſu poſitæ ſunt.

Jam ad eam rationem progrediar, qua noui noſtri auctores vtuntur in explicanda auerſa facie, quæ ipſis videtur plane incongruens cum Imperatore atque Auguſta, quibus adiuncta eſt. Sæpius, inquiunt illi, accidit, operarium ex nimia feſtinatione, poſtquam Fauſtinæ & M. Aurelii numos in aduerſa parte ſignauerat, cum eos ſeparare debuiſſet, Fauſtinianum cum Aurelianis aut Aurelianum cum Fauſtinianis permiſcuiſſe, indeque auerſam illorum partem confudiſſe, atque marito tribuiſſe typum, qui ad vxorem ſpectabat. Quot porro numi Imperatorum atque Auguſtarum iam defunctorum reſtituti ſunt? Sic cum typus monetalis anticam numi partem modo referret, poſtica non deleta ita remanſit, vt ex prima officina prodierat. Inſignis numerus e numis Poſtumorum non dubitare nos ſinit, quod vſu hoc receptum fuerit. Nec vllum eſt Numophylacium mediocriter refertum, quod non p. 88.

Fau-

Faustinæ, Antonini & M. Aurelii numismata habeat fere deleta, in quibus caput Postumi impressum cernitur. Nostra etiam memoria nonne idem factum nouimus? Itaque nihil quidem hi firmius esse existimant ad probandum, quod hæc sit monetariorum pristinæ ætatis aberratio.

At enim eiusmodi responsione nonne ignorantiam suam ingenue confitentur? Hac ratione homo vel tantillum leuiter hoc studiorum genere tinctus, quascunque difficultates facile enodabit, atque præuertet obiectiones, quæ de numorum inscriptionibus ad singula capita ei proponi possunt. Crede mihi, Vir clarissime, numquam monetarii tanta aut ignorantia aut negligentia fuerunt, quam illis tribuimus. Sane si illorum nimia festinatio eiusmodi errorem produxerit in auersa numorum facie, quomodo fieri potuit, vt permultis illis tot sæculorum operariis tam raro hoc acciderit? Vix enim ac ne vix quidem inter omnes numos viginti reperiuntur, siue in libris, siue Numophylaciis,
p. 89. qui hisce, quod ad auersam partem, similes futuri sint.

Hæ sunt rationes, quæ me permouerunt, vt communi veluti torrente virorum eruditorum, qui in numos illustrandos hactenus incubuere, abripi me paterer, magisque sollicite indagarem causas singularium illorum atque a communiori genere recedentium, quotquot in manus mihi inciderunt. Interim tuo lubenter subscribam iudicio, teque rogo, vt rationum, quibus ad aliter sentiendum impelleris, me facias participem. Hoc ipso Tibi impones officium ad litteras meas respondendi, sed simul promes eruditam Dissertationem, vnde ad lectores, eos præsertim, qui veterum numorum studio delectantur, ingens fructus redundabit.

XXXIV.

REV. PATRIS CHAMILLARDI EPISTOLA

*Ad Dominum B * * **

De PACATIANI ætate.

Prodiit vna cum sequente, Gallice & Latine,

Amstelodami MDCCL 12.

VIR

VIR CLARISSIME, 2.

RECte tu iſtud quidem facis, quod non omnino probes ea, quæ Mo-
rellius de Pacatiano argenteo, a me ante paucos annos reperto,
affirmauit. Plerique alii tecum cenſuerunt eruditum illum an-
tiquitatis indagatorem hallucinatum eſſe, præcipue quod ratio- 4.
nem temporis ſpectat, quo hic Imperator viuebat. Quin ipſe, quid
ſentirem, ad eum ſcripſi: nec dubito, quin bona fide agnouerit, ſe pa-
rum idoneis coniecturis niti. Omnino enim pugnat, ex ipſo metallo,
ex ipſa numi ſtructura tota effici, tyrannum hunc attigiſſe Gallieni tem-
pora, vel ſpatio perbreui conſecutum eſſe. Ego rem totam accurate,
fateor, excuſſi, & priuatim & cum peritis rerum æſtimatoribus; neq; ta-
men mutaui ſententiam, imo in ea ſum magis magiſq; confirmatus: adeo 6.
vt habeam perſuaſum, quo tempore Imperium Romanum Philippus in-
uaſit, tunc regnaſſe Pacatianum in aliqua peculiari prouincia. Vel ipſe
numi aſpectus huic meæ ſententiæ ſic fauet, vt eminus intuenti mihi
millies pro Traiano Decio habitus fuerit: adeo cum iſtius Traiani nu-
mis congruunt huius Pacatiani numi characteres, oræ, craſſities, mo-
dus ac magnitudo. Vnum eſt diſcimen, quod non leuis momenti vi-
debitur, opinor, tibi. Non enim neſcis, quæ tua eſt in hiſce rebus ſaga- 8.
citas, monetas intra quindecim aut viginti admodum annorum ſpati-
um non obſcure mutatas fuiſſe, cum primum obſoleuit Imperii ma-
ieſtas & amplitudo. Id ſi ponatur tanquam verum & compertum, vi-
deor mihi diſpicere (quod Morellius in Syſtemate ſuo nequit) ea omnia
quæ ad Pacatianum hunc ſpectant. Tuum iudicium eſto. Litteris pro-
ditum eſt, Philippum ſocietatem iniiſſe cum præcipuis quibuſdam Roma-
ni exercitus ducibus, quorum ope auxilioque fretus Gordianum terti- 10.
um vita ſceptroque ſpoliauit. Sed qui eum in ſolium extulerant, iidem
extincto Gordiano ab eodem deſciuere; rati, opinor, ſibi tantumdem
iuris ad imperium eſſe quantum Philippo. Præ ceteris Marinus Pan-
noniam, Jotapianus Syriam occupauit. Quid ſi vnus ex illis Pacatia-
nus dicatur eſſe? vt hiſtoriæ ſileant, fere conſtat ac ſimillimum vero eſt,
fuiſſe iam tunc illuſtrem familiam Pacatianorum. Saltem Pacatianum
habemus conſulem, quo anno Conſtantinus nomen ſuum Byzantio im- 12.
poſuit. Pergo, & quæro an non Pacatianus noſter idem ſit ac Marinus
ille, cuius numi duo ab viris clariſſimis Seguino & Strada producti ſunt,

cum hac epigraphe, ΘΕΩΜΑΡΙΝΩ, & in auerſa parte numi, ΦΙΛΙΠΠΟ
ΠΟΛΙΤΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC S. C. Sane recentiores, ne illis quidem exceptis
numorum peritiſſimis æſtimatoribus, quos vt doctores noſtros intue-
p. 14. mur, docent nomen illi fuiſſe: PVBLIVS CARVILIVS MARINVS; at quo
nixi tandem argumento id affirmant? Zoſimus, Zonaras, aliique vete-
res ſcriptores verbum ea de re nullum habent. Jam vero qui extant
hactenus numi duo nomen Marini duntaxat præferunt. Ecquæ tan-
dem eſt reperta inſcriptio, in qua Marinus appelletur Publius Caruilius.
Proferatur, ſin minus, qui poſſumus Marinum alio quam Marini no-
mine cognoſcere? Cur autem Pacatianum & Marinum eumdem fortaſ-
p. 16. ſe Imperatorem eſſe credam, ea cauſa eſt, quod in aduerſa numi mei par-
T.V.n.8. te ſic legatur, IMP. T. JVL. MAR. PACATIANVS P. F. AVG. Quas
ego notas ſic interpretor: Imperator Titus Julius Marinus Pacatianus
Pius Felix Auguſtus. Quod ſi in his duobus, quos protuli modo, nu-
mis aliud nomen, niſi Marinus reperitur, memineris eam ob rem cu-
ſos fuiſſe iſtos numos, vt eſſent eius conſecrationis monumenta, hoc
eſt, vt eum inter Diuos relatum teſtarentur. Quod cum fiebat, omit-
ti ſolebant, niſi fallor, illa tam multa & varia, quæ reliquis numis inſcri-
p. 18. bi mos erat, nomina. Hinc illi numi, DIVO PIO. DIVO ANTO-
NINO. DIVVS VERVS. Et alii, id genus ſexcenti.

Habes, Vir Clariſſime, quid de Pacatiani numo ſentiam. Quod quidem neutiquam vt certum compertumque defendo. Sed in re numaria paulum hariolari licet. Erit inde fortaſſe locus tibi altius rem totam rimandi, eaque abſoluendi ac perficiendi, quæ a me duntaxat inchoata ſunt. Mihi quoque proficiendi locus erit, & quam ſcrutor veritatem te duce atque auſpice cognoſcendi. Vale.

XXXV.

p. 20. *ALTERA*

P. CHAMILLARDI EPISTOLA

De Numis Marinianæ, Poſtumorum & Juliæ Mamææ.

Vir Clariſſime,

TV vero noſtras pluris iuſto gazas & cimelium facis: neque ea mihi copia eſt, vt ſingularium & hactenus ignotorum numorum indicem tibi con-

contexam. Id Regum ſit aut curioſorum inſigniter locupletum. Ne nihil tibi tamen largiar & concedam, vtq; auidam illam ſciendi, quæ te vexat, famem p. 22. ſi non expleam, at placem aliquantulum & leniam, mitto tibi formam numorum trium, quos a te repertum iri apud vllum ſcriptorem non arbitror. Id que eo facio libentius, quod ſperem fore vt noñulla, quæ mihi venerunt in mentem, & aliqua laborant difficultate, per otium, quæ tua eſt eruditio & ſagacitas, inueſtiges: mihi hæc rimari attentius non vacat. Ex iis numis duo ſunt argentei, tertius ex ære maiori vt vocant conflatus. p. 24.

Qui Marinianæ nomen habet exquiſitior eſt: ad hæc auerſa pars noui quidpiam inſigniter ſpirat. Certe D. Vaillant vbi de auerſa facie meminit, quæ in illius Auguſtæ numis viſitur, addit, *Alius numus in Mariniana non obſeruatur.* Præterea ipſa inſcriptio præ ſe fert aliquid inſignius: FELICIT. DEORVM. Conſule Occones, Auguſtinos, Patinos, & alios quoſuis rerum iſtarum peritos, quorum exſtant volumina, pro certo habeo nullum fore Imperatorem, Auguſtam nullam, cu- p. 26. ius in numis reperiatur FELICITAS DEORVM. Tritæ ſunt ac peruulgatæ inſcriptiones iſtæ FELICITAS AVG. FELICITAS PERPETVA. FELICITAS PVBLICA. FELICITAS SAECVLI. FELICITAS TEMPORVM. Nec miror. Hoc enim Principum eſt, vt publicæ felicitatis autores parenteſque ſint. Itaque ſi victoria quapiam caritatem annonæ leuaſſent, aut beneficii aliquid aliud populo contuliſſent, continuo p. 28. numos cum eiuſmodi epigraphe, ſane ad rem ſignificandam idonea, cudi iubebant. At quo tandem pacto DEORVM FELICITAS Auguſta hæc dici poteſt? id vero citra impietatem in quacumque tandem Religione prædicari non poteſt. Niſi forte dixeris, apud Gallienum & Valerianum iuniorem tanto in honore ac pretio Marinianam fuiſſe, vt Deos ea in cœlum recepta quaſi feliciores profiteri non dubitauerint. Neque enim cuſus, niſi poſt eius obitum, iſte numus fuit: velatum ca- p. 30. put, addita lunulæ imago, voces iſtæ in orbem diſpoſitæ, DIVÆ T.V.n.9. MARINIANÆ, haud dubia conſecrationis & apotheoſeos argumenta.

In Poſtumi numo laboris & operæ minus erit. Numus eſt elegans & ad ornandum ſcrinium appoſitus. In eo ſumma rei vertitur & cardo, vt Poſtumi vtriuſque, patris & filii, geminum habeatur caput, T.V.n. alterum alteri impoſitum. Chifletius & Mezabarba viderunt numos 10. eius generis, at quorum auerſa facies diſſimilis foret. Meum ad te mit- p. 32.

to. In ea quippe te noui cum plerisque esse sententia, vt putes ca; ut
modo Martis, modo Herculis adiunctum esse capiti Postumi patris, non
item caput Postumi filii. Sane dubitandi est locus, cum alteri e duo-
bus capitibus inest galea. At in meo numo quid esse causæ potest, cur
p. 34. duo Postumi non agnoscantur? Non hæc temere assero. Multos penes
te numos Postumorum esse comperi, magno vel medio fusos ære. A-
ge, vnam in partem congere eos omnes, in quibus spectatur Postumus
cum corona radiata, in alteram eos, vbi visitur laurea corona redimi-
tus. Non dubito quin duos Imperatores esse fatearis. Patri vultus est
oblongus, depressus, atrox, incompositus; Filio lenior, pleniorque, ac
magis rotundus. Habemus igitur certissimam, vt quidem existimo, re-
p. 36. gulam, qua vtriusq; Postumi numos internoscamus. Est corona radiata?
patris sunt: est Laurea? filii. Atqui in eo, quem ad te misi, numo tales am-
bo vultus conspiciuntur, & quales in tuis ipsius numis deprehendes.
T.V.n.II. De Mamææ numo quid censes? Miraberis, opinor, inscriptio-
nem, quæ in aduersa facie legitur. Equidem nullos in vllo cimelio nu-
p. 38. mos conspexi, qui Alexandri Seueri matrem aliter, ac Juliam Mamæam
appellarent. Quid id nominis est, Julia Mamias? cui auditum antiqua-
rio? Ac me fortasse incusas quasi obsolatas in hoc meo numo & iam
fugientes literulas non satis belle dispexerim. Id si putas, dedoceo te.
Nusquam vsquam nitidior numus, integrior, & certior quam hic me-
us fuit. Culpa vtiq; in artificem, a quo numus imperite cusus fuerit, coniice-
p. 40. rem. Sic enim multa cernimus menda numorũ, quæ sunt omnino in opifi-
ces & monetarios conferenda. Sed opificem ipsum liberare culpa videor
posse. Mamæam oriundam è Phœnicia nemo nescit, vnde suspicari non im-
merito licet, verum ac germanum ipsius nomen fuisse Mamias (quo-
modo terminata fuisse interdum Phœnicum nomina, testis est Soëmias)
& a Romanis expressum Romano fine ac more Mamæa, vt factitant e-
p. 42. tiamnum ferme Itali Francique. Vale.

p. 44. *NVMISMATA*
VRBIVM GRAECARVM IMPERII.

Numismata maximi moduli integra semper sunt bona.
Medii & minimi moduli non sunt admodum rara.
p. 45. *Numismata Coloniarum in ære magno sunt rariora.*
Ex ære medio & paruo secundum Vrbes.

COMMV-

COMMVNIA.

Εφεσιων
Αντιοχεων
Μυτιληναιων
Περγαμηνων
Cαμιων
Μαγνητων
Αμαστριανων
Καισαρειας μητ.
Μιλησιων
Εδεσσαιων
Εδεσσηνων
Καρρηνων
Cαμοσατεων
Αδριανοπολειτων
Σμυρναιων
Κυμαιων
Κρητων
Κυρρηστιτων
Cελευκεων
Cαρδιανων
Ταρσου
Τωμεως
Τραλλιανων
Ρωδιων
Κυδονιατων
Νικοπολεως Ιερ.
Θυατειρηνων
Βυζαντιων
Τημνειτων
Cαητων
Απολλωνιατων
Μακεδονων
Λακεδαιμονιων
Cιδωνος
Κυζικηνων
Κοινον Βειθυνιας
Φωκαιων
χαλκιδεων

RARA.

Ανκυρας
Τραιανοπολειτων
Αννισιας
Καισαρεων
Κολοφωνιων
Αβυδηνων
Κυπαρισσιεων
Ατταλειτων
Ιερ. Βυβλου
Μυρινaιων
Μεσεμβριανων
Τιανων
Τιηων
Περγαιων
Πρυσεων
Αθανειτεων
Κοιων
Αιπελιων
Νεσιβις
Προυσιεων
Νεοκαισαρεων
Τριπολιτων
Θηραιων
Καρυστιων
Κιανων
Κλαζομενιων
Κιβυρατων
Αιγιαλεων
Κνιδιων
Κνωσσιων
Ερυθραιων
Ιλιεων
Κομμαγηνων
Ουλπια σερδικης
Μεθυμναιων
Κοινον λησβιων
Γερμηνων
Λαμψακηνων
Ηρακλειας ενποντω
Διοσπεριτων
Αναζαρβου
Αμισου

RARISSIMA.

Πριανεων
Κελενδρηνων
Μοστηνων
Μεγαρεων
Βρουσηνων
Βοτρυηνων
Cηστιων
Ασπενδιων
Κοσσατων
Κορυκιωτων
Αστιων
Τιανεων
Κιδοηνων
Περπερηνων
Ηυαιων
Ραφιας
Τμολιτων
Τηνιων
Μυρλανδελτων
Τεκτοσηνων
Νικοπολισ στρ. μεγ.
Γηιβροτυρεων
Βλαυνδεων
δαλλιανων
Κοττητων
Αυγουστιανων
Γορδηνων
δαρδανιων
δοκιμεων
Κιρεταπαιων
δολιχαιων
Τιβεριοπολειτων
Ιασσεων
Λευκαδιων
Αντιοδεων
Απολλωνιερειτων
πιταρεων
Μυρεων.

Nu-

NVmiſmata Imperatorum maximi moduli ex argento puro magni æſtimantur.

Numiſmata argentea maximi moduli Regum, v. g. Syriæ, Ptolemæorum, Regum Bithyniæ, Regum Macedoniæ, exceptis illis Alexandri Magni, Lyſimachi & Demetrii Poliorcetis, eximia ſunt.

Reges Cappadociæ non niſi minoris moduli reperiuntur.

Reges Numidiæ, vt Juba pater, ſunt obuii. Filius eius Juba rarus eſt, & nepos eius Ptolemæus adhuc rarior, & niſi in quinariis vix occurrit.

Reges Siciliæ argentei ſunt rari, præcipue numiſmata maximi moduli.

Reges Parthorum eodem habentur loco.

Reges Judææ admodum rari.

Reges Arabiæ in ære extant, vt & Commageni Reges.

Reges Boſphori reperiuntur in electro, quandoque in ære.

Ex Regibus Pergami ſolus occurrit Philæterus.

Ex Ponti Regibus Mithridates inſignis eſt, Pharnaces rarior, Polemon minoris moduli argenteus extat.

Tigranes Armeniæ Rex in numiſmate moduli maximi.

Reges Abgari ſolum modo in ære reperiuntur, æque ac Vabalathus atque Zenobia.

In vniuerſum omnia numiſmata Regum ſunt digna animaduerſione curioſorum, ſi capita regia referant diademate ornata.

Notæ Numiſmatum Imperatorum, in quanam ſerie ea ſint rara.

1. CAius Julius Cæſar rarus ex auro & ære paruo.

2. Auguſtus rarus in ære magno.
Liuia Auguſta quouis genere rara.
Caius Cæſar Auguſti filius, rarus vbique.
Lucius Cæſar, Auguſti filius Conſul, rarus vbique.

3. Tiberius, rarus in ære magno.
Julia Auguſta rara in numis Græcis.
Druſus & Germanicus Cæſar: Tib. Germanicus Cæſar Tiberius rarus ex argento.
Agrippina Marci filia Germãici rara ex argento & in numis Græcis.
Nero & Druſus Cæſar, rari.

4. C. Cæſar Germanicus rarus.
Cæſonia Auguſta rariſſima.
Agrippina, Caligulæ ſoror, rara inter Græcos.
Julia, ſoror Caligulæ, rariſſima vbique.
Druſilla, eiuſdem ſoror, rariſſima vbique.

5. Tiberius Claudius obuius vbiq;

Druſus

Drusus Germanicus, rarus ex argento & ære.
Antonia Augusta, rara ex argento.
Valeria Messalina, vbique rarissima.
Agrippina Augusta, inter Græcos rara.
Britannicus vbique rarissimus.
6. Nero obuius vbique.
Octauia Augusti filia, vbique rarissima.
Sabina Poppæa rarissima, si ex ære paruo numos excipias.
Statilia Messalina rarissima.
7. Galba obuius.
8. Otho rarus ex ære, obuius ex argento auroque.
9. Vitellius rarus vbique, nisi ex argento.
10. Vespasianus obuius.
Domitilla rarissima vbique.
Diua Domitilla rara vbique.
11. Titus obuius.
Julia Sabina rara in auro & ære maximo.
12. Domitianus obuius.
Domitia rara ex argento & ære maximo.
Diuus Cæsær Imp. Domit. fil. rarissimus vbique.
13. Nerua obuius.
14. Traianus obuius.
Plotina ex auro atque argento rara.
Marciana rara vbique
Matidia rarissima.
15. Hadrianus obuius, exceptis maximi moduli numismatibus.
Sabina obuia.
Antinous rarus vbique.
L. Ælius Cæsar Trib. pot. Cos. II. rarus inter Græcos.
16. Antoninus obuius.
Faustina mater, obuia.
17. Aurelius obuius.
Faustina obuia.
Lucius Aurelius verus est Galerius Antonides, rarus.
Commodus Cæsar Ant. Aug. fil. rarus.
Annius Verus Cæsar Ant. Aug. fil. ambo rarissimi.
Auidius Cassius per Pet. rarissimus vid Occo.
18. Verus obuius.
Lucilla obuia.
19. Commodus ex auro rarus, ceterum obuius.
Crispina obuia.
20. Pertinax vbique rarissimus.
Flauia Tiliana rarissima. vid. Morelli Spec.
21. Didius Julianus rarissimus.
Manlia Scantilla rara.
Didia Clara rara.
22. Pescennius Niger rarissimus.
23. Lucius Sept. Seuerus obuius.
Julia Pia obuia.

24. Albi-

24. Albinus ex auro & ære paruo rarus.
25. Aurelius Antoninus (Caracalla) obuius.
Plautilla ex argento obuia, in ceteris rara.
26. Geta rarus inter Græcos.
27. Macrinus rarus ex auro & ære maximo.
NoniaCelſa rariſſima.vid.Goltius.
28. Diadumenianus rarus ex auro & ære maximo.
29. Elagabalus rarus ex ære maximo cum nomine Elaga.
Julia Mæſa rara in numis Græcis & aureis.
Julia Sæmias rara ex auro & ære.
Julia Cornelia Paula rara ex auro atq; ære.
Julia Aquilia Seuera rara vbique.
Annia Fauſtina rariſſima.
30. Alexander obuius.
Julia Mamæa obuia.
Suplicia Memmia rariſſima. vid. Goltius.
31. Maximinus obuius.
32. Verus rarus in argenteis & Græcis.
33. Gordianus Africanus rarus vbique.
34. Gordianus Africanus fil. rariſſimus vbique.
35. Balbinus rarus ex auro.
36. Pupienus ex auro rarus.
37. Gordianus obuius.
Tranquillina rara vbique.
Imp. Cæſ. M. Marcius rariſſimus.
Hoſtilianus rariſſimus.
38. Philippus obuius.
Marcia Otacilia Seuera obuia.
39. Philippus filius obuius.
Imp. C. P. Caruil. Marinus rarus.
40. Traianus Decius obuius.
Barbia Orbiana rara vbique.
41. Herennius Etruſcus Meſſius rarus ex auro.
42. Caius Valens Hoſtilianus Meſſius Quintus rariſſimus vbique.
Imp. Cæſ. M. Aufidius Perpenna rarus.
Licianus rariſſimus.
Trebonianus Gallus obuius.
Hoſtilia Seuera rariſſima in Græcis.
44. Voluſianus obuius.
Herennia Etruſcilla obuia.
45. Æmilianus rarus vbique.
46. Valerianus obuius.
Diua Mariniana rara.
47. Gallienus obuius.
Cornelia Salonina rara ex ære maximo & in numis Græcis.
48. P. Lic. Valerianus, Gallieni frater, rarus.
Cornelia Supera rariſſima.
49. S. Lic. Cor. Salon Valerianus, Gallieni filius, rarus.
Quintus Julius Sa'oninus Gallienus, alter Gallieni filius, rariſſimus.

Tyranni ſeu vſurpatores Imperii regnante Gallieno.

Poſtumus obuius.
Junia Donata rariſſima.
Poſtumus filius rarus.
Imp. C. Cyriades rariſſimus.
Ingenuus rariſſimus.
Odenatus rariſſimus.
Herodes rariſſimus.
Aureolus rariſſimus. vid. Goltius.
Macrianus rarus vbique.
Imp. C. Q. Jul. Macrianus Pius filius, rarus.
Quietus Pius, Macriani filius, rarus.
Imp. C. Ser. Anicius Baliſta rariſſimus.
Valerianus Valens rariſſimus.
ΑΥΤ. Κ. ΚΑΛΠΟΥΡΝΙΟΣ. ΠΕΙΣΩΝ rariſſimus.
Imp. C. Tiberius Ceſtius Alexander Æmilianus rariſſimus.
Rigillianus rariſſimus.
Saturnius rarus.

Trebe-

Trebellianus rarus.
Titus Cornelius Celsus rarus.
Claud. Censorinus rarissimus.
Lollianus rarissimus.
Victorinus obuius.
Aurelia Victorina rarissima.
L. Aurel. Victorinus rarus.
Imp. Cæs. M. Aurelius Marius obuius.
Tetricus obuius.
Tetricus filius obuius.
Imp. C. A. Pomponius Ælianus rarissimus.

Sequntur labentis Imperii Monarchæ.

50. Claudius Gothicus obuius.
51. Claudius Quintillus rarus.
52. Imp. C. L. Dom. Aurelianus obuius.
Seuerina obuia.

Duo Tyranni eo tempore regnantes.

Marcus Firmius Pius rarus.
Imp. C. P. Semp. Saturnius rarus.
53. Tacitus obuius.
54. Florianus obuius.
55. Probus obuius.
Imp. Cæs. T. Æl. Proculus, rarissimus.
Imp. Cæs. Q. Bonosius, rarissimus.
56. Carus obuius.
57. Carinus obuius.
58. Numerianus in Græcis rarus.
Imp. C. C. Aquil. Sabinus rarus.
Imp. C. L. Dom. Domitianus rarus.
59. Diocletianus obuius.

Tyranni tempore Diocletiani regnantes.

Imp. C. L. Ælianus rarus.
Imp. C. Cn. Sal. Amandus rarissimus.
Imp. Carausius rarus.
Imp. C. Alectus rarus.
Imp. C. P. Trebonius Julianus rarissimus.
Narseus Cæsar rarissimus.
60. Maximianus obuius, sed in Græcis rarus.
61. Valerius obuius.
Flauia Helena obuia.
Fl. Maximiana Theodora rara.
62. Maximianus obuius, in Græcis vero rarus.
Galeria Valeria rara.

Tyranni, qui tempore Constantinorum regnarunt.

Imp. C. Alexander rarissimus.
Caius Julius Valens rarissimus Græcus.
63. Maximinus obuius.
64. Flav. Val. Seuerus rarus.
65. Constantinus obuius.
Flauia Maximiana Fausta rara.
Maxentius obuius.
Romulus rarus.
Magnia Vrbica rara.
66. Licinianus obuius.
Fl. Val. Constantia rarissima.
Dominus noster M. Martianus rarissimus.
Dominus noster Nigrinianus rarus.
Crispus obuius.
Licinius iunior obuius.
67. Constantinus iunior obuius.
68. Constans obuius.
Aur. Eusebia rarissima.
Fl. Maxima Faustina rarissima.
69. Flau. Jul. Constantius Maximus obuius.
Fl. Jul. Delmatius rarissimus.
Haniballianus Fl. Cl. Haniballiano rarissimus.
Fl. Constantius Gallus rarus.
Fl. Jul. Constantia rarissima.
Magnentius obuius.
Decentius obuius.
Dominus noster Desiderius rarissimus.
D. N. Vetranio rarus.
Fl. Pop. Nepotianus rarissimus.
70. Julianus obuius.
Fl. Jul. Helena rara.
71. Jouianus rarus.
Valonianus Jouiani filius rarissimus.
Valentinianus obuius.
72. Valeria Seuera rarissima.
73. Valens obuius.

Albia Dominica rariſſima.
D. N. Procopius rariſſimus.
74. Gratianus obuius.
Fl. Max. Conſtantia rariſſima
D. N. Firmius rariſſimus.
75. Valentianus iunior obuius.
Maximus obuius.
D. N Fl. Victor rarus.
76. D. N. Fl. Theodoſius rarus.
Ælia Flacilla rara.
Galla Placidia, rara.
D. N. Eugenius rarus.
77. Arcadius obuius.
Ælia Eudoxia rariſſima.
78. D. N. Honorius obuius.
D. N. Sebaſtianus rarus.
79. D. N. Theodoſius rarus cum hac inſcriptione: Paref. P. Fel. Aug. Imp. XXXII. Coſ. XVII. P. P.
Eudoxia rara.
Fl. Priſcus Attalus rarus.
D. N. Jouidus rarus.
D. N. Heraclianus rariſſimus.
D. N. Petronius rariſſimus.
D. N. Jouianus rariſſimus.
D. N. Joannes rariſſimus.
80. D. N. Plac. Valentinianus rarus.
Eudoxia Aug. rara.
81. D. N. Marcianus rariſſimus.
Fl. Pulcheria Aug. rara.
D. N. Anicius Maximus rariſſimus.
82. D. N. Fl. Mæcilius Auitus rariſſimus.
83. D. N. Fl. Val. Lev. obuius.
Fl. Jul. Verina Aug. rariſſima.
84. D. N. Fl. Leo iunior rariſſimus.
85. D. N. Jul. Maiorianus rariſſimus.
86. D. N. Lib. Seuerus rariſſimus.
87. D. N. Fl. Anthemius rariſſimus.
Fl. Marcia Auguſta rariſſima.
88. D. N. Ricimerus rarisſimus.
89. D. N. Fl. Anic. Olibrius rarisſimus.
Fl. Placidia Auguſta rarisſima.
90. D. N. Glycerius per P. F. rarisſimus.
91. D. N. Leo iunior rarus.
92. D. N. Fl. Zenon rarus.
93. D. N. Jul. Nepos rarus.
94. D. N. Baſilicus rarisſimus.
95. D. N. Leontius rarus.
96. D. N. Fl. Dommilius Auguſtus rarus.
97. D. N. Fl. Valerius Anaſtaſius rarus.
D. N. Fl. Longinus rarisſimus. vid. Goltius.
D. N. Fl. Vitalianus rarisſimus. vid. Goltius.
98. D. N. Juſtinus obuius.
Fl. Euphemia Auguſta rara.
99. D. N. Juſtinianus obuius.
Fl. Theodora Auguſta rarisſima.
100. D. N. Fl. Juſtinus obuius.
Fl. Sophia Auguſta rarisſima.
101. D. N. Tiberius Conſtantinus obuius.
Fl. Anaſtaſia Auguſta rara.
102. D. N. Flav. Mauritius Tiberius rarus.
103. D. N. Fl. Theodoſius rarus.
104. D. N Fl. Phocas rarus.
105. D N. Heraclius rarus.

Hæc eſt ſeries numiſmatum, quæ hodie inueniri poſſunt, quæque harum rerum curioſis cognita. Poſſet forſan præterea occurrere Tyrannus quidam, qui in Hiſtoria hactenus nondum innotuit: quemadmodum Rainſlandus, numorum egregius ruſpator, quinque vel ſex abhinc annis nos docuit numiſmate Tyranni Fl. Jul. Pacatiani P. F. Aug. quod dono intulit Numophylacio Regis, (Franciæ) quod in hiſtoria hactenus eſſet incognitum.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

INDEX

AVCTORVM, qui in hoc volumine vel illuſtrantur, vel refutantur vel etiam notantur; aut de quibus alia ſcitu & notatu digna referuntur.

a Hen-

In-

INDEX RERVM,

quæ in Electis hiſce occurrunt, maxime memorabilium.

Mercu-

Sar-

Errata quædam typographi exstantiora.

In Præfatione p. 1. lin. 5. pro *vir* leg. *viri*. l. 6. pro *numerum* leg. *munerum*. p. 2. l. 16. leg. *deliciarum*. l. 18. leg. *transferre*. l. 21. leg. *Triuultianas* & sic etiam p. 4. l. 6. p. 3. l. 6. leg. *collecto*. l. 9. leg. *antiquitas*. p. 4. l. 20. leg. *memorabilium*. l. 25. leg. *faciam*. p. 5. l. 4. deleatur *Jo*. l. 8. leg. *aliquot* & deinde pro *p*. 2. leg. *p*. 307. l. 11. post *scribit*, adde: *p*. 306. l. 20. pro *summus* leg. *summis*. In Elencho num. XXXI. deleatur *seculares*.

In Electis ipsis p. 5. l. 23. pro *uno* leg. *uni*. p. 6. l. 27. pro *diutius* leg. *latius*. p. 8. l. penult. post *examinandum*, adde: *num*. p. 22. l 2. pro *offerebuntur* leg. *offerebantur*. p. 24. l. ult. pro *illam* leg. *illum*. p. 27. l. 6. lege *ABRAXAS satis*. p. 34. l. ult. leg. *porrecta*. p. 41. l. penult. deleatur *cumprimis*. p. 64. l 2. leg. *Pighium*. p. 91. l. 10. leg. *Postumum*. p. 101. l. 1. post *omnia* adde: *ipse*. p. 101. l. 4. leg. *maximæ*. p. 104. l. 31. leg. *diuidit*. p. 106. l. 3. leg. *supersint*. p. 108. l. 22. l. *certissimum*. ib. l. 23. l. *felicissimam*. p. 144. l. penult. leg. *litteris*. p. 150. l. 1. leg. *genitiuus*. p. 153. l. 19. post *hæc*, adde *quam*. p. 168. l. pen. l. *principibus*. ib. l. ult. leg. *necessitatem* p. 177. l. 21. post primum *studio* dele: *qui studio*. p. 183. l. 10. leg. *perexigui*. ib. l. 28. leg. CCLXIII. p. 184. l. 20. leg. *Reges*. 185. l. 15. l. *ob* p. 188. l. pen. l. *Pollio*. p. 190. l. 10. l. *Physices*. p. 191. l. 4. sic lege: *Hac ratione nulla distinctio* &c. *quod adeo ad verba*: p. 198. l. 8. leg. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. p. 200. l. ult. post *numerum* excidit *minime*. p. 202. l. 5. l. *ullus*. p. 211. l. penult. l. *æruginem*. p. 213. l. 23. pro *Victoriæ* leg. *Victrix*. p. 217. l. 19. l. *valuerunt*. p. 224. col. 2. l. 13. pro g. pone. 9. p. 226. col. 3. l. 26. pro I pone T. p. 233. l. 20. l. *difficultas*. p. 235. l. 11. pro: *mihi autem videtur* leg. *Videbatur enim*, & pro *inquiro*, leg. *inquirebam*. Ib. l. pen. post *ex* adde, *eius*. p. 236. l. 5. leg. *repudiauit*. p. 243. l. 24. l. *Vrbicus*. 257. l. antepen. pro *Aurelium* leg. *Aurelianum*. p. 258. l. 2. l. *nullam*. p. 259. l. 14. leg. *pararunt*. ib. l. 19. leg. *cognatis*. p. 297. l. 15. leg. *quædam*. p. 330. l. 18. leg. *Augustorum*. p. 331. l. 24. pro *hos solos* leg. *hunc solum*. p. 332. l. 8. pro *obseruas* leg. *obseruatis*. p. 336. seqq. in titulo paginæ deleatur SAECVLARIBVS, & deinde p. 341. 343. & 345. SAECVLARES. p. 342. l. 28. leg. *vero*. 343. l. 7. pro *ex ore maxime* leg. *ære maximo*. p. 348. l. 8. pro *nomen docent* leg. *nos edocent*. 349. l. 9. leg. *Antonini*. p. 354. l. 19. leg. *obsoletas*.

Reliqua beneuolus lector facile emendabit.

